




223  
Blumen-Sagen, 241 6,  
164.

R  
3734

DES▶ ERASMI ROT▶

EPISTOLAE FAMILIARES PRO  
pter singularem elegantiam & argu  
menti materiã Scholis & adolescen  
tum studijs captuiq; accõmodatæ,  
ex omnibus, quas reliquit, li  
teris summo doctissi  
morum iudicio  
segrega  
ta.

BASILEAE,  
APVD BARTHOLOMÆVM  
VVESTHEMERVM. ANNO  
M. D. XXXVIII.



DE ERASMI ROTERODAMI  
OBITU.

**A**nno domini M. D. XXXVI. mense Iu-  
lio, moritur Erasmus Roterodamus, orna-  
mentum nostræ ætatis, cuius uiri uitam, ut pote de ho-  
nestis disciplinis optime meriti, liber hic subijcere. Vi-  
xit ad septuagesimum annum, de anno quo natus est  
apud Batauos non constat. Apud Dauentriam pri-  
mum posuit in literis tyrocinium, utriusq; lingue ru-  
dimentis imbibitis sub Alexandro Hegio Vuestpha-  
lo, qui cum Rudolpho Agricola recens ex Italia re-  
uerso, amicitiam contraxerat, & ab eodem Græce do-  
cebatur: nam huius lingue peritiâ ille primus in Ger-  
maniam importauit. Terentij Comœdias puer non se-  
cus tenebat ac digitos suos, memoria namq; fuit tena-  
cissima, ingenio perspicacissimo. Exceptis rudimentis  
planè dici potest in literis *εὐροδιδεκτή*. Nam  
quod in Italiam iam natu grandior profectus est, post  
regij apud Anglos medici filios, Archiepiscopi quoq;  
sancti Andreae in Scotia, qui tum Senis debebat ali-  
quandiu professor, nobilissimæ regionis uisendæ cau-  
sa fecit, non ut professoribus operam illic daret. Neq;  
enim Bononiæ quenquam publice prelegendium au-  
diuit, sed Pauli Bombasij, qui sub Leone postea Rom-  
mæ perijt, amicitia contentus, domi studijs suis inui-

4-xv A  
7748

l 52403488

gilabat. Adagiorum opus tum colligens, quod paulo post Aldo Manutio dedit excudendum, quæ res fecit, ut Venetias adiret, ubi Marco Musuro atq; Scipione Carteromacho, uiris doctissimis familiariter usus est, quos ambos non semel consuluit, si quis nodus incidisset, horum candorem ac eruditionem apud amicos commendare solitus. Docuit Louanij, Cantabrigiæ, in Anglia, Lutetiæ etiam priuatim, ubi Theologiæ dedit iuuenis operam: pileum deinde Doctoralẽ, quum in Italiam iret, in Taurinensi academia accepit. Patronos ac mœcenates habuit, Henricum à Bergis episcopum Cameracensem, Gulielmum Montioium, atq; omnium liberalissimum Gulielmum Guaraium, archiepiscopũ Cantuariensem, Angliæ primatem. Amicos in Britannia. Iohannem Coletum, Grocinum Latumerum, Linacrum, Thomam Morum. Antuerpiæ Petrum Aegidium, Conradum Cochlenium Louanij. Corpusculo fuit satis compacto, sed quod esset teneriæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione, puta uini, cibi, cœliuẽ, facile offenderetur. In literis uersabatur infatigabili studio. Testantur hoc toti ab illo conscripti libri, quorum catalogus extat Basileæ. Vixit apud Iohannem Frobenium aliquandiu: deinde in alteris eiusdem ædibus seorsum habitauit.

Friburgi

Friburgi septennio toto uixit, non solum optimo cuiq; eius Academiæ charus, uerum etiam magistratibus ciuibusq; haud uulgariter amatus, atq; reuerendissime cultus. Friburgo reuersus, cum articulari morbo aliquandiu conflictatus, tandem uiribus paulatim deficientibus, cum ferme mensem integrũ dysenteria laborasset, apud Hieronymũ Frobenium Iohannis filiũ, quinto Idus Iulias, sub mediã noctem, uita sanctus est. Quum autem uitæ finis instaret, clara Christianæ patientiæ & animi religiosi documenta edidit, quibus in Christum se spem omnem figere testabatur, assidue clamans: O Iesu Misericordia, Domine libera me, Domine sãc finem, Domine miserere mei: & Germanicæ lingua, Lieuer Gott, hoc est, Chare Deus. Testamentum condidit, in quo clarissimum uirum Bonifacium Amerbachium iureconsultum nominatum heredem fidei commissõ, de bonis suis in pauperes, etate, ualitudine uẽ infirmos, in puellas nupturas, ut harum pudicitia succurratur, in bonæ spei studiosos adolescentes, ac in quosuis huiusmodi digno auxilio distribuendis collocandisq; honerauit, adiunctis eidem duobus executoribus, Hieronymo Frobenio, & Nicolao Episcopio.

AD ERASMV M ROTEROD.

Hekatoſtichon Henrici Glareani Heluetij  
Poëta Laureati.

**S**omnus iners homines, mutūq; inuaſerat orbem  
Preſſerat & terram nocte ſilente quies.  
Ipſe ſoporifero ponens mea membra grabato  
Occubui, & tenebris penè ſepultus eram.  
Ecce ſub obſcuro uiſa eſt tua Muſa nigrore  
Ante oculos uolitans protinus eſſe meos.  
Non ſecus ac nebulis latitet ſi Phœbus opacis.  
Aut ſub nube nigra, candida luna micet.  
Tum pepulit radijs quodcunq; obſtabat amœnis  
Ceſit & omne, illa diſcutiente, chaos.  
Subticui, caput haud tenuem erecturus ad auram,  
Expecto ſitiens quid uelit illa loqui.  
Diua uerecundo dum me uidet ore tacentem,  
Auriculam prendens uellicat atq; premit.  
Cur meme dixit, cur compellare uereris?  
Cur noſtros ſurda negligis aure ſonos?  
En uenio, quia doctiloquus ſic iuſit Eraſmus,  
Ne tituba, uotis præſto erit ille tuis.  
Illius ambroſio quanquam frons nectare fuſa eſt,  
Atq; Helicon ſacro lauerit amne comam.  
Nec tamen exiguum paruo de flumine riuum  
Nec tremulæ ſpernet ſtamina rauca lyræ.

I celer

CARMEN GLAREANI.

I celer, optatum inuenies, & habebis amicum,  
Quem dare non alium ſecula poſſe putes.  
Dixerat & ſonitus blanda cum uoce receſſit,  
Inq; leuem uolitans æra præpes abit.  
Excutor ſomno, uideo cecidiſſe figuram,  
Cui reſponderem nemo niſi aura fuit.  
Ergo ò præſidium, & ſpes iucundiſſima uitæ.  
Dux & iter ueræ dulcis Eraſme uie.  
Aſcultata tua Muſa meis diſceſſit ocellis,  
Illi debueram paucula uerba loqui.  
At quia diſceſſit, nec ſit cui ſingula dicam,  
Hæc iuſſi Muſam uerba referre meam.  
ſcilicet ut dignas tibi uir doctiſſime grates  
Offerat, id quanquam non bene poſſe reor.  
Nanq; ego cui moduli, cui nec ſit culta Minerua,  
Qui poſſim dignum ludere quæſo melos?  
Nec tibi pro meritis, quas dicam noſco canenas,  
Da ueniam modulis ingenioq; meo.  
Sunt mihi rauciſono ſtridentia carmina plectro,  
Et tenuis ſurdo murmure uena data eſt.  
Clauſerunt placidæ Dirceia flumina Muſæ,  
Et mihi Parnaſi blanda fluenta negant.  
Arida uix mihi Clitorio ſitis amne leuatur.  
Vix mihi Salmacidos mollia damna patent.

α 4

ſi tibi

CARMEN

Si tibi raucidula stridentem uoce cothurnum  
 Percutiam, dices heus miser ito foras.  
 Si rursus citharam plectro crepitante fatigem,  
 Nenia inest dices carmine barda tuo.  
 Quid pie Erasme canam: nisi garrulus inter olores  
 Argutos strepitem, coruus & anser iners.  
 Outinam Andini mihi sit facundia uatis,  
 Et sint Pelignæ carmina docta lyrae.  
 Te canerem longo uir præstantissime libro,  
 Nullaq; pars uacuo margine abiret iners.  
 At longe tua me prohibitas, tua uiuida uirtus  
 Vincit, & est uersu non bene picta meo.  
 Quæ natura sagax imis tenet abdita ualuis,  
 Tota intra ingenium scis posuisse tuum.  
 Tuq; oculis certus cœlestia regna subintrās,  
 Tu penetrās summi limina celsa poli.  
 Quot sint, quæ rerum species, quæq; orbis origo,  
 Utq; locum capiant quæq; elementa suum,  
 Splendida quo rapido uoluantur sydera lapsu,  
 Vnde tuum lateat candidè Phœbe caput.  
 Quidq; subobscuram cogat decrescere lunam,  
 Vnde pluat rosea discolor iris aqua.  
 Quæ solidas quatiat uiolenta potentia terras,  
 Cur uolentem dubio fulmina seuæ polo.

Cur

GLAREANI.

Cur scindant piceas horrenda tonitrua nubes,  
 Vnde ruit gelidus stridula grando globis.  
 Cur quod non cecidit sydus cecidisse putetur.  
 Et quæ sint restui semina cæca maris.  
 Quæ subsint casu, quæ nam fortuna uoluet,  
 Perfida uentosis non bene recta rotis.  
 Cur sol Aethiopes urat, cur denigret Indos,  
 Cur minuat radios trux Arimaspe tibi.  
 Omnia pernoscis, maiore es dignus honore,  
 Quàm tenui uersu commemorare queam.  
 Roma uelut digne magno Cicerone superbit,  
 Et Demostheneis Attica turba sonis.  
 Septem urbes certant doctio quæ patria Homero,  
 Treis genuit magnos Corduba clara uiros,  
 Vnum te solem, quamuis & sydera multa  
 Protulerint oris Belgica regna suis.  
 O let. in festumq; diem, qui numine dextro  
 Te dedit in nostros mitis Erasme lares.  
 Qua scindit liquidus Basileia moenia Rhenus.  
 Qua sunt Heluetijs foedera prisca uiris.  
 Est in te grauitas matura, modestia prudens,  
 Socratici mores, Cæsareusq; decor.  
 Ingenium felix, quo non præstantius ullum  
 Dotibus hisce tuis Attica terra tulit.

æ s Sed

ELEGIA

Sed te precocibus iam parcere uersibus opto.

O decus, o Bataui gloria prima soli.

Tu dabis omnigenam matura in carmina uenam

Tu dabis ad Musam calcare & arma meam.

Hactenus hæc, Bataue sydus uenerabile gentis,

Lux Alemannorum candide Erasme uale.

AD OSVALDVM LV-

cernanum Heluetium Ele-

gia Glareani.

**C**andide pars ingens nostrorum Osualde laborum  
Seu qualem Alcides, Pirithousue petat.

Surgit Amasoneo, pharetrata caterua flagello.

Et mihi Centauri bella cruenta parant.

Huc ades o Theseu: tua ope est opus: accipe tela,

Tela cataphractis obijcienda malis.

Omnia in hoc mundo uincit patientia longa:

Et labor & probitas, ingeniumque sagax.

Laudo tuum ingenium, quod et ipse probauit Erasmus.

Pallados ille pater, Moxoniisque chori.

Socraticis se temporibus Plato gaudet Athenis

Natum, atque exuias ille triumphus habet.

Dicitur Alexander felix cognomine Magnus:

Cui nasci obtigerit tempore Aristotelis.

Lætor ego quod temporibus sum natus Erasmi,

Gaudeo, & exultans bella trophæa sero.

Ab

GLAREANI.

Ab quoties agro comites affatus amice est,

Pabula quanta anime contulit ille mee.

Is docuit mores, meliusque infudit IESVM,

Is docuit cælum perpetuasque domos.

Et docuit penitus stultum contemnere mundum,

Vexit & ad superos mentem animumque meum.

Quid dare plus posset Croesusue, Cyrusue roganti?

Quid Calaber diues, quid Sybarisue potens?

Ille hinc digrediens, docta sciotericon umbra

Dona dedit dextrae munera eburna mee.

Accipe ait nostri monumentum & gluten amoris,

Accipe Phidiaca dona polita manu.

Umbra tibi uitam notat, & uaga gaudia mundi:

Circulus æthereo sidera clara polo.

Elige utrum malis, utinam tibi sidera cordi,

Et qui sideribus præsidet orbis herus.

Accepi lachrymans, nomenque incidere iussi,

Osculaque in sculpto terque quaterque dedi.

Sed redeo, gratare tuis Osualde camœnis,

Est aliquid tanto complacuisse uiro.

Plus certe, quam si gelidis mea Musula metris

Strideat, atque oneret teque tuumque caput.

Gratulor & patriæ, uentura gaudeo uita,

Quæ Gratos fontibus, Romuleosque refert.

Hel-

CARMEN

Heluetios priscos gentem in fera praelia natam,  
Comperimus Graio uerba notasse stylo.

Atq; utinam positis etiam nunc refluat armis  
Quicquid apud Graios, Romulidasq; fuit.

Ecce Camillus adest, pius & facundus Erasmus:  
Quo nil candidius Romula terra tulit.

Miles ego, quamuis imbellis, inutilis, eger,  
Aere tamen mereo, teq; merere uelim.

Nec timeas uulgus nebulonum, & inutile mundo,  
Nec Chrysippeas fulmina caeca faces.

Chare uale, pharetrata fugit tua tela caterua,  
Chare uale Thefeu, quo duce tela dedit.

AD SODALES ERASMO RO

terodamo consuetudine iunctissimos,

Ioannes Sapidus Selestadiensis

Germanus.

**O** Listri, Bruno, Basili, Rhenane, Frobeni,  
Nesene candidissime.

Heluetiae decus aeternum Glareane, probatis

Tum literis, tum moribus,

Integer interpres diuinæ mentis, & idem

Trilinguis Oecolampadi,

Tu quoq; Gerbelli, gemini laus splendida Iuris,

Vtranq; callens Pallada,

Artis

IOAN. SAPIDI.

Artis Apollineæ Rethi celeberrime mysta,

Fonteie, uosq; ceteri,

Dulce sodalitiium, cum uestro tam bene Erasmo

Vobis, & illi cum suis.

Quam bene syluestri cum lectis esse Dianæ,

Nymphisq; scimus cum dea.

Vos adeo consuetudo deuincit Erasmi,

Huicq; uestra conuenit.

Primum aut postremum quid dicam aut mirer eorum

Quis leta corda pascitis,

Si tractat ioca ridetis, si seria, uultus

Catonianos sumitis,

Si iubet arrectas, suadetue aduertitis aureis.

Si humana quam miramini,

Si diuina docet, mox raptis mentibus, inter

Coeli incolas uersamini.

Si graditur, comites estis, stantemq; repente

Si stat corona cingitis.

Si Genio ad mensam indulget, gaudetis & ipsi

Conuiuio hoc liberrimo.

Adde quod ingenium, grauitas, facundia, candor,

Honos, decus, modestia.

Tot blandæ ueneres, charites tot casti & amores,

Et mille uirtutum agmina;

A pede

CARMEN

A pede quæ certant imo componere totum  
 Supremum ad usq; uerticem.  
 Ceu quod uersicolor, gemmis, auriq; coruscet  
 Diadema signis asperum:  
 Quam uos alliciant, rapiant, faciantq; stupere,  
 Quibus ista distrabant modis.  
 Qualem Anchisiaden radiantia dona, labores  
 Viui manus Vulcaniæ.  
 Latona ut Triuia, sic Phœbus gaudet Erasmo,  
 Vos inter adstans nescios,  
 Digna, die spreta, ô consortia adire uadatis  
 Quæ dijs simul communia.  
 Hic sincerus amor, procul hinc procul atra similtas.  
 Tanti est Erasmi gratia.  
 Ast maiora cano, nullumq; audita per æuum,  
 Toti decus Germaniæ.  
 En uolsam danteis herbam præcellit Athenas  
 Vrbs barbaro solo sita,  
 Baiana secta aurifero Basileia Rheno  
 Amœnitate amœnior.  
 Estis io nati felici sydere, quando  
 Sors tanta uobis obtigit  
 Inter at ignarum uulgus ludiq; popellum  
 Miseram nimis uitam tero,

Vifens

SAPIDI.

Vifendiq; meos quanquam præberier ansam  
 Tristis uetat necessitas.  
 Sed solet hoc animos unum releuare dolore  
 Misericordando alioqui & hostibus.  
 Quod me quæ sequitur tragicis Rhamnusia fatis,  
 Meis frui det optimis.  
 Ergo alacres Sapidi memores iam uiuite uestri  
 Mihi sodales mellei.  
 Tu quoq; te quauis semper dignissime Erasine  
 Germane Phoenix unice.  
 Viue tuos annos, & me dignare fauore  
 Tuo tuum, si sum meus.

FINIS.

*Elatus fuit in hinc uisus in hinc uisus  
 Erasmus ad uita cartheualem  
 in finis hinc uisus. Latere, ubi  
 Latere fuit D: uisus hinc uisus  
 hinc uisus sepulchris. Anno 1536  
 die 11 Julij*

EPITAPHIVM D. ERAS-  
mi Roterodami.

Andrea Alciato autore.

Conditur hic magnus Batauorum gloria Erasmus  
Sic modico tantus uir loculo esse potest.  
Cuius fama frequens totum circum uolat orbem  
Qui celebris fertur docta per ora uirum  
Translati autores, Prouerbia, tanta operum uis  
Verum & uicturum semper Erasmon habent.

EPISTO

LAE FAMILIARES D. ERASMI

Roterodami, ex omnibus quas reliquit  
literis, summo doctissimorum iu-  
dicio segregatæ.

ERASMVVS ROT. D. GABRIELI  
Oshusio Cartusienfi S. D.



STVDIIS ac negocijs uix erat  
ocium scalpendis, ut aiunt, auribus.  
Tamen mitto tibi tuos uersiculos, ne  
quæri possis ulla in re non morigerum Hortatur  
animo tuo fuisse Erasmus, uerè tuum in Christo. Scio ad sacrarū  
quàm multa mala doceat ocium. Proinde malo te isti- literarū le-  
usmodi opellis transmittere tempus, quod datur à sa- ctionem, in  
rorum pensis uacuum, quàm ad deteriora prolabi. At- quibus mina  
tamen longe satius erat, è sacris libris Christi Pauliq; Christi ima  
imaginem uiuam & efficacem pectori tuo penitus im- go est.  
primere: quàm plumbo, ære, chartisue exprimere.  
Quod ipsum arbitror te facere mi Gabriel, nec istam  
industriam tuam aliud esse quàm felicitis ingenij luxu-  
riam: quàm in suo Neopitano laudat etiam Hierony- Deplorat  
mus. Non arbitror à Christo nato seculum hoc fuisse suū seculū  
maliciosius. Quo minus oportet uos pœnitere instituti Erasmi.  
a uestri.

uestri, me mea fata in has procellas abripuerunt. Nec tacere mihi licet, nec digna Christo loqui. Christus clamat: Cōfidite ego uici mundū. Mundus uidetur breui clamaturus: Ego uici Christū, adeo pro dotibus euāgelicis palam regnat ambitio, uoluptas, auaricia, audacia, uanitas, impudētia, liuor, malicia: etiā inter hos qui se lucē ac salē huius mundi profitentur. Reuisam uos, ut primū licebit. Interea salutabis optimū patriarchen uestrū, œconomū, & eum qui nos obiter, magno, ut apparebat, affectu salutabat. Bene ualentē & ad celestia semper anhelantē te seruet ac prouehat Christus, unica spes piarū mentiu, mi frater in Christo charissime. Ex Anderlaco. Pridie Id. Octobr. Anno M. D. XX.

## FRANCISCVS DELOINVS

Erasmo Rot. S. P. D.

**M**iraberis forsā Erasme, uir undecūq; doctissimē, quid me potissimum impulerit: hominem nulla dicendi facultate præditi, nulla familiaritate tibi iunctū, ut ad te ultro scriberē, qd' profecto desines admirari, si te literarum quas haud pridē ad Budæum, unicum Gallie nostræ decus scripsisti, obliuio nō cœperit: quibus & Coleti prædicatiōe, & alijs itē nominibus, notum me tibi esse affirmas. Quāquā enim literæ tuæ primū quod abs te profectæ, deinde quod Budeo scriptæ, iucundissimæ mihi fuerint: tamē, ut uerū fatear, nulla re magis me oblectarunt, q̄ quod tā amice

tam beneuole, in Deloini mentionē incidisti: quē & si in mentionem ipsum totum sibi Budæus dudū uendicauerit: tamē non nē alicuius usq; adeo maligne possidet: ut tecū amicum cōmunem incidere. habere eum, aut alium quenq; grauetur: ut ipsum erga te affectū esse uideo. Iam uerò nō possum nō de annare plurimū Coletū illum tuum, uirū doctrinā, uitæq; sanctimoniam clarissimum: qui te, ut scribis, ueteris amicitie ac cōsuetudinis cōmonuit, quæ mihi cum illo nō uulgaris olim intercessit: quū Aureliæ studiorū causa ageremus. Tanti ille, quæ est in oēs humanitate, nostrā amicitia fecit: tam cōstanter seruauit, ut eius perinde ac recētis, nulloq; aut tēporū, aut locorū interuallo obliterata, apud te meminerit: longe ab eorū moribus alienus, qui nouis amicitijs allecti, ueteres aut cōtemnūt, aut negligunt. Porro autē ecquis tam duro, tamq; ingrato animo esse potest, quin tibi libēs gratuletur, tot tāq; præclara in oim disciplinarū genere, ingenij atq; industrie tuæ monumenta contrectans? quibus tu planē cum ipsa antiquitate certare: & omnibus nostræ ætatis scriptoribus palmā præripere uideris doctorum omnium opinionione non nostra tantū: dum è medijs ignorantie tenebris ingenuas artes, atq; adeo sacras literis uindicas: & lōgo uelut postliminio redeuntes in suum quodammodo regnum dignitatēq; restituis. Nam Adagiorū Chiliadæ, Morie encomium, Militem Christianum,

## 4 EPIST. FAMILIARES

Nouū instrumentū, cæteraq; id genus, quæ ex tua officina felicibus auibus profecta, ad nos plausibiliter peruenerunt: iam penè quantum per occupationes nostras licuit, legendo contriuimus. Sunt in manibus diu Hieronymi opera, strenuus sanè labor: & non nisi Herculis cuiusdã, hoc est Erasmi uiribus suscipiendus. In quibus ipsum Hieronymū mihi uidere uideor: tua cura, diligentia, labore summo in lucem rediisse: & promissum sacris elogijs Anastaseos diem quodammodo præuenisse, ut qui purgatis (quibus undiq; scatebat) næuis, noua quadam immortalitatis ueste abs te donatus, natiuo germanoq; decori restitutus est. Succurrunt Annotationes tuæ, deus optime quàm eruditæ quàm religiosæ, quàm omnibus numeris absolutæ: quibus ita quorundam qui se magnos uideri uolunt luminibus obstruxisti: & ut dici solet, cornicū oculos confixisti, ut splendore nominis tui excæcati, & maximis eloquentiæ tuæ uiribus in ordinè coacti, manus tandem dare, & communem temporum suorum inopiam insciamq; miserantes, præsentis seculi felicitatem admirari cœperint. Quos etiam uideas abiectis crassis ne dicam sesquipedalibus uerbis: quibus olim tumentibus buccis uti cōsueuerant, summissos: & suo se pede nunc primum metientes. Perge itaq; mi Erasme de literis,

de re=

Adagium.

## ERASMI ROTERODAMI. 5

de rebus diuinis, de Christiana philosophia, de re publica ecclesiastica, optime semper, ut facis, mereri. Quæ in re ut perpetuū habebis fautorem Budeum, ita me utriusq; uestrum: si quid infimi muneris erit, affeclam assiduum, & laudum honorumq; uestrorum præconem, & si non uocalissimum at certe animosissimum: quanquam maiora omnino merita uestra esse intelligam, quàm ut cuiusquã nedum nostro præconio egere uideantur. Quod superest deum optimum maximum precor, ut animos istos uobis: hoc est, tibi & Budeo, noua indies proferendi, animisq; istis tēpus in hac uita quàm longissimum tribuat, ut peractis quæ promissis, maiora concipiatis. Nam quæ ultro spondistis, appellantur quotidie & flagitantur: ac iam periculum est, ut Plinij uerbis utar, ne cogantur ad exhibendum formulam accipere. Vale, & nos ama.

Quum epistolam hanc iam iam obsignaturus esset Deloianus noster, interueniens, ego salutē hic Deloiani ipsius consilio propria manu adscripsi tibi, id quod hospitalis cuiuspiã tesseræ loco tibi fuerit.

Lutecia: Nicolaus Beral= NB  
dus tuus.

d 3 ERASMVVS

6 EPIST. FAMILIARES  
ERASMVVS ROTERODAMVVS D.

Francisco Deloio S. D.

**V**ideo splendidissime Deloio, quot quantisq; nominibus debeam Gulielmo Budeo, non uestrum modo Gallie, quod tu uerissime scribis, uerum etiam totius aui nostri decori, atq; ornamento incomparabilis, qui non contentus ornare me testimonio suo apud omnes ubiq; doctos grauissimo, nobilitare tot eruditissimis epistolis, insuper amicis tam multis locupletat beatq; atq; o deum immortalē: cuiusmodi. An non merito sic existimem, ingentem accessionem factam meis possessionibus, postea quam Gulielmus Paruus, Franciscus Deloio, Ludouicus Ruzeus, amicorum meorum numero additi, in bonis meis esse ceperunt? porro cum tria nomina recensco, boni superi, quot egregias dotes, quot ornamenta rarissima compendio sum complexus? Nec hos solum illius opera lucrifacio, quin ille iam uerbis conceptis mecum pactus est, quicquid usquam gentium nobis est amicorum, id lege Pytharica nostrum utriq; fore commune. Est ille quidem, fide optima, ut si quisquam alius: sed tamen est apud me huius pacti syngrapha ipsius digitis descripta, si quid inficiari uelit. Quiduis patiar citius quam semel traditam possessionem tam præclarā interuerti mihi.

Verbis conceptis pactus

Ad egre

ERASMI ROTERODAMI. 7

Ad egregias istas laudes quas mihi tua tribuit epistola: nihil habeo quod respondeam, nisi uos de me sanè, *Amantissime* errare. Iam quod lucubrationes meas omnibus meis abs te non legi modo intelligo, sed excuti quoque, *me errare,* sed penitus introspici, utrum ne felicem me dicam, cui à summis eruditione pariter, atq; autoritate uiris, hoc dignationis & honoris habeatur: an infelicem potius qui talis cum sim, neq; enim me ipsum nescio, in iudices tam oculatos inciderim? id quoties mecum reputo, quod pudore me suffundi putas? Libet uociferari, non scripsimus ista Deloio, hoc est, plus quam Lelij ac Peris, ista literarie militie Tironibus parata sunt, aut *Literarie* certe crassulis quibusdā et amufis Theologis, quibus *militie tiro* nes. ante hac erat ad catholicarios, ad mammetrectarios uelut ad Apollinis tripodem frustra confugiendum. Horum cimmerijs tenebris conati sumus quantulumcunq; lucis aperire. Cur uos summates uiri, patricijq; ordinis proceres, ad hoc plebeium conuiuium uosmetipsos ingeritis? Non istis palatis hæc parabantur legumina. Video, uideo, quantum sollicitudinis mihi sit adiciendā operis nostri, si quid posthac emisero. Cum ante paucos menses apud Coletum tui facerem mentionem, protinus agnouit nomē Deloio, ac recordatione ueteris consuetudinis, uisus est admodū delectari. Ni-

colaus Beraldus, lepide nimirū hospitalis tesseræ me-  
 minit in subscriptione sua. Nā memini cum olim essem  
 Aureliā Italiā aditurus, me hominis hospitio usū, atq;  
 apud eum dies aliquot sanē q̄ benigne comiterq; habitū  
 Etia nunc audire mihi uideor linguam illam explana-  
 tam ac uolubilem, suauiterq; timientē & blande cano-  
 ram uocem, orationē paratam, ac pure fluentē: uidere  
 os illud amicū & plurimū humilitatis præ se ferens,  
 supercilij nihil: mores uenustos, cōmodos, faciles mihi  
 meq; molestos: quin & interulā sericā uelut apophore-  
 tum obtulit abituro, uixq; ab homine impetraui, ut li-  
 ceret recusare. Huius igitur tesseræ lubens agnosco. Sa-  
 lutē hilaris accipio, meāq; multo cum scenore rescribo  
 Si causaberis hanc epistolā parū esse copiosam, fac eas  
 legas, quas ad Bud. eū misimus, es queri desines: postea  
 quā enim lex illa placet, ut amicorū omnia sint cōmu-  
 nia, si quid literarū ad illum datum est, id ad te quoq;  
 datum esse putabis. Bene uale patrone incomparabi-  
 lis, & Ruzeū meo nomine saluta diligenter. Antuer-  
 piæ, nono calendæ Martiæ, M. D. XVI.

Epistolæ est GVLIELMVS COPVS ERASMO

Roterodamo S. D.

excusato-  
 ria & nar-  
 ratoria.

**Q**uod toties prouocatus literis tuis nihil re-  
 sponderim, nihil aliud causæ fuisse credas ue-  
 lim,

lim, quā crassam hanc meam barbariē, quæ doctis au-  
 ribus tuis obstrepere erubuit, id quod uel silente me fa-  
 cile intelligere poteras, sed cogit me in presentiarū re-  
 gia maiestas silentiū rumpere. Id quid sit paucis accipe  
 Gulielmus Paruus, doctor Theologus, regius confessio-  
 narius, nominis tui perq̄ studiosus, Frācisus de Rupe-  
 forti, regis, quū in teneris ageret, pædagogus, nūc ab-  
 bas, qui summis te laudibus apud proceres nostros ef-  
 ferre solitus est, ambo regē quū sacris adesset, adierūt,  
 eiq; multis argumentis, ut te in Galliā uocaret, per sua  
 ferunt. Illico rex intellecta summa ista tua eruditione,  
 iussit ut ad te literas darē, quibus animū tuum explora-  
 rem an cum Gallis degere, & qua cōditione contineri  
 uelis. Pollicetur, rex Christianissimus, si hic nobiscū ui-  
 uere decreueris, adeo benigne te educaturum, ut nun-  
 quam te instituti huius poenitere possit. Proinde re-  
 scribas uelim. Nondum uidere potui aphorismos tuos.  
 Vale, Luteciæ octauo Idus Februariæ.

ERASMV ROTERODAMVS

Gulielmo Copo S. D.

**O**Felicem Galliā tali principe, ò te fortunatum à gratula-  
 tione. istiusmodi patrono, ò me beatum tanti monar-  
 chæ fauore. Caterū ad tuas literas quas regis tui iussu  
 scripseras ad me, nondum licet certi quippiam respon-  
 dere.

Silentium  
 rumpere-  
 Franciscus  
 de Rupe-  
 forti regis  
 pædago-  
 gus

Exorditur  
 à gratula-  
 tione.

dere. Sed breui statuam, ac renuntiabo, interim huius honoris usura fruar, quod laudatissimorum hominum cōmendatione, laudatissimo regi placuerim, pro cuius erga me studio quantū debeā, nec dissimulabo, nec obliuiscar unquā: eius maiestati per literas utcūq; gratias egi. Sic enim iussit Budaeus, sed tu idē dexterius feceris oratione, nec ipsi solū, uerū etiā eximio Theologo Guilielmo Paruo, & reuerendo patri Francisco de Rupeforti, qui quā erant amāter, tam officiose sunt de nobis mēiti Regi. Quod Aphorismos nostros desideras, caue putes istius esse generis, cuiusmodi sunt tui Hippocratis. Alia res est. At si libellū posces Erasmi de institutione principis Christiani, istoc titulo citius inuenaris. Bene uale, Antuerpiae sexto Cal. Mar. An. 1516.

CHRISTIANISSIMO GALLIARUM regi Francisco, Erasmus Rot. S. D.

**C**um in dicitur Franciæ regnū, omniumq; cōsensu longe florentissimū plurimos adiderit principes, pietate, belliq; gloria præstātes, Frācisce regū optime iuxta ac maxime, tu tamē in primis speciosissimū illud et Gallorū regibus peculiare Christianissimi agnomen mihi præstare uideris. Etenim cum Christus ipse regū rex, ac principū princeps, haud alio insigni, symboloq; suos dignosci uoluerit, quā mutua inter ipsos

cōcordiæ, tu postea quā bello aduersus Eluetios ge- Eluetiorū flo, q̄ tibi nec animus, nec apparatus, ad bellū gerendū bellum. deesset declararas, tamen huc totis neruis incubere mandauit, ut cōpositis in æternū bellorū tumultibus, præcipui Christianæ ditionis principes perpetua iam pace inter sese cōglutinentur: nimirū prudenter illud ant maduertēs, ex regū inter ipsos disidijs semel omnium rerū bonarū pestē, ac perniciē, cōtra malarū omnium colluuiē, ac mare in uitā mortaliū inuehi: quorum animos & opes, si pax & amicitia sincera coniunxerit, modā, mox futurū, ut iā uelut aureo quodā seculo, pietas, optime leges, & quicquid est honestarū artium, simul efflorescat: quæ semper pacis & comites esse solēt & alimæ. Intelligit, uidet; perspicit; animus iste tuus uerē regius ita maxime fore te principē felicē & eminentem: nō si q̄ plurimis, sed si q̄ optimis ac felicissimis imperaris. Illud igitur quō magis efficiat uigilantissima tua maiestas, cum tot habeat in regno suo uiros, omni uirtutum ac literarum genere præcellentes: tamen undiq; præmijs amplissimis asciscit, quō regnum per se ornatisimum talibus honestamentis reddat ornatius, haud ignara istiusmodi decoribus multo uerius, ac pulchrius illustrari ditionē suam, quā opibus, trophæis, pyramidibus, alijsue quantumlibet magnificis substructionibus.

Porro

Quam  
tam.

Aphorismi  
Erasmi.

Et  
rx  
ria  
at  
Symbolum  
Christiano  
rum.

con

Porro quod inter hos me quoq; tua benignitas digna  
 ta est honestissimis premijs sollicitare : uideo sane  
 quantopere debeam animo tuo, non minus humano  
 quam excelfo. Atq; utinam adsit mihi tanta uis inge-  
 nij et eruditionis, ut aliqua saltem ex parte tanti prin-  
 cipis expectationi respondere queam, tantum autem  
 eloquentiæ, ut heroicas istas uirtutes tuas, eximiaq;  
 decora dignis aliquando preconijs posteritati com-  
 mendem, atq; in primis hoc diuinum restituta pacis  
 beneficium, te cum primis adnidente, partu orbi Chri-  
 stiano. Precor deum optimu maximu, ut postea quam  
 illi complacitu est pulcherrimos istos impetus animis  
 uestris immittere, idē prouehat, beneq; fortunet. Verē  
 Pro. 21 profecto scripsit rex ille pacificus, corda regu in manu  
 dei esse, et illius arbitrio huc aut illuc impelli. Quis  
 enim dubitet istam mentem huius afflatu uobis dari?  
 Proinde spes est fore, ut qui nouam hanc felicitatē orbi  
 Christiano largiri cœpit, idq; per te potissimum, idem  
 munus suū uestra pietate, constantiaq; quam maxime  
 diuturnu ac proprium uelit esse. Is maiestatem tuam  
 Rex excellentissime diutissime felicem ac rebus omni-  
 lus florentem regno, imò orbi terrarum seruet, ac tue-  
 eatur, cui me totum trado, dedicoq;. Antuerpiæ nono  
 Calendas Martias. Anno M. D. XVI.

pus Baiocensis Erasmo Roterodamo S. D.

**E**A semper mihi uoluntas, ea mēsis animus fuit,  
 ut quandocunq; per fortunam aliquanto fauo- Fortuna fa-  
 rabiliorē liceret, et studijs bonis nostru omne ocium uorabilis.  
 applicarem, et studiosum aliquem, literatumq; ho-  
 minē domi foueremus. Itaq; mihi persuasum cum sit,  
 eum te Erasme esse, quem animo ipse concipio, quēq;  
 unum in primis unā mecum esse ac uiuere exopto, cu-  
 ius uidelicet et singulari ingenio recreari. et litera-  
 tis colloquijs frui, et multiplici etiam doctrina pasci,  
 atq; erudiri ualeā, dignū eqdē putauī, simul atq; Chri-  
 stianissimi huius regis (apud quē summi Pōtificis ora-  
 torē ago) benignitate ac fauore, Baiocensi ecclesie me-  
 licet immerentem summus ipse Pontifex præfecit, tibi  
 fortunam hanc nostram statim nunciare, teq; insuper  
 hortari et inuitare, si commodo tuo ad me demigrare  
 potes, unā mecū deinceps cōmoraturus, excepturum  
 te me, si non omnino, ut ipse mereris, at saltem pro ui-  
 rium nostrarum quantulacunq; facultate, curaturūq;  
 ut et Erasmo quantū in me erit satisfaciā, et Eras-  
 mum ad Baiocensem Antistitē accessisse pœnitere nun-  
 quam debeat. Quē tantisper dum beneficijs ampliori-  
 bus ornauero, annua centorū ducatorū pensione hone-  
 stabo,

111 EPIST. FAMILIARES

R. D. LVDOVICO CANOSSAE EPI-  
scopo Baiocensi, Erasmus Roterodamus S. D.

**E**T felicitatē istam tibi gratulor, cuius meritis fa-  
uore Leonis pontificis uerē maximi, contigerit  
istā dignitas, & animū tuū erga bonas literas magnō-  
pere probo, deniq; pro tuo de me iudicio, uel, ut me-  
lius dicā, pro isto tam amico de nobis errore, gratiam  
habeo maximā, neq; secus debere me puto tu.e benigni-  
tati, quā si quod offert (offert autē conditionē libera-  
lissimā, ac planē meis meritis ampliorē) iam accepis-  
sem. Ceterum quoniā nunc abest Cancellarius Burgun-  
die, cuius opera pridem ascitus sum in famulitium Ca-  
tholici regis Caroli, non habeo quod certum in presen-  
tia respondeā, id tamen faciā propediem. Interea per-  
ge fauere, tuo (ubi ubi terrarum futurus est) Erasmo.  
Bene uale, cui me totum addico. Antuerpiæ sexto Ca-  
lendas Martias. Anno M. D. XVI.

ERASMVS ROTERODAMVS

Thomæ Greio & Petro Viterio S. D.

**E**xcurat se  
cur nihil re-  
sponderit .  
Epistola  
expostula-  
tus. Quibus hactenus non respondi, sed tamen nisi fal-  
lor,

ERASMI ROTERODAMI. 115

lor, iussi uos saluere in literis ad Badiū datis. Nec ideo  
minus uos amo, si scribo rarius, q sic distrahor, partim  
his aule tumultibus, partim iniquitate fortunæ: nō nihil  
etiā studijs, ut uix sim apud me. Hæc scripsi grauter  
ægroto, nō pituita, sed uerius peste, quæ plurimos hic  
iā tenet. Quod deploras mi charissime Viteri te istuc  
à me missum, quò mea cōsuetudine careres: scis ipse te  
quorundā malicia Caletio depulsum fuisse, quē exitum  
ego semper expectabā. Atq; utinā nūc ea tibi esset for-  
tuna, qualē ego optarim. Sed tamē est aliquid in patria  
uiuere, præsertim tali. Et sortē tuā ita reddes tolerabi-  
liorē, si quā sis, esse uelis. Quod si quid est in quo requi-  
ras officiū nostrū, fac periculū: num idē sim Erasmus,  
qui semper fuerim. Literarū officio nō possim omnibus  
respōdere etiā si nihil agā præterea. Tuū mi charissime  
Greie, studiū atq; animū tā piū, dici uix posset, quanto  
pere exosculer. De filij indole gratulor ex animo. Quod  
ipse sacra potissimū amplecteris, hoc est, ea per quæ ui-  
uas feliciter, et moriaris felicius, prudēter facis, & re-  
ctissime tibi consulis. Quinquā tu quidē superstes eris  
in liberis, quibus bis pater es: quippe nō cōtentus in hanc  
lucē produxisse, Christo parturis eosdē. Valete ambo  
quos ut æque tum mihi, tum inter uos charos, epistola  
quoq; coniungere uisum est. Bruxellæ. An. 1516.

ANTONIUS

Iuxta: Et q  
sis, esse ue-  
lis, nihil q  
malis.

ANTONIVS CLAVSA ERASMO

Roterodamo. Suo S. D.

Excusat se  
cur nil scri  
pserit.

Adagium.

**Q**uod nihil haecenus ad te scripserim eruditissime Erasme, acerbamors sororis meae, quae paulo antequam literas tuas acceperam, expiravit, intensaq; haec frigora fuere in causa, meq; & alioquin in scribendo pigerrimū, adeo inertem, adeo squalidum, oscitabundumq; reddidere, ut nihil aliud quam *de fera* (ut aiunt) comedisse uideri possem. Verum quid tu? recte ne meum tam diuturnum silentium accusas? qui neque antea quicquam literarum miseris, neq; saluere saltem iusseris, quod equidem sciam Clauam tuum, qui tuarum & uirtutū & scientiarū admirator sum, adeo ut uix ausim te interpellare à tuis istis diuinis occupationibus, frugiferisq; studijs, in quibus te, magno prouentu bonarum literarum, quàm felicissime abditū esse planè noui. De Roberto Cesare quod petis quid rerum agat, accipe. Ius caesareum iam strenue aggreditur, utpote ab ipso impigerrime, constantissimeq; defendendū. Num haec tibi magna Caesareq; digna uidentur? Scripsit quoq;, ut mihi retulit iam pridem, ad Erasmus suum, imò nostrū, à quo responsum, mirum est, quantopere desiderat. Desideramus festiuissimum illum Thomae Mori libellum, de noua  
insula

insula Vtopia, quem expectamus in horas: nam libra rio cuidam nobis familiari mandauimus, ut quàm pri mum ad nos transmittere curet. Quod adhuc semen tem modo facis (ut inquis) ignarus quid messurus sis, bene sperare te iubeo, habes & Cancellarium hu manissimū uirum, & regem in doctos omnes, ac pro bos non solum propensum, sed etiam munificentissi mum. Quibus fretus, quid est, quod desperandum pu tes? Si nō tuis respondentes meritis, pro spiritualibus illis & diuinis, quae seminare non desinis, at munda nos hosce, at carnales, ut ita loquar cum Aposto lo, humanosq; fructus sat uberes, copiososq;, uelis, no lis, te messurum non dubito. Quod reliquum est, & Caesar te plurimum salutat, & Claua tuus sese tuae commendat fidei, utq; nos commendare uelis, com muni domino praestantissimo Cancellario regio, non solum petimus, sed etiam oramus. Vale mi doctissime Erasme Gandau, Octauo Idus Februarij.

ERASMVVS ROT. ANTONIO

Clauae Consiliario S. D.

**D**E sororis obitu, cōsolarer te uir ornatissime, Exordium ni persuasum haberem, aegritudinem istam, à consolati quam in alijs lenit, adimitē, tempus ipsum, in te singu lari tua sapientia, iam dudum esse sopitam. Nos ita di  
b straxerunt

*Stupia in  
si la. rudi  
quam de  
binal fides  
moralibus  
L. r. m. j.*

straxerunt, hinc morbus, hinc studiorum non unius labor, hinc crebra migratio, ac remigratio, ut uix apud me fuerim. Nec inter hæc tamen unquam excidit nobis Clauus, candidissimus literatorum patronus, nimirum ipse literatissimus. Scripsimus enim semel

Prouerbiū atq; iterum. Roberti nostri πολυτεχνίαν probō, de calamita opinor omnibus tentatis aliquid successurum deniq; tibus maxi- as ad me misit non epistolam, sed ut ipse uocat Tra- mis simul gcediam, ac prorsus ἰλαξὶσα κακῶν, uerū hanc ipse ac pluri- comicis salibus mire condierat. At mihi nondam li- ms. quet, utri peiorem gratiam debeam, ei ne qui me tam

Intempesti inimice lacerauit: an illi, qui me publicus apud po- ua beneuo- pulum nimis amice laudauit, hoc est, traxerit, & in- lentia nihil uidiosum reddidit. Nec enim ulla res est, que acro- à similitate res inuidentiæ stimulos excitet inter mortales, quàm differt. si quem immodice prædices. Non ferimus id in sum-

mis uiris, & quorū uirtus inuidia maior esse debuit. Quo minus mirum, si non ferunt in me qui sum & infra mediocritatem. Imò quod parochus ille sic in me debacchatus est, præconi isti meo debeo. ἀναρῶ δὲ νόον, οὐδὲν ἔχδρας ἰσχυρῆς. Quorsum autem attinebat te nugis eiusmodi inuolua, melioribus occupa- patum? Nec referēbat, qui iij aut illi inter se debac- chentur, ad me perscribere. Iuxta poetas, nec ipse

Iuppiter

Iuppiter placet omnibus, siue pluat, siue serenus sit. Nos quidem dedimus operam, & magis in posterum dabimus, ut placeamus uniuersis: interim tum recti conscientia, tum illo me consolor, quod optimis quibusq; certe non improbamur, fortassis omnibus placituri, simul atq; liuor ab obitu conquieuerit. Mori Utopiam ubi legeris, putabis te repente in alium orbem translatum esse. Ad eò illic noua sunt omnia. De messe non sum anxius, modo ne reditum superent impendia. Est quod huic animo, quod huic ocio satis sit. Et hæc uita mox ἐκτεροφθίσει. Porro fame scinam lubens etiam abiecerō, ac propemodum in Epicuri sententiam pedibus eò λαδὲ βίωσας. Sed heus iam abs te literas expecto semigræcas ὅς βίτου ἴδου ἐτὸ ἔλλωίσης. Casarem meo nomine salutato diligenter. Cancellarius ex animo tuus est. Bene uale, Antuerpie.

LVDOVICVS BERVS ERASMO  
Roterodamo, S. D.

Quæ ut admodum quotidiana lucubrationum Gratularum lectio Erasme amicorū integerri- me incredibili animum meum semper afficit uoluptate: ita dici non queat, quam me oblectarint licet et tuæ, quibus de felici statu tuo me certiorē reddidisti. Itaq;

cum

cum amicorum omnia sint communia, mihi equidem gaudeo, tu eq; dignitati summæ gratulor, de tam honorifica, & ubere à principe oblata præbenda canonica, deq; tam prospero rerum tuarum successu, ut fortuna, literarum & uirtutis studiosis semper no uercari solita, abs te quemadmodū contempta, ita & uicta, & prorsus tibi dedita uideatur. Nec obrectatorū quorundā insania, magis quidem elaborantium, ut accuratissima tua scripta, & exquisitiore doctrinam, aliqua ex parte falso calumnientur, quā ut sane & cum fructu intelligant: felicitatem tuam immisnuere poterit, sed augebit potius. Quæ enim spes gloriæ si nulla uictoria? Victoriæ autem quis locus esse potest, ubi pugna non est? Sed neq; defunt, nec unquam deerunt Erasmo, doctissimi & optimi patroni, quanquam ipse sibi abunde & patronus, & semper (deo duce) futurus est uictor gloriosus. Literas tuas, ac item archiepiscopi Cantuariensis ad reuerendum dominum Basiliensem, eius reuerendæ paternitatis diligenter reddendas curavi. Aliarum etiam literarum exempla ad me transmissa, mihi quidem abs te munus gratissimū, communibus amicis nostris (ut decebat) cōmunicavi. Vale semper felix in Christo. Ex ædibus nostris Basileæ, pridie idus Nouemb. Anno domini 1536.

ERAS

Ludouico Bero S. D.

**A**N merito mihi gratuleris optime Bero nondum scio: tu certe anantissime facis, somnians eam fortunā amico contigisse, qualem amor iste tuus optaret. At qualis qualis est hæc mea fors, si scias quā ambierim, noua quædam uideatur: si merita æstimes, magna: si animū, satis: quanquam eam præbendam uertimus in pensionē, censui detrahentes, ne quid ocio decederet, cuius nobis prior, quā pecuniæ ratio. Te merito amo uir humanissime, qui pari studio procul absentem prosequeris, quo præsentem semper complexus es. Inuidiam merebantur fortasse, qui præclarum aliquid profitentur, aut rara quampiam eruditione premunt aliorum gloriam, aut submotis plerisq; se iactitant. At quid rei mecum est inuidiæ, qui nec profiteor quicquam, & uix mediocri literaturæ, nullius officio luminibus, neq; cuiquam mortalium meipsum antepono, aut æquo etiam. Tantum mea qualicūq; opella, pro uiribus adiuuo publica studia. Sed non nullis alicubi uideoo liberius incandesce re, uerum ijs, qui non perpendunt quā indignis modis acceptæ sint sacræ literæ, ac uirorum sanctissimorum lucubrations. Cum in ipso grassarer opere, se /

b 3

penumero

penumero stomachum ob rei indignitatem efferuescentē cohibuit ratio, ubiq; dissimulare non potui. Et tamen posthac moderatior em fecit mira quorundam morositas. Etenim si qua fieri possit, ita cupiam proficere studijs, ut neminē omnino mortalium offendam. Id si minus contingit, lenit nonnihil hanc molestiam primum recti conscientia, deinde quod adhuc probor à probatissimis. Et spes est fore, ut quod nunc placet candidis, mox placeat omnibus. Certe quod indoctum sit, aut impium, absit ut mihi unquā placeat, uel in meis ipsius libris. Bene uale. Apud R. P. episcopum Basiliensem, tu fac mihi sis epistole uice. Me mini memini semperq; meminero, quantum illi debeam principi. Bruxelle, Calendis Ianuarijs. Anno M. D. XVI.

GLAREANVS DES. ERASMO

Roterodamo S. D.

**S**I quem amas charissime Erasme, quod te amat, certe, ego maxime amandus tibi: nemo enim est, tuto crede, te mihi charior, atq; uti nam tam me posses intus introspicere, q̄ extra sapissime uidisti. Videres profecto alterum Alcibiadem longe antecederet, tantū uidelicet, quantum uere Glareanicus amor uicit Socraticum, siue quantum ego plus tibi debeo, quam

Glareanicus amor.

quam Alcibiades Socrati. Magnum erat, mores à Socrate didicisse, uitam illius monitis emendasse. Atqui ego longe plura à te habeo. Nempe præter alia inuita præcipuum illud, quod me Christum sapere doctum cūisti: neque sapere solum, sed imitari, sed suspicere, sapere, sed amare. Quid queso homuncioni mihi uel utilius, uel dignius contingere potuit? Proinde minime sæparati sumus, beneficia tua in me collata, non sinunt me tui immemorem. Quicquid ago, præsto es, ludit ante oculos meos imago Erasmi, itq; reditq; frequēs, sine te non dormio, non edo, absens ad uirtutes stimulas, excitas pigrum, rudem doces, & putas me posse te non amare? sed qui possem? Lachrymor absentiam tuam, id quod mihi minime uitio dandum existimo; quid enim æque mihi graue? & tam dixi, non abes, sed certe abes: reuera non abes, loqueris enim mihi quotidie: & tamen absens es, quia te non uideo, nec suauissima tua confabulatione fruor; sed & præsens es, quia te audio: nam mihi loqueris, sed ludo, idq; inepte, quia amo, idq; audacter, quia amo: & dum ludo, lachrymor, quia te amo charissime Erasme: atque cum te charissimum appello, dum alij infinitis alijs te onerent, ego unico illo titulo unice te honoro. Quid enim erat dicere,

doctissimum, eloquentissimum, eruditissimū, & quæ  
*Adulatio.* non amor, sed aliquoties καλοειξια excogitauit ple-  
 raq; alia: nullum enim eorum te melius decet, aut ex-  
 primit, quàm quod proxime Christum accedit. Neq; tu tantundem, uel eloquentiæ uel eruditioni me inmit-  
 iussisti, quàm amoris uere Christiano, ac proinde non  
 modo habeo tibi gratias amplissimas, immortales,  
 ingentes, aut quicquid tale uulgus disertorum sesqui-  
 pedalibus uerbis refert: sed quas Christus dignis tuis  
 in me meritis tribuat. Ceterum ut ad epistolam quoq;  
 tuam respondeam, quæ de fortuna ais, eam mihi si te-  
 cum essem, nō posse deesse, Doleo hercule me tecum  
 esse non posse, sed differo tamen non absq; causa. Tu  
 multuatur patria: pax cum Franco nondum compo-  
 sita, quā Angli ne an Cæsarea maiestas remoretur,  
 incertum. Legati Maximiliani adfuerunt, & item  
 Anglorum, non pecuniam, sed aureos montes pollicen-  
 tes, ne Galli Galli coniungamur. Sunt qui suspicen-  
 tur rem agi non iussu Britanni regis, sed τῆς τοῦ αὐ-  
 τῶνος ἰσχυροῦς: sic ego pacem spero, quæ si  
*Arte Imperatoris.* facta fuerit, Parisijs salarium ducentorū scutatorum  
 annue expecto. Præterea habeo mecum domi meæ tri-  
 ginta optime indolis iuuenes, qui annue solui centum  
 & uiginti scutatos, quamuis labori meo non sa-

tis

tis respondeat hoc præmium: illud mi Erasme, cha-  
 rissime parens unice oro, ne damno sit mihi, uel apud  
 te, uel apud alios dominos, amicos forsitan aliquando  
 futuros, non uenisse tam humaniter inuitatū. Nam ad  
 Pentecostes diem si nō erit pax cum Francis, & prin-  
 ceptus tuus (quod uehementer opto) saluus fuerit, au-  
 fim, me hercule, ad te uolare, etiā per medios hostes,  
 interim ne abeam consanguinei & necessarii magno  
 pere rogarunt, nihil tamen certi promitto. Montioij  
 nomen charū esse mihi nō poterit, dum Erasmus cha-  
 rus esse desierit. Quem ut egregiū ac optimū uirum  
 credam, & opera tua, & præsens quondam de eius  
 humanitate confabulatio perucit. Berus cum literæ  
 allatæ sunt, non adfuit: itaq; ex eo nihil cognoscere  
 potuimus. Post discessum uero tuū, adeo sophistæ in  
 me grassati sunt, ut de templorum ualuis chartulas  
 diripuerint, publicæq; Senecam legi prohibuerint.  
 Ego autem ijs inuitis legi, nihil magis ueritus, quàm  
 ne Berus quoq; in suam opinionē traherent: at ipse  
 ut uitaret inuidiam, negotio non se magnopere im-  
 miscuit. Penē tamen carmen meum non misissem, ut  
 pote iuuenile & mihi nulla in parte satisfaciens pro  
 tanto uiro: aut si hoc tanquam adulatorium spernis,  
 pro tanto amico: sed spero omnia confossum iri à te,  
 b s quæ

que spes nisi me tenuisset, eas inceptas in igne cōiectissem. Misi autem & aliud carmē quod de discessu tuo ad Osualdū lusi, hominē tui studiosum, ac acerrimum: meū in sophistas. Alciden: cuius pugnae memini, simul & horologij tui gratissimi munusculi: literas ἐπέγραψεν & ἄλλοις belle incidit Aur. arius, semper interim sericis incubuit. Buschij carmen, qd' mihi summe placet, quanta potui diligentia exscripsi, ex deprauiato uidelicet codice, quare peto, ut tua diligentia excutiat. Salutationē tuā Osualdus, Rhetus, atq; omnes discipuli mei gratissimo animo acceperunt, unoq; ore te rursus salutari iusserunt, te felicem, saluum, incolumen omnes optāt. Iussisti me longum esse cum scriberem, idq; feci, sedulo forsitan magis quā felicitate. Quid enim aliud faciam? ἀλλ' ἔτι ἄριστος ἀδελφωτάτω τῶτος λέγει. Vale charissime Erasme, meum fidus, meum decus, Basileae ex pistriuo meo.

Anno domini 1516. ad Nonas Septembres.  
ERASMVVS ROTERODAMVVS IO  
anni Sapido liberalium artium doctori S. D.

**C**Armen tuum eruditissime Sapide, tam unice placuit toti sodalitia, q̄ tu illi unice charus es. Mibi sanē ut non fuit ingratum: ita uoluptati esse non potuit. Neq; enim uiuus est hominis delectari & erube-

erubescere, nisi mihi forsitan adeo nihil oris esse credis: ut ista tua praeconia citra ruborē legere queam. Verum est, quod tecum exposulē. Tot eruditis iuxtaq; candidis amicis meam cōsuetudinem gratularis: nec mihi uicissim de illorum gratularis contubernio, quasi minus sim ipse felix hoc nomine, quā illi. Nā mihi prorsus in amoenissimo quopiam Museo uersari uideor: ut ne dicam eruditos tam multos, & eruditos tam non uulgari more. Nemo latine nescit, nemo Graece nescit, pleriq; & Hebraice sciunt: hic in historiae cognitione praecellit: ille callet theologiā, hic mathematices peritus est: alius antiquitatis studiosus, ille iuris cōsultus. Iam hoc quā sit rarū ipse nosti. Mihi certe haecenus non contigit in aequae felici uersari contubernio. Verū ut haec sileantur: qui candor omnium, quae feliuitas, quae concordia? Vnum omnibus artium esse iures. Nec est quod compleres te ab hac mensa abesse: ut Platonis more loquar, tam ades quā qui maxime. Nullum prandium, nulla caena, nulla ambulatio, nulla confabulatio sine Sapido nobis agitur. Porro sortem tuam, ut laboriosam esse non negauerim, ita tragicam ut tu uocas, aut deplorandam esse prorsus inficior. Ludi literarij magistrum esse, proximum regno minus est. An tu putas

fordidam

Ad loquen  
dū optimo  
ad dicendū  
imbecilli =  
mus.

Officiū ludi  
magistri  
reip. neces-  
sarium.

fordidā esse functionem, Primā illam aetatem tuorum  
cuiū optimis literis & Christo statim inbuere, totq;  
probos & integros uiros patriæ tuæ reddere? Stul-  
torum opinione humilior est, re longe splendidissimū.  
Etenim si Ethnicis quoq; semper præclarum magni-  
ficumq; fuit, de republica benemereri dicā audacter:  
nemo melius de ea meretur, quā rudis pueritiæ for-  
mator: modo doctus & integer: quæ duo sic in te pa-  
ria sunt, ut nesciam utro te ipsum superes. Iam quod  
in salario diminutum est, Christus ipse de suo pensa-  
bit abunde. Siquidem ipsa uirtus satis amplū sui præ-  
mium est. Neq; uero quicq; moueat animū tuum: quod  
uides quorundam ignauissimo ocio, tantum annui cen-  
sus è publico decretum, qui sibi uiuant, uel principi-  
bus inferuiant, at non ex usu reipublicæ: ei uero qui  
cōmunis est omnium liberorum parens, & in re ma-  
xime omnium necessaria, tantis sudoribus agit publi-  
cum negocium, tam malignum stipendium exolui. In-  
tegrum & incorruptum uirum munus hoc require-  
bat, cuiq; uel gratuita pietas cordi sit. Itaq; magnitu-  
do salarij, dignitasq; proposita sceleratissimū quensq;  
ad hoc negocij pelliceret. Ipse mi Sapiēte dignitatem  
addes ex tuis dotibus, muneri, si parū apud homines  
splendido, certe apud Christum magnificentissimo.

Nec

Nec est quod hanc sodalitatem inuideas Basileæ. Ha-  
bet & Sletstadiū *μυστήριον* suum, fortassis infrequen-  
tius, sed quā multis alijs unum opponere potes Paul-  
lum Volscium Curientem abbatem: Deum immorta-  
lem *que mentis puritas, qui cædor ingenij, qui in pru-  
dens simplicitas, qui studiorum ardor, quā nullum  
omnino in tot dotibus supercilium.* Tales tales opinor  
fuisse priscos illos religionis antistites Antonium, He-  
larionem, Hieronymum. Proinde si numeres contu-  
bernū, per pauci factior estis: sin expēdas, multi, cum  
tot homines tibi præstet unus. Maiorem in modum te  
rogo, fac ut is uir intelligat me sui memorē esse. Mel-  
liūsimam coniugem tuam, nec leue tuorum laborum  
solamen, quouis margarito candidiorem Margaritā  
meis uerbis saluta diligēter. Bene uale Basileæ. 1516.

RICHARDVS BARTHOLINVS

Erasmo Rot. S. D.

Venissē ad te suauissime Erasme, nisi nuncio  
qui crastinam profectioem significauit, impe-  
ditus fuissē: nolui tamen ut tuis fraudareris preco-  
nijs, mitto igitur natalem tuum uersibus & pluribus  
& concinnis celebratum: autor est Gaspar Velus *Gaspar Ve-*  
iuuenis tum latinis, tum Græcis literis non mediocri-  
ter eruditus, aulicus noster, ac nominis tui amantis-  
simus.

simus. Scripsit ad me, ut lineas subijcerem, si qua foret  
 quæ minus feliciter essent composita. Perlegi omnes  
 cursim, dum iterum attentius rem scrutor, quædã in  
 prima statim fronte animi iurati: non quia ferula mea  
 digna uiderentur, sed ut tuum iudicium obuium habe  
 ret, si quid correctioni suæ resarciendũ esset. Ego pro  
 uinciam prosequi haud potui tibi onus incumbit, quor  
 niam in tuinalis laudẽ scripti sunt, ut q̄ candidissimĩ  
 prodeant. De ingenio aut hoc affirmare ausim, me ho  
 minem in Germania similem huic reperisse neminem.  
 Vale, & me & Paulum literarũ tuarum aliquando  
 participes facias.

ERASMO ROTERODAMO

Bouillus S. D.

**T**VUS in Angliam reditus præceptor doctissime,  
 est omnibus amicis tuis Cantabrigianis oppidõ  
 quum gratus: super ceteros tamen mihi longe grã  
 tissimus, utpote qui alijs omnibus sum tibi multis par  
 tibus deuinctior. Itaque quàm libentissime te in Cant  
 abrigia uiderem, ut si non detur multiplicibus tuis  
 erga me beneficijs, ut uellem respondere: animi sil  
 tem promptitudinem (quam solam sermẽ possum)  
 ostenderem: sum enim cupidissimus te uidendi, ac  
 perpe

perpetuo apud te manendi: sed satis prohibeor, ac for  
 tuna adhuc paulo inuiolentior: aliqui quocunq; gen  
 tum abires, certum esset persequi. Hic acriter in  
 cumbunt literis græcis, optantq; non mediocriter  
 tuum aduentum: & hi magnopere fluunt huic tuæ  
 in nouum testamentum æditioni: dij boni quàm ele  
 ganti, argute, ac omnibus sani gustus suauis, & per  
 necessaria: Sed hæc hæc hactenus. Est hic iuuenis qui  
 dam, qui continuis precibus obtinuit, ut se tibi com  
 mendarem, Edmundus Polus arduus, morum per  
 quam candidorum, & tui amantissimus: hic sibi per  
 suasit se futurum felicem, si possit recipi in tuum fa  
 mulitium. Igitur si rescripseris an eum uelis & si  
 gnifices, licet breuissime, me illum tibi commen  
 dasse: quia alias non credet me scripsisse, sicut sæ  
 pius sum illi pollicitus, feceris rem te dignam, et mihi  
 per gratam. Vale huius nostri seculi decus. Ex Cant  
 abrigia, idibus Augusti.

ERASMO ROTERODAMO

Bilibaldus S. D.

**A**Nte quatuor sermẽ menses ad te literas dedi  
 mi amantissime & colentissime Erasime, Cæ  
 terum quia nullum à te accepi respõsum, suspicor uel

MEAS

Comedatio

meas tibi, uel tuas postea mihi literas redditas non fuisse: uerum tamen literarum interim loco, tua clarissima fuit editio, qua non minus sancte & fideliter, quam fauste ac feliciter nouum explanatum est testamentum. Vindicasti tuum nomen ab omni temporis iniuria, perregistique rem non minus deo optimo & maximo acceptam, quam omnibus Christi fidelibus necessariam & utilem. Maeste igitur uirtute, qui negotium cunctis hominibus, a mille annis citra, negatum, absoluiisti. Sed quid ego uerbis tuam extollere doctrinam & eruditionem conor, rem uiribus meis penitus imparem?

Ὅτι δὲ μοι δέησε ἢ γλωσσαι δέησε ἢ σώματι ἐμῷ  
 φωνῇ δὲ ἀρῆσαι τὸς, χαλκίον δὲ μοι ἦτορ ἐνείη.

Vt poeta inquit. Satius igitur uerecunde tacere, quam laudes tuas minus digne personare, quas si nimis frigide tractare uideor, non uiribus, sed imbecillitati meae imputandum erit: sed de his haecenus. Quid uero agas, quam belle ualeas, quid denique parturias, admodum scire desidero, & si tibi molestum non erit, rescribe: ut habeam quod amicorum tuorum incognitorum turbam respondeam, quandoquidem a me quotidie per literas, quid Erasmus noster agat, anxie perquirunt. Vide mi Erasmus, quam audi rerum tuarum ne dicam ingrati simus, qui cum immensa & maiora quam

quam expectare potuissemus, praestiteris: etiam ultra quid quaerimus, & quodammodo exigimus. Verum id uirtuti tuae, non uitio nostro acceptum referas: & bene ualeas gloria & splendor humani generis. Ex Nuremberga XX. Maij. Anno M. D. XVI.

Salutat te iterum Stabius Caesaris historiographus, uir doctus & bonus. Salutant te geminae meae sorores Abbatissa sanctae Clarae una: altera eiusdem regulae sectatrix, quae assidue tua scripta manibus retinent: maxime uero iam nouo oblectantur testamento: quomire afficiuntur mulieres, multis uiris, qui sibi scioli uidentur, doctiores. Scriberent ad te latine, nisi indignas suas existimarent literas.

ERASMO ROTERODAMO IACOBO FABER S. D.

Heri circa crepusculum noctis, praesentium tabellarius me conuenit, & nomine tuo dixit salutem: quae non nisi gratissima esse potuit, sed eo uberiori leticia animum meum oppleuit, quo te intellexi in Germania inter typographos uersari. Publica enim utilitas (ut continuo concepi) & literarum feliciter propagandarum amor: te Britannos deserere suasit, & nobis quidam oppidum quam optabiliter ac utiliter. Quid enim aliud faceres, qui plenus es omnium bonarum

rum literarum: nisi non tibi, sed utilitati publicæ eas  
 studijs ac studiosis propagares, imitator publici solis?  
 Sic namq; mundi sol candidæ lucis plenissimus, non  
 intra se illam occultit, sed omnibus mortaliū oculis:  
 non sua, sed illorum usu manifestat ac ingerit. Quis  
 non suspiciat, amet, colat Erasmus? Nemo non, qui  
 bonus & literatus furit. Ergo qui prorogat uitas; fi-  
la uite tue faciat quàm maxime longæua, ut merita  
 meritis diutius cumulans, serus ad feliciora regna, de  
 toto quàm optime meritis mundo, transeat: non so-  
 lum gloriæ famā posteris relinquens, sed uitam iam  
 cum superis uiuens heroicā. Vale felix: & uiue no-  
 bis & nostro seculo, & ama te colentem & aman-  
 tem, Ex cænobio diui Germani, iuxta Luteciam Pa-  
 risiorum, X. Calend. Nouemb.

VDALRICVS ZASIVS ERAS-  
 mo Roterodamo. S.

**V**ideo magne heros splendidissime uir quo ten-  
 das, qui inhumanitatis nescio quā labeculam  
 in te purgare pergis. Cui magne Erasme persuader  
 res aliqua te parū seruati officij nota laborare? qui si  
 quisquā in orbe, tu unus uel omnium, quæ optima sunt,  
 nedum humanitatis egregiæ honore præ cæteris de-  
 coraris? Sed colligere uideor, quid hac tam officiosa  
 excusatione,

excusatione, ductu uelut figurato pertendas. Mea  
 enim inhumanitas perccllitur, mihi dica scribitur, Dica scribi  
 qui tot iam tempora te cominus uicinū nunquam adie-  
 rim: te uirum in literis principem non conuenerim.  
 Et esset sanè ea res culpe nomine cum primis nota-  
 da, si nulla mihi in statu assumptiōe suppeticæ ferren-  
 tur. Verum inofficiosus ne culper, etas defecta excu-  
 sat, qui ægre meū oppidū in ambulo, nedum ad aliena  
 loca profisciscerer. Accedit lectionis ciuiliis pondero-  
 sa & grauitas & assiduitas: si interim negocia tace-  
 am, quæ tamen me uel diuidūt, ut facile ueniā homini  
 noxiā deprecari cupienti sis daturus, & tum facilius  
 quod uir placabilis, amœni ingenij, comis & totus  
 humanus, à nostro Amorbachio in horas prædicaris,  
 qui in meliora uertas, uel quæ nigra sunt, nedum quæ  
 lucē pati possint, improbes, in amico præsertim, erga  
 quæ nō potest sine piaculo sinistrū esse iudiciū. Vide  
 quo me tuis illis pulcherrimis rhetorijs contrudas:  
 prima tuarū literarū frons permouere me poterat,  
 ut de inhumanitate (si dijs placeret) te excusarē. Sed  
 altius cōsiderans, magnā mei purgandi necessitatē mi-  
 hi impositā inueni: proinde occultiorē illam tuam ar-  
 tem, quid enim tuū est, quod nō artis scētissimæ sit: mi-  
 si persensissem, parū aberat, quin gloriolus mihi,

tuae cōtra singulari eruditioni improvidus patuissent.  
De morsu quorundam quod scribis, noli laborare,  
gloriā, teste Aemilio Probo, sequitur inuidia comes.  
Hoc esse ueræ & primæ eruditionis, & admirabilis  
doctrinæ argumentum, ne dubita, si in popularis lite  
rationis dentes incidas. Hæctuus te ille Hieronymus,  
ut uno uerbo agam, docere poterit. Tandem te per sa  
cra amicitie rogo ad nos uenias. Venies expectatus,  
bonis uiris, quos non parum multos hic offendes. Ego  
tibi hospes ero & desideratus, & præsens, & ad as  
sem uolentissimus, nostrisq; & Gymnasij pluteis in  
scribetur, hic fuisse Erasmum. Vale, & nostrum Bo  
nifacium ama, qui te pro numine colit, utinam ita di  
uina, ita superos, ut Erasmum colat, & iam calculum  
beatitudinis melioris in urnam conieci. Vale orna  
mentū orbis. Ex Friburgo 7. Idus Maij. Anno 1516.  
Parce rudi calamo, tabellarius humeros præsit.

VDALRICVS ZASIVS

Erasmō Rot. S. D.

**H**oc uelut puncto in præsentem tabellariū ma  
gne Roterodame, nostræ ætatis Varro, inci  
di: quem nisi Comitibus meis literis, abire non sum  
passus: licet iam in cardine obeunda ciuilibus lectionis,  
Bartholus & Baldus, cæteri q; id genus illatini auto  
res

res auribus circumstrepent. Tuis elegantissimis li  
teris, me si qua est in doctissimorū uirorum congres  
su beatitudo, planè beatum fecisti: & tanta sanè mihi  
gratificandi simul & respondendi s̄lua in eis offer  
tur, ut alio ad eam rem, & tēpore & loco opus esse  
existinem. Hoc habes, tuam illam, tuam inquam illam  
mellitulam epistolā, toto nostro Gymnasio circumfer  
ri, à scholasticis adpeti, mirari tantos eloquentiæ pu  
ros fontes, mirari Roterodami numē, de coelo desum  
ptum ignem. Zasiū magni fieri, digitis denotari: hūc  
esse cui Roterodamus, cui Cicero Germaniæ nūc æta  
tis nostræ, tam humaniter, tam amice scripserit: feli  
cem, quem eo fortuna dignetur honore, ut Roteroda  
mi preconio referatur: non minus Achille qui Home  
rum Buccinatorem, non minus Augusto, quem Ver  
gilij tuba, non minus Scipione, qui Sillij classico inno  
tuerit: non inquam minus quocunq; qui a uiro lauda  
to, laudatus sit, fortunatum. Ita mihi una hæc epistola  
existimationem auxit: magni uiri conflauit amicitia  
am, & supra Croesi diuitias opulentū fecit. Quæ igitur  
censes Roterodame, tibi sunt agendæ gratiæ? Sed  
aliud, ut dixi, tempus expostulat. Hæc nostra rudior  
epistola, quāuis temere præuolat tamen præcluditq;  
ut interim alio tibi genere quemadmodum gratificer

Digitis de  
notari.

Faunorum  
casula.

cogitare possim. Vale & nostros aliquando, si tu ma-  
gnus Iuppiter Faunorum casulas non dedigneris; la-  
res digneris inuisere, optatissimus nobis hospes futu-  
rus. Bonifacius te plurima salute impartit, cui post  
amena illa humanarum literarum uireta, insuetus  
est ad duriusculos iuris civilis scopulos, callis: sed per-  
uincet ingenium, sedulitas, fides si qua est interpre-  
tis. Vale delitium non dico meum, quod maxime di-  
co, sed uniuersi literati orbis. Ex Friburgo, quinto  
Idus Octobris. M. D. XIII. Non mihi re-  
scribas tantis rebus fatigatus: sat mihi erit, meis ine-  
ptijs uel oculos admoliri.

VRBANVS REGIVS IO. FABRO.

**O**ptima uir illa ego scripsi ex iussu principis  
Hernesti & domini Leonardi Eck, uiri no-  
bilis artium & iurium doctoris, nostri Gymnasij mo-  
deratoris, cui sum familiarissimus, ille nostras literas  
uidit, approbauitq;: praeterea ita expectat princeps  
ERASMV M, ut hunc quem uides tabellarium  
ad Basileam solu illius negocij gratia, ERASMI  
utpote uocandi miserit: quod si animo apud nos ma-  
nendi uenire recusauerit, aureos ducentos quotannis  
si noluerit, & opulentissima sacerdotia respuerit, prin-  
ceps tamen hoc unum petit, confiditq; se exorat uirum

ut uidelicet ERASMV S uisendi Gymnasij causa  
ueniat. Huic itineri mensem impendat, ut a principe  
uideatur, excipiatur, amplexetur, uidere enim ex ani-  
mo ERASMV M cupit. Et sumptus ad iter mi-  
nustrabit magnificos, remunerabitq; uirum liberalis-  
sime, ut uideat principem nihil aequae ac literatos &  
litteras amare, obseruare, suspicere. Denuo uale, haec  
uelut Amanuensis principi nostro, & ipso distan-  
te scripsi, quare ita accipias, ita rem agas ex fide, ac  
si princeps tibi coram loqueretur. Mitto tuae huma-  
nitati Eckij nostri Theologi, honorificentissime de te  
sentientis, aliquot orationes.

ERASMV S ROTERODAMVS

Urbano regio S. D.

**E**xhibuit tuas literas haud uulgaris amicus me-  
us ac patronus Ioannes Faber officialis, sed eo  
tempore, ut non potuerit in te pestiuus: quippe iam non so-  
lu in ipso operis calce simul & capite, tumultuanti,  
sed multorum etiam mensium, perpetuis laboribus  
enecto uerius quam fatigato. Quibus hoc certe de-  
beo quod Urbanum ceperim cognoscere, uirum id  
quod indicant litterae, candidum, prudentem, facun-  
dum, eruditum, in summa omnibus omnium gratia-  
rum ac musarum dotibus undiq; praeditum. Talem prin-

cipem uere magnū, magnopere gratulor nostræ Ger-  
 manie, cuius utinam essent quā plurimi similes, qui  
 ad eas res, quæ semper egregijs heroibus dignæ sunt  
 habitæ, adiciant animum: cui sanè iam pluribus no-  
 minibus debeo plurimum, uel quod tam amanter er-  
 rat in Erasmo, uel quod tā munifice prouocat & in-  
 uitat ad ea quæ mihi studijs omnibus erant ambiēda,  
 si modo liberum esset cuiquam me addicere, postea quæ  
 illustrissimo principi CAROLO, & meo princi-  
 pi sum addictus, idē, suffragijs cōsiliij principalis ex-  
 cepta, seu recepta potius libertate. Quā si uidebo pe-  
 riclitari, cuncta resignaui. Neq; tamen defeci, nec  
 unquā defecturus sum ab eximio Mecœnate meo Ar-  
 chiepiscopo Cantuariensi. Verum in confinio consti-  
 tutus confido futurum, ut utriq; satisficiam patriæ,  
 tum ei in qua natus sum, tum ei in quam sum coopta-  
 tus. Alioqui ne senectutem quidē excusarem, tamen si  
 plus est senij quā senectæ: nam annum ago nō plus,  
 unde quinquagesimum. Sed ætas non annis est æsti-  
 manda, imò uiribus. Quod si feret itineris mei ratio,  
 non grauabor bidui triduiue dispendio, tam eximij  
 principis conspectum emergari. Cuius nomine ut nos  
 inuitasti, ita uicissim illi meo nomine gratias ages, pa-  
 ri facundia: epistole nostræ breuitatem simul & ru-  
 sticitatem

sticitatem excusabunt occupationes: quæ si tibi uere  
 cognitæ essent, mirareris, etiā hoc ipsum qualecunq;  
 est, à me scribi potuisse, tantū abest ut offendereris.  
 Vale, Basileæ sexto Calend. Martias. Anno 1516.

DES. ERA SMVS ROT. PETRO  
 Aegidio suo S. D.

**N**Actus sum hic cubiculū, quod in tanta homi-  
 num frequentia perdifficile est, sed perquā  
 angustū, uicinū tamen aulae, & quo mihi magis com-  
 mēdatur uicinum Tonstallo. Proinde fac, ut primum  
 licebit, libros meos huc transmittas seu nauī, seu uehi-  
 culo, simulq; per alium quempiam scribito, cui com-  
 miseris, & quō iusseris deportari. Pompilius, ut ui-  
 deo, artificem agit, morem uidelicet antiquum obti-  
 nens, quo fero moderatius. Aliquando fortassis usū  
 ueniet, ut par pari referam. Vis audire quod rideas?  
 Quod alijs diu multumq; sudantibus, sepe non con-  
 tingit, id mihi penē obigit dormiēti. Rex catholicus  
 me propemodum episcopum fecerat: ubi inquires  
 non apud extremos Indos, unde tamen aurum attrahit  
 noster Barbirius, præfectus ijs quos nunquam ui-  
 surus est, uerū apud Siculos, Græculos olim, & nunc  
 quoq; dicaces ac festiuos, sed feliciter erratū est, &  
 ex anixi mei sententia, Postea compertum est, eius

honoris collationem ad summum Pontificem pertinere; mox rex literis à Pontifice flagitauit, ut sui respectu sineret eam collationem ualere. Hæc Bruxellis aguntur, dum nos Antuerpiæ ociosi nugamur in literis: atq; id erat, cuius gratia me iusserat euocari Cancellarius: quod si suboluisset, contantius huc commigrassem. Cum aduenienti gratularentur, qui qui erant conscij, beneq; ominarentur, ego nihil aliud quam ridere poteram, & tamen pro animo gratias egi, sed admonitis, ne posthac in huiusmodi negotio susciperent inanem operam, me meum oculum cum nullo, quamuis splendido episcopatu, permutare. Habes somnium, quod rideas, & tamen mihi non displicuit tanti principis animus, qui ferè non fauet, nisi quos probos aut nouit, aut certe putat. Gaudeo mi suauissime Petre, quod te tanta leuarem molestia: iam enim me tui tuæq; uxorculæ miserescibat, nec mihi tamen hoc quicquid fuit molestiæ potes imputare. Animus iste tuus, amore quodam immodico, officijs in me congerendis nunquam sibi satisfacibat, uxor raro tibi, quæ id cum primis habet studio. Nunc absente Erasmo, frueri tua commodius. Quantulum enim est hoc quod nobis adi-

mit locorum seiunctio? Quod ipsum tamen licebit crebris sarcire literis, quas opto ut quammaxime alacres, hilaresq; nobis mittas: sic enim intelligam te recte ualere, quod ita mihi cordi est, ut nihil magis huius rei pars maxima, mihi crede, tibi ipsi in manu est. Pleriq; morbi nobis ab animo proficiuntur, & minus offendèris studij laboribus, si ratioe studia tua modereris. Bibliothecam tuam, epistolas ac schedas omnes incertos nidulos redigas, neq; temere nunc in hunc, nunc in illum autorem rapiaris, sed unum aliquem ex precipuis in manus sumito, non relicturus prius, quam ad calcem usq; perueneris, annotatis interim, quæ digna memoratu uideantur. Certum aliter quod uitæ genus ipse tibi præscribit, quid quibus horis agere uelis. Nec alia super alia congere, nisi prioribus explicatis: ita diem, qui nunc penè totus intercidit, tibi reddideris longiorem. Et quoniam incusas memoriam, mea sententia profuerit, si in singulos annos fastos pares, non est res magni negotij, singulisq; diebus annotes uerbo, si quid extiterit, quod nolis obliuisci. Noni qui hac diligentia plurimum profecerint: in primis egregius ille Franciscus Buslidius, archiepiscopus Besontinus.

Rationem  
studij præ  
stabit.

Ante

Ante omnia uero te rogo etiam atq; etiam, ut in rebus agendis consueſcas iudicio potius quàm animi impetu duci. Si quid offendet, ſtatim diſpice, ſi quàm mēderi poſſis, aut ſi quàm minui queat malum: id rectius diſpicias tranquilluſ, quàm cōmotuſ, ſi quid eſt remedij, utere: ſin minus, quæſo te, quid boni adfert iura, aut moror: niſi quod malum tuapte culpa conduplicas. Obſecro te per amicitiaſ noſtram, nihil tibi ſit antiquius uitaſ & ſalute. Si rem tueri poteſ hac incolumi, tueri: ſin minus, diſpendioſum compendium eſt, rem incolumen præſtare ſalutiſ aut tranquillitatiſ iactura. Deniq; ſi tibi ipſi parū eſt charuſ, uide ne duos eadē perdas opera. Neq; enim aliter nobiſ uidebimur incolumes, niſi te incolumi: quē ego, ſic me deus amet portioneſ mei potiorē ducō. Ne nimium operaſ ſumas in rebus leuiculiſ: Eugax etiaſ & uitreareſ ualetiſ do, non quibuſlibet eſt impendenda, quædam deſpicienda ſunt, & animuſ ad magna erigenduſ. Senecā ac Platonē tibi facito familiareſ: hi ſi crebro tecum conſabulentur, animū tuum non ſinent iacere. Vere magni eſt animi, quaſdā iniuriāſ negligere, nec ad quorundam conuicia habere uel aures, uel linguam. Fac aliquotieſ periculum, quanto pluſ ualeat obſequium, & cordata blandiloquentia, quàm animuſ præcepſ

& im=

& impotens. Patris optimi ſeneſcitem, ita ut faciaſ, officiſ ſubleua, non ſolū quia pater eſt, ſed multo magiſ quia taliaſ pater. Sinceris amicis utere, fictiſ abutere. Cū uxorcula ſic uiuito, ut nō tantū coituſ cauſa te diligat, nec diligat modo, uerum etiaſ reuereatur: ei ſic fidaſ, ut ea duntaxat cōmunicet, quæ uel ad rem domesticam, uel ad uitæ iucunditateſ pertinent. Ita tueariſ autoritateſ erga tuos, ut nihilo ſeciuſ conſuetudineſ domesticam condiaſ morū comitaſ. De liberis educandiſ fruſtra tibi præcipiam, cum tale exemplum habeas à patre. Vides Petre ſuauiſſime, ut tibi conſulam, ipſe mihi parum conſulens, ſed ut ſic inepſtiam tuam compellit amor. Recte uale cum tuiſ omnibuſ. Bruxella. Anno. M. D. XVI. Pridie nonaſ Octobriſ.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Cutberto Tonſtallo, ſereniſſimi Anglorum regiſ apud Catholicum regem oratori S. D.

Plurimum tibi debet noſtra Selandia, quam tua illa tam graphica & nobilitaſti. Sed tamen hoc illi debet, quod te uel ſemiuuim reſmiſerit. Famulitiuſ tuum afflictuſ doleo, Tu uero etiaſ atq; etiaſ cura, ut incolumiſ tuæ reddariſ Angliæ,

glia, ne cæteris rebus ex animi sententiã gestis, hoc partum ex sententiã cedat, quod omnium maxime referebat. Quæ scribis de nostra ad Fabrum Apologia, quanquam scio animo abs te scribi amicissimo: mihi tamen bis molesta fuerunt, uel quod ueterẽ animi dolorem refricant, uel quod tu hac occasione minus aliquanto quam uellẽ, uideris tribuere. Fabro, uiro quouix in multis milibus reperias uel integriorẽ, uel humaniorem. Hac una in re sui dissimilis fuit, quod amicum immerentẽ tam atrociter impetijt. Quis aut omnibus horis sapuit unq̃? Atq; utinã mihi licuisset aduersario parcere. Nunc duobus crucior nominibus, & quod cũ tali amico coactus sim manus conferere, & quod intelligã quosdã de Fabro minus candide sentire, de quo cupiam omneis q̃optime sentire. Porro quod nobis tantũ tribuis, quantũ domi non conspicio, tum amanter, tum tuo more facis, sed non hic tantum largus ac munificus. Theologos Louanienses cãdidos & humanos experior, atq; in his præcipue Ioannem Atensem, huius Academię cancellariũ uirum incomparabili doctrina, raraq; præditiũ humanitate. Non est hic minus eruditionis theologicę quã Parisijs, sed minus sophistices, minusq; supercilij. Bene uale,  
Louanij Anno M. D. XVII.

Erasmus

ERASMVVS ROT. GVLIELMO

Gonello suo S. P.

**N**ihil est mi Gonelle, quod te unius aut alterius inueritus magnopere territet, nisi passim malum uagari cœperit: præsertim cum nunc in Angliã mutare locum, nihil aliud sit quã mutare periculũ, non effugere. Fuge turbæ colluuiem quantum potes. Moderate uiue, sicuti facis. Tuos item à turbæ cõmercio cohibe. Iam instat hyems, quæ solet huiusmodi mederi malis. Intelligo te nimium grauius discrucuari, ac propemodum despondisse animum, quod tibi crumena cum paucis nummis perierit. Primũ quid Musarũ alumno cum pecunijs? Quid Apollini cum Mida? Deinde quid iuueni cum curis senilibus? Deniq; quid est quod tantulæ pecuniolæ iactura Gonelli tangat animũ? Ego cum ante quindecim annos redire in Galliã pararem, uiginti libras in litore Douariensi perdididi, & nondum ingressus nauem naufragium feci, Vniuersas opes semel perdidideram, & adeo non consternatus sum animo, ut alacrior etiam & ardentior ad libros redirem, moxq; intra paucissimos dies prouerbiorum opus edidi. Oblata te Musis mi Gonelle. Pecuniam istam aliqua tibi reddet fortuna, uel cum scœnore. Interim sic existimato,

Erasmi

Erasmi pecuniolas, quantulae cumq; sunt, tibi communes esse. Nostri desiderium non tibi molestius est, quam tui nobis: sed non semper seuiet fortuna. Ioannis mei discessus initio male me habebat. Nunc occalluit animus, ut malim non redire. Quorsum enim attinet beneficium in eos conferre, qui non intelligunt? Nihil aequè perit, atq; quod confertur ingratum: at longe magis perit, quod praestatur non intelligentibus. Ingratus dissimulat: non intelligens, ne sentit quidem. Si quid nouabis, quae se facias me certiore. Cum dabitur colloqui, communicabo tibi, quod spero non ingratum fore, nec inutile studijs tuis. Bene uale. Salutem ex me dices humanissimae matris familiaris, ac ceteris omnibus. Demiror Lupsetum nihil scribere. Audire gestio, quid agat, qui ualeat. Rursum uale. M. D. X.

RICHARDVS SAMPSON REVERENDISSIMI cardinalis Eboracensis apud  
neruios commissarius, Erasmo

suo S. P. D.

Officiosa  
Epistola e.

**S** uel tu Anglice calleres, uel ego aliamquamcumq; stenerem linguam, qua mutuis literis tecum mihi colloqui liceret, mi Erasme huius nostrae aetatis sine controuersia eloquentiae princeps, haud quaquam Latinas ad te darem literas, cum non ignorem esse neminem,

nem, nisi prorsus aut temerarium, aut omnibus eloquentiae numeris absolutum, qui ad te uel cum priscis illis disertissimis uiris conferendum, Latine scribere non uereatur. Tanta apud omnes tuae praecellētis doctrinae reuerentia est, tantam quoq; eximia tua secundia scientiaq; tum diuina, tum absolutissima, uelut singularē tibi attulit maiestatem. Nec ego in praesentiarum ad te Latine scripsissem, planē rudis et totus quidem aduena, quantum ad cultiores literas attinet, nisi me omnino tu impulisses. Etenim in posterioribus illis literis tuis, ad Ioannem Molendinum nostrum (quas mihi tradidit modo nudius quartus lectandas) me cum tuis uerbis salutari iuberēs, non modo patronum, sed unicum quoq; tuum patronum me appellare uoluisti. Vnde sum affectus, non mediocri pudore, cum tamen cetera maxime delectarent omnia. Quis enim nescit te gratissimum (tanta est eruditionis tuae praestantia) et regibus et principibus ipsis? et horum ut quisq; est maximus atq; optimus, ita impensissime fauere Erasmo? Noli igitur post haec rogo me praeter ceteros hominum onerare, tam superbo titulo, Habes tu quidem, si res ita postularit, uel patronos, uel aduocatos, uel amantissimos tui uiros non solū in maxima potestate constitutos: uerum

d etiam

etiam ubiq; gentiū & eruditissimos, & doctissimos. Si mea tamen opera, quantulacunq; sit, tibi olim poterit usui esse (id tibi uelim persuasum) beneuolentio-  
 tiorem habiturus es neminem, uel amicorum tuorum omnium. Me igitur tibi pro uiribus amicum uelim existimes, si tamen inter tuos hūc amiculū digneris ascribere. Quauquam pro tua humanitate, certe scio, uel longe inferiorē non contemnes, quando tantum abest, ut eodem in ludo, quod aiunt, simus docti, ut ego literarum serē experis, tu quidem uel ex confesso princeps omnium sis solus, qui nunc luce fruuntur: id quod ego prestare ceteris dignitatibus iudico. Neque non possum esse tibi amicissimus, cum eos omnes, qui mei sunt amantes, non ignorem tui pariter amantissimos esse. Est enim singulari in me beneuolentia Baro illius stris Montioius, & tibi, ut scis, toto pectore deditus. Prætereo Tonstallū & comi grauitate et rara doctrina uirum. De Pacæo nihil quidem est quod ego referam: cum præter excellentem eius eruditionem, tanta sit etiam in omnes humanitate, ut homine nihil possit optari suauius aut mellitius. Quem ego præter alios (ut nunc est etiam & apud regiā maiestatem, & apud reuerendissimum Cardinalem autoritatis maxime) amicum patronum & aduocatum habeo. Non par est  
 autem

autem præterire Morum nostrum, uel potius omnium, qui quantum ualeat, uel eruditione, uel ingenij festiuitate, neminem fugere potest, qui uel Vtopiam, uel alias illius lucubrationes uelit perlegere. Taceo de ipsius in quotidiana uita facilitate, comitate, facetissimisq; colloquijs, atque omnium honestissima morum probitate. En quales amicos mihi tecum communes, sed ita communes, ut tamen eos mihi non debeas. Quauquā ipse satis es unus, ut te summo opere diligam. Vale, Tornaci sexto Nonas Martias, Anno M. D. XIII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

eximio iuris utriusq; doctori, Richardo Sampsoni, S. D.

**I**ngens ut scribis ornatissime Richarde, uerē ne-  
 cessitudinis argumentū est, quod tot eximios amicos habemus inter nos communes: præsertim cum eos neuter alteri conciliarit. Proinde res occulta quadam factorum uel geri uidetur. Quauquam & alioqui uel benēter sim inhumanus, ni te cum primis amem: qui cum mihi pridem Cantabrigiæ, nuper Tornaci multo iocundissima fuerit consuetudo. Quid enim esse potest tuis moribus mellitius? Iam non inhumanissimus modo sim, uerū etiā ingratisimus: nisi Sampsonē inter  
 Responso-  
 soria.

præcipuos patronos meos affcripserim, qui nec rogatus unquam, nec postulatus mihi nec opinanti, nec expectanti, præbendam Tornacensem pararit. Nam quo minus affcucus sim, non tu, sed mea absentia fuit in causa. Proinde puto me nihilo minus in solidum debere, quod per te non steterit, quo minus possideam. Reuerendissimus Cardinalis perbenigne pollicetur, uerū hæc ætas non moratur lentas spes. Etiam si mihi iam cõtingit, quod huic animo, quod huic ocio satis est. Vehemēter gaudeo uobis probari Paraphrasin, cum primis autem Ioanni Molendino, homini naris emunctæ. Ille tibi meis uerbis salutem annunciat: id officij uicissim nunc illi præstabis, & quidem accurate. Bene uale. Louanij Anno M. D. XVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS  
clarissimo Aegidio Catholici regis  
à rationibus S. D.

**Q**uot ornamenta in uno perdidimus homines? Facile diuino, quo tu animo mortem germani seruas, cum uniuersus bonorum atque eruditorum chorus unice doleat. Sed quid profunt inanes queræle, quid inutiles lachrymæ? Huc nascimur omnes. In Epitaphijs, nec illius meritis, nec meo animo satisfecimus. Lacepsiu Musas, sed frustra. Tot iam annos uersor  
in

in hoc genere studiorum, quod ab æmencioribus illis literis est alienissimum. Vereor aures tuas longe terfissimas. Sed tamen obsecutus sum animo uestro, ne uiderer usquã deesse Buslidiano nomini, Si nõ placent, retentabimus, si qua Musarum tandem adesse dignetur: neque tamen dubito, quin omnes quibus bonæ literæ cordi sunt, hunc unicũ studiorum patronũ pro sua quisque portione, sint immortalitati commendatur. De collegio instituendo caue te patiaris abduci à sententia. Mihi crede, res ea cum omni studiorum generi supra quàm dici possit, conducet, tũ Buslidiano nomini, iam per se multis modis illustri, non mediocrem decoris, ac lucis accessionẽ adiunget. Bene uale, Louanij Anno M. D. XVIII.

THOMAS MORVVS PETRO  
Aegidio Suo. S. D.

**M**i charissime Petre salue, misere cupio equid ut conualescas intelligere, quæ res non minori mihi curæ est, quàm quiduis mei: itaque inquiri diligenter, & omnes omnium uoces excipio sollicitus. Aliquot mihi meliores de te spes renunciarunt, seu (quod opto) compertas, siue ut desiderijs meis inseruiant. Scripsi literas Erasmo nostro, eas tibi apertas mitto, signabis ipse. Nihil opus est quod illi scribitur,  
d 3 tur,

tur, clausum ad te uenire. Versiculos, quos in tabella tam tam inscitè feci, quàm illa scitè depicta est, ad te perscripsi. Tu si digna uidebuntur Erasmo imperti, alioqui Vulcano dedas. Vale sexto Octobris.

THOMAS MORVS ERAS= mo suo S. P. D.

**H**odie literas abs te accepi, simul ad Coletum atq; Rossensem unà cū libello. Curabo quàm primum ut perferantur, ne libellus amittat gratiam nouitatis. Quum epistolā legerem, mirabar cur non ad Cantuariensem quoq; scripsisses, ut rem tuā ipse tractares apud eum, apud quem profecto, ni fallor, nemo alius tantum potest. Quanquam si per me malis & efficacius putas à présente rem agi posse quàm per epistolam, libentius id faciam quàm iusseris: sed non erit perficiendi facultas tam cito, quàm ego tuam rem uellem fieri. Nam hoc solenne est apud nos, à legatione redeuntem, rectè regem petere, nec obiter ad quenquā diuertere. Ad hoc negotia nostra tam lente procedunt, ut uerear ne sit diutius hic morandum, quàm aut sperari, aut è re sit mea: nisi forte nihil uidebitur hic spei, quare sit manendum. Interim tamen si tu uoles, res agi potest per literas: nec dubito quin uelis. Sic agam ergo, ut deponatur huius anni pensio apud Ma-

ruffum

ruffum, et Syngrapha mittatur ad te. Sed de redimenda pensione mihi certe non uidetur agendum: cum quod nemo est qui debeat redimere, nisi is qui, ut ego audio, nihil habet unde possit, tum quod uereor ne archiepiscopus sic interpretetur, tanquàm à nobis animè prorsus abieceris. Quàm ob rem de redemptione rursus cogita: si decreueris, ego non deero. Interim ipse de solutione tractabo, nec mihi uideris facturum male, si tuas etiam literas addideris, id quod fortassis expectat. Gaudeo Paraphrasim sub prælo esse. In uideo mediusfidius Louanio, cui tantum contigit beneficium, quantum, ut uideo, uix agnoscit. Sed is de quo scribis, aut ego fallor, aut nunquàm mutabitur. Tonstallus plene sentit, te nimium bonum esse, qui ei toties deceptus pergas credere. Pacæus adhuc non redit, neque scire possum quando sit rediturus, sed neque comminisci queo, quid habeat negocij. Certe quantum inquirendo cooperire possum, iam diu nihil est, neque cum Imperatore, neque cum Eluetijs, nec tamen licet remigrare domum, quum plus, opinor, quàm annum iam Constantiæ defederit. Miror ab illo non redditum tibi librum. Scribam ad eum hac de re diligentissime. Neque enim quicquam est quod malim perfici, uel literarum causa, uel mea. Vale mi charissime Erasme.

d 4

Erasmus

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Iacobo Fabro Stapulensi S. D.

Montoria.

**D**octissime idemq; optime Iacobe Faber, iam unis atq; alteris literis testatus sum, q̄ acerbè feram hanc ansam obtigisse maledicis, de nobis garruendi. Præsentebam hoc malum nasciturū. Sed quia non erat mihi integrum non respondere, è duobus malis, quod leuius uisum est, delege. Nunc quod unū superest, oro te per Christianam charitatem, per sanctissimorum studiorum cōmunem amorem, per utriusq; famā, quam ex amicitie lege par est utriq; cordi esse, ut cōmuni studio, malo huic quā licet medeamur, ne latius serpat incendū. Vides homines ad malum procliues, undecunq; dissidiorū causas arripere. Nullum est penè conuiuium, in quo non hinc pro Fabro aduersus Erasmus, hinc pro Erasmo aduersus Fabrum disceptetur, præsertim ab ijs, qui rem penitus ignorant. Sparguntur tuo nomine diuersæ uoces, alij prædicāt abs te parari recriminationē, alij negāt dignari responso Erasmi. Rursus alij dicunt te non improbare, quod me defenderim, alij è diuerso incusare temeritatē meā. Ego quod ad me pertinet, haud multū laboro, utrū respondeas nec ne, modo ab odio sis istiusmodi dictis temperes, quæ nec tibi decorū est

in amicitia

in amicum iacere, nec mihi integrum dissimulare. Cæterū molestū est, nostra causa feri dissidia inter Christianos, exultare nostra dissensioe eos, qui tuis æque ac meis studijs infensi sunt. Non uoco te ad palinodiā, licet indignis modis sim lacepsitus, tantū epistola quam testare, te ueri uestigandi studio decertasse, cæterum inter nos animorum esse concordia. Quod si non placet, deniq; malim te respondere: quā silentio tuo partes irritare, modo ea utare temperantia, quæ pristinos tuos deceat mores. Nullus mortalium auidiuit me de Fabro loquentem, nisi tum amanter, tum honorifice. Tantū admirari me fateor, quibus rebus adductus ea in me scripseris. Neq; secus sentio quā loquor, teste Christo. Bene uale uir optime, Louanij

XV. Calendas Maijs M. D. XVII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro ægidio suo S. D.

**P**er nostram amicitiam, qua non potest arctior esse, per tuam incolumitatem, quæ mihi nõ secus atq; mea ipsius est cordi mi Petre, da operam ut reualescas, ut reuersus, te offendam hilarem ac lubentem. Ita mihi demū uidebor reuersus incolumis. Tem nis seruampera uictum, in reditum Adriani tui, cui me hercle de metho plurimū fido. Est aliquid amico uti medico. Interim dus.

d s caue

cave ne crebris pharmacis vires nimium exhaurias. In primis tempera tibi ab omni uehementiore motu animi, ab immodico gaudio, ab intemperanti risu, ab ambulatione grauiore, à studio uehementi, sed ante omnia ab iracundia. Mi Petre, omnia uitæ posthabenda sunt. Fortassis hæc admoneo importunus, sed utinam tam feliciter admoneam, quàm ex animo. Ego meum periculum contemno, modo contingat te reuiuiscere, hoc est firmum ualidumque fieri. Bene uale cum suauissima coniuge, dulcissimisque liberis. Louanij XV. Calendas Maias. M. D. XVII.

IOANNI LASCARI CONSTANTINOPOLITANO Erasmus Rot. S. D.

Hieronymi Buslidij testamentum **V**ir omnibus ornamentis clarissime Hieronymus Buslidius, homo doctus ac potens, et huius regni decus incoparabile, in itinere Hispanico moriens, legauit multa milia ducatorum, ad institutionem noui collegij apud Louanium, Academiam hac ætate cum primis florentem, in quo publicitus et gratis tradantur tres lingue, Hebræica, Græca, Latina, salario satis magnifico circiter septuaginta ducatorum, quod tamen augeri possit pro ratione personæ. Hebræus iam adest, et item Latinus. Græcam professionem complures ambiunt, Verum meum consilium

lium semper fuit, ut ascisceretur Græcus natus, unde statim germanam Græci sermonis prononciationem imbibant auditores. Ac meæ sententiæ subscribunt auctores huius negocij omnes, mihiq; mandarunt, ut suis uerbis accerferem, quem iudicasset ad hoc negocij idoneum. Quare te rogo, uel pro solita tua erga nos humanitate, uel pro tuo erga bonas literas fauore, ut si quem nosti, quem existimes et mihi, et tibi futurum honori, cura ut quamprimum huc aduolet. Dabitur uiaticum, dabitur salarium, dabitur locus. Erit illi res cum uiris integerrimis et humanissimis. Neque minus fidat his meis literis, quam si centum diplomatibus res esset transacta. Inter bonos et absque spongaphis bene agitur. Tu cura ut deligas idoneum, ego curabo ne hominem huc uenisse poeniteat. Bene uale doctissime clarissimeque uir. Louanij, postridie diui Marci. Anno. M. D. XVII.

ERASMVS GONELLO

suo S. P.

**G**Ratum erat tuum munusculum, gratior epistola tua tam amica, gratissimus animus, nihil etiam annum immutatus diutina consuetudinis intermissione. Clementem summæ spei iuuenem meis uerbis admonebis, ut ab intempestuo studio temperet.

Mea

A gratiori actione or-  
ditur.

Memini quā ille sit libro affixus, præsertim ut à no-  
eterna scriptione quantum licet absteineat. & si fors-  
itan ob Cardinalis negocia cogetur scribere, stans &  
erectus scribere assuescat. Nolim hoc ingenium ante  
diem perire, malimq; seruari studijs, q̄ Cardinalicijs  
negocijs impendi. Bene uale. Louanij X. Calendas  
Maias. Anno M. D. XVII.

ERASMVVS ROT. RICHARDO

Pacæo suo S. D.

Gratulato-  
ria.

**O** Vere splendidam uestre Britannie regiam,  
sedem & arcem optimorū studiorum ac uir-  
tutum. Et uobis mi Pacæe gratulor, talem principē,  
& ipsi principi gratulor, cuius regnum tot ingenio-  
rum luminibus illustretur. Utroq; uero nomine gra-  
tutor uestre Angliæ, quum alijs multis modis felici-  
tatem istis sic excellenti titulis, ut nulla regionū cum ea  
queat conferri. Nunc demum iuuat, uniuersam æta-  
tem apud Anglos exigere, ubi fauore principum re-  
gnant bonæ literæ, uiget honesti studium, exulat aut  
iacet, cum fucata personatq; sanctimonia, futilis &  
insulsa doctrina quondam ἐπιεικὴς πρῶτος πρῶτος  
ἀδύνατος. Grocinū deficere doleo, sed rursum ui-  
deo pro uno tā multo breui suppullulatos. Quod  
negocium meum tam amanter egeris, ueterem tuum  
in me

nerudito-  
ruditorū  
uocatio-  
ris.

in me animum libenter agnosco. Vtinam liceret hanc  
prouinciam adendi nouum testamentum alteri com-  
mittere. Verū hoc quicquid est mortarij, quando in-  
triui, mihi totum est exedundum, quæ res istis μα-  
ταίο λόγος uertat male. Vtinā mihi magis incidisset  
in mentem, de hominibus quā de portendis beneme-  
reri. Cum Louanienfibus theologis mihi probe con-  
uenit. Colonienfis academia disidijs in amoenis confi-  
etatur. Dentata charta res agitur. Iamq; & meū no-  
men paulatim admiscet. Cur sitant sursum ac deor-  
sum personati præcones, fœdum rumorem spargen-  
tes in uulgus, impudentissime mentientes, quod illis  
commodum bonumq; est apud eos, qui nihil omnino  
de re norunt, non magis quā ipsi. Dorpius mihi ui-  
detur ex animo factus amicus. Admitar ut ante hyc-  
mem uobis restituar, si modo reditum dabunt superi.  
Paraphrasis rursus excusa est Basileæ. Apologia qua  
Fabrū placo, nuper Basileæ prodijt, cum annotamen-  
tis iam pridem excusa Argentorati. Precor deū Opt.  
Max. ut tibi istum animum te nobis diu seruet inco-  
lumem. Louanij. Anno. 1517. decimo Cal. Maias.

Vaniloqs.

ERASMVVS ROT. HENRICO

Bouillo suo S. P.

**V**ideo mi Bouille tantam hominum peruersita-  
tem & ingratitude, ut propemodum in

animo sit, edito rursus nouo testamento, mihi canere  
 & Musis. Conspirant personati quidam histriones,  
 qui Curios simulant, & procul allatrāt: coram nemo  
 uerbū. Spargunt in uulgus, talibus scurris digna men-  
 dacia, perinde quasi hoc ipsum essent professi, famā  
 alienam mendacis suis contaminare, quasiq; pro hie-  
 rophantis scophantæ esse decreuerint. Nunc mihi  
 nō est ocium, sed si pergant, accipientur ut digni sunt  
 aliquando. Vos istic pro me & Fabro inter uos con-  
 certare doleo. Scripsi nuper homini, ut aut epistola  
 quapiam ædita testetur inter nos conuenire, si pudet  
 Palinodiā *παλινοδία*, aut respondeat si quid habet quod de  
 canere, hoc fendat, modo temperet à tam amicis ac peramicis di-  
 est, Recan- ctis, quibus antehac in me lusit. Nunc illius silētio ma-  
 tare. gis excitari disidiū uideo, dum quisq; pro suo ani-  
 mo suspicatur. Rixarum nullus est finis. Quod si hoc  
 mali coniunctum est studijs, mihi ualebunt potius.

Dormire præstat quàm scribere. Bene uale do-  
 tissime Bouille. Amicis omnibus salutem di-  
 cito, nominatim Vachano & Briano. Lo-  
 uanij IX. Calendas Maias. Anno

M. D. XVII.

ANGLO=

ANGLORVM REGI HENRICO.

eius nominis VIII. Erasmus Ro-  
 terodamus S. D.

Salutem & immortalitæ serenissime rex. Cel-  
 situdinis tuæ munus, multis quidem modis mihi  
 gratissimum fuit, siue quod per se ingens, sicut quod à  
 rege profectum, Præsertim ab eo rege, qui nō minus  
 honestissimarum rerum studio, quàm ditionis opulen-  
 tia sit eximius, cuius probari iudicio magnificentius  
 sit, quàm inaurari munificentia. Tamen hoc nomina  
 mihi præcipue fuit gratum, quod ueteri tuo de nobis  
 suffragio, quo sæpenumero Erasimū nō minus aman-  
 ter quàm honorifice tua maiestas ornauit, ceu pignus  
 quoddā accessisse uideretur. Ac uelut hoc parum sit  
 uisum tuæ erga bonas literas benignitati, ultro fortu-  
 nā offers perpetuā eamq; non mediocrē. Quā equidē  
 adeo nō recuso, ut uel gratis sub tali principe mereri  
 cupiam, apud quem ut quisq; bonis literis uitæq; inte-  
 gritate maxime præcellit, ita gratia & autoritate  
 plurimum ualet. Cuius aula Christianæ discipline sit  
 exemplū, sic eruditissimis uiris celebrata, ut illi nulla  
 nō inuideat Academia. Deū Opt. maximūq; precor,  
 ut & istū animū tibi perpetuū esse uelit, & regno q̄  
 diu=

diutissime tueatur incolumen, ut pluribus annis sub optimo florentissimòq; principe, ueris bonis floreat, uigeatq;. Nos cogimur ædendis uoluminibus noui testamenti, quatuor menses impendere. Eo negotio confecto, totos nos tuæ maiestatis dedicabimus obsequijs. Louanij VII. Cal. Maias. Anno M. D. XVIII.

DES. ERASMV ROT. M. B.

Amico non uulgari.

**A**Mice nō uulgaris, ut iam nunc pro tuo in me studio gratiam aliquā referam, admoneo ne istiusmodi ineptijs bonas horas male conteras, quin potius hoc operæ quod istiusmodi nenijs describendis ac relegendis impendis, euoluendis Hieronymi libris imperti. Mihi nec animus est, nec ocium, omnibus omnium cauillationibus respondere: satis est si probor à summatis, atq; ab ipso adeo pōtifice summo, qui mihi pro laboribus meis per literas gratias egit. Non legi libellū sycophanticum, quem ad me misisti, sed alios eruditos audiui legentes. Omnibus risui fuit, & mihi quoq;, in quem scriptus. Si faues auctori, uel potius sycophantæ. sparge nugas illius in uulgus: nam hoc ambit, ut mecum congressus nobilitetur. Sin mihi faues, preme nugacissimas nenijs. Imò si isti uere faues, nam ipse gloriæ ieiunio, suum ipsius optat malū.

Multi

Libellū sycophanticum

Multi sunt quibus magis opus est Hippocrate, quam redargutore. Cæterū quod uno in loco hæres & ipse de traductione, quamuis uarijs modis me poterā tueri, tamen ut uerbo rem expediam. Donemus hoc loco coniunctionem &, non esse interpretantis: non pro sit mihi, quod in hoc, domum ducebatur uxor, ut concubitu copularetur, uide quā belle hic excusat lapsus. Cum traducere sit cū infamia dimittere, euasit, si traductio significet consensum domesticæ consuetudinis: ueluti si quis cucurbitam usurpasset pro tergo asini, uideatur euasisse, si alius interpretetur illic cucurbitam, non pro tergo asini positam, sed pro clitellis tergo impositis. Quod si quis tergiuer setur traduci hic uulgari significato dictum pro deduci, quomodo traductio significat cōsensum aut traducta consentientem? An idem est deduci & assentiri, ut abducaris? aut quid abductio uxoris sine coitu facit ad consuetudinem matrimonij? Postremo cum consensus ille, quo coit matrimonium, semel in se complectatur, quicquid officiorum uterq; coniugū debet alteri, unde nobis ista traductio à reliquis officijs separata: Consensus conglutinat matrimonium, coitus consummat, traductioni nullus est locus. Deniq; non ipse Petrus Lombardus sic interpretatur, sed obscuro nescio qui, qui

c

offensū

offensi hoc uerbo, ne nihil dicerem; hoc commēti sunt. Quod si uides hæc esse coacta detortaq; fate anur in genue Petrum Lombardum, tradacendi uerbu, quod est apud Mattheum. accepisse pro cōiunctione uxoria, præsertim cū is & alias manifestissime labatur in uocabulis, isidorum aut aliū huic similem secutus. Verū huiusmodi nugis obmissis, oblecta te bonis autoribus euoluendis, qui te non solum eruditorem reddent, uerum etiam meliorem. Hic per me non nobilitabitur: Quod si ipse suas euulgarit ineptias sibi ipsi acceptū ferat, oportet, cum omnibus risui succrit. Bene uale in Christo.

LVCAS PALIVRVS ERASMO

Roterodamo S. D.

**E**Go ne hominem illum grammatorū tuum, maxime & clarissime præceptor Erasme, uacuis ad te redire manibus, ut nullas ad te literas mitterem, arduis licet principis mei detentus negocijs, sinnerem? Qui mihi adeo benignum, adeo humanum te sepe numero præbuisi. Certe ingratiū agerem, si hæc non alta mente reponderem, si gratiam non referrem. At quis parem referet, licet quantūcūq; etiam gratus cum tu ita erga omnes sis, neminemq; non beneficijs accumules, ut nec singillatim, nec gregatim lite-

rarum

rarum amatores, tibi satis dignam quocunq; munere talionem reponere possint. Ego, ne prorsus ingratus sim, quod unum possum facio, & tui memoriam sepe numero apud principem eum refrico: te, ut par est, commendo, & ad caelum usq; laudibus ueho, quas ille cupidissime solet audire, & nonnunquam sic adde me, quasi maligne laudant. Oro superos, ut & multos annos te seruet nobis ac bonis studijs. Alia hoc tempore facere non possum. Vale omnīs, quos uel tellus alit, doctissime, & me ama. Basileæ, decima tertiam Iulij, Anno M. D. XVII.

DES. ERASMVS ROT. LVCAS  
PALIVRO S. D.

**Q**uod recte uales gaudeo: quod nostri non solum memor es, uerum etiam studiosus, habeo gratiam. Quod honestum locum obtines apud aristum omnium optimū, magnopere tibi gratulor. Opto ut tua felicitas quammaxime diutina sit, semperq; maior: ac præcor, ut quod facis, facere pergas, ut Erasmiū integerrimo præsul tuo commendatum reddas, quo nihil magis est in uotis. Utinā orbis haberet multos illius similes. Bene uale, Louanij, pridie Bartholomæi. Anno. M. D. XVII.

Erasmus

ERASMVS ROTERODAMVS

Richardo suo S. D.

**N**ON eò scripseram de Ioanne meo, ut illum  
Tonstallo obruderem, sed ut gratum face-  
rem, si hoc illi fuisset cordi. Animum erga me tuum  
tam amantem ac propensum amplector atque exos-  
culator. Perge mi Ricarde charissime, purissimis mo-  
ribus, puras adiungere literas, quando in hoc esse te  
uideo. Bene uale. Louanij, pridie Calendas Septem-  
bres. Anno M. D. XVII.

DES. ERASMVS ROTERODA-  
mus Georgio Haloino S. D.

**C**Larissime Georgi, tandem olseci, ni fallor,  
quis fuerit ille Gandau, quem nostra offen-  
derit Moria, monachus est, niger est, nihil nisi uen-  
ter est. Primum à paucis intelligebatur, donec Li-  
strius adderet commentaria. Verum ubi per te Gal-  
lice quoque loqui coepit, ab his quoque intelligen-  
gitur, qui nec psalmos suos intelligunt. Optarim  
et ipse audire meam Moriam Gallice differentē: quod  
si tibi non est exemplar, saltem cōmonstra unde pos-  
sim petere. Totus hoc est, cum bibliotheca, Louaniū  
cōmigravi. Cum Theologis altissima pax, atq; adeo  
necepsi

necepsitudo: nam mihi cum illis bellū esse sycophantæ  
quidam sparserant: destinant me in suū ordinē coop-  
tare. Quis hoc non malit, quā in deorum contuber-  
nium allegi? Attensis unice fauet. Dorpius ex animo  
uidetur amicus. Oblatrāt unus et alter τῶν ἁγῶν, .i. Mēdico  
sed in absentem. Accipio Briselotum Antuerpiæ gna rum. Fran-  
uiter ac prorsus bonis lateribus in omnibus compo-  
tationibus in me declamasse. Verum id de uiro tam eos mendi-  
erudito atq; integro, non possum adduci ut credam cantes intel-  
esse uerum. Cura ut optime ualeas, teq; nobis et rei ligit.  
literariæ serues incolumen. Monacho huic, ut uidetur  
probo, raræq; indolis, uel pro tua humanitate, uel  
mea causa, si quid opus erit, commodabis. Louanij  
quarto Calendas Septembris Anno M. D. XIII.

CHRISTOPHORVS EPISCOPVS  
Basiliensis Erasmo Rot. S. D.

**I**ncredibile est, quanta per fusi letitia simus Eras-  
me celeberrime, cum ex hoc tuo grammatophoro  
te ualere accepimus. Fecit enim amor, quem tecū su id est, tabel-  
riori anno Basileæ contraximus, ut tua de ualetu-  
dine curam non gerere non possumus. Et quis litera-  
rum amator non gerat? Nam si quid Erasmo ualetu-  
dinis aduersa iucumberet, opinor et omnes honestas  
disciplinas

disciplinas indoliturus, simulq; totam rempublicam literariam periclitaturus. Timebamus non paruum meo caelum istud nouum durius te acciperet. Quod reuera nostra tibi precaretur patria, si precandi locus esset, non quod tibi inuideat, sed ut caelum nostrum Basilianum reuideres. Et certe nihil aequum in uotis nobis esset, quam ut te sepe praesentem aspicerem, dulcissimamque ac quidem doctissimam tuam confabulationem interesse liceret. Age mi Erasme, si Basiliense tibi caelum plus alijs arridet, sub eodem habitemus tecto, Basileam repectas, nos, & omnia nostra tua erunt. Haec scripsimus ne tui quoniam ab oculis semoti, pectore immemores uideremur. De rebus tuis aliquando ad nos scribe, & feliciter uale. Ex ciuitate nostra Basiliensi, decembris mensis Iulij. Anno Christiani partus. M. D. XVII.

DES. ERASMVVS ROT. PRAESVL

Basiliensi, Christophoro S. D.

**R**euerende praesul, eloqui ut dignum est, uix queas quantopere ueterem istum tuum in me animum quem olim abunde expertus Basilea, nunc rursus tuis ex literis agnosco, uenerat atque exosculer. Ac iam pridem circumspicio, si quod idoneum argumentum nancisci queam, quo simul et tua erga me beneficentia, & meam uicissim in te grati animi propensionem testatam

statam efficiam, etiam posteritati, si quid meae possint literae. Imo quo melius dicam, ut posteritas in te boni praesulis imaginem accipiat, in me seduli clientis exemplum. Sed haecenus unus in tot curas distractus, hinc studijs meis, hinc aule negotijs, uel nugis potius, hinc Theologorum quorundam odijs, meminisse magis poteram officij mei, quam praestare. Nunc cum Theologiae pax est altissima, nisi quod reclamant adhuc personati pauculi, sed procul, & in absentem duntaxat oblatrantes, praesertim ubi calices reddiderint eos difertos. Ab aule me prorsus auulsi. Louanij sedeo, cum caelo satis conuenit. Spero dabitur comoditas animo meo satisfaciendi, nec tamen Basileam excussi animo: sed est, cur hic expediat menses aliquot desiderare. Id quid rei sit, partim indicaui Ludouico Bero. Neque uero me istuc perinde inuitarit caeli uestri amoenitas, atque animus iste tuae celsitudinis, tam in nos propensus. Pro officijs & humanitate, qua Beatum Rhenanum rare probitatis uirum prosequeris, non minorem habeo gratiam, quam si in me ipsum collocasses. De nouis rebus ex aliorum literis cognosces. Bene uale suscipiende pater. Louanij. Anno. M. D. XVII.

DES. ERASMVVS ROT. HEN-  
 rico Stromerio Aurbachio me-  
 dico. S. P.

**E**Ruditissime medice, accepi per meum famulū  
 Iacobum literas tuas multis quidem nomini-  
 bus gratissimas: sed hoc præcipue, quod reuerendi  
 præfulis honestam de nobis opinionē ac propensum  
 fauorem, simulq; singulare quoddam tuum erga me  
 studium testentur. Erat animus inscribere archie-  
 piscopo Suetonium, aliosq; qui Caesarum uitas de-  
 scripserunt, à me post omnes non temere recognitos:  
 sed erat cur id fugerim. Nondū ullum illius in me of-  
 ficiū sum expertus: sed tamen cum audio celsitudi-  
 nem illius tanto animo fauere bonæ spei ingenijs, ar-  
 bitror omnium eruditorū esse parteis, ut talē heroem  
 laudibus uehant: mihi quoq; hoc magis suspiciendū,  
 quod rebus pijs ac sacris faueat tantus princeps: quō  
 quidem animo si omnes essent præditi, melius, ni fal-  
 sor, cum rebus humanis ageretur. Porrò quod hor-  
 tatur ad describendas diuorum uitas, utinam si-  
 cut premium pollicetur, ita possit huic corpuscu-  
 lo uires ad id negocij iustas addere. Iam annum ex-  
 cessi quinquagesimum, & ualetudo perquam est im-  
 becillis, & distringor uarijs studiorum laboribus. Si  
 postea

posthac continget isthac facere iter, cupidissime fru-  
 ar optimi principis conspectu, tuāq; consuetudine.  
 Bene uale Stromeri doctissime. Louanij, natali Bar-  
 tholomæi, Anno M. D. XVII.

DES. ERASMVVS ROT. ANGLIAE  
 Regi Henrico octauo. S. D.

**I**nclite rex, inter innumeras ingenij tui dotes uere  
 regias, planeq; heroicæ, quibus laudatissimū pa-  
 rentem Henricum eius nominis septimum, non referens  
 modo, uerum etiam superas, alius fortassis aliud mira-  
 bitur, at laudibus uehet. Mihi nihil non suspicienti, il-  
 lud in primis probatur: quod cum ipse pro rara qua-  
 dam animi perspicacia sapias plurimum, tamen pru-  
 dentum & eruditorū, ac potissimum eorum, qui ne-  
 sciant ad gratiam loqui, familiaribus colloquijs gau-  
 deas, perinde quasi Sophocleum illud alicubi legeris,  
 nec dubito quin legeris, Σοφοῖ τὴν πρῶτον ἢ σοφῶν  
 σωσοῖα, id est, Reges sapientes redduntur, sapien-  
 tum hominum consuetudine. Cum primis autē, quod  
 inter tot regni, imò mundi negocia, nullus tibi penē  
 dies abeat, in quo non aliquam temporis portionē li-  
 bris euoluendis impertias, cumq; priscis illis sapien-  
 tibus colloqui gaudeas, qui minime omnium assentan-  
 tur, atq; his præcipue libris, unde cordatior, melior,  
 e s regnoq;

regnoq; utilior discedas, longè dissentiens ab istorum  
opinionè, qui existimant egregios principes à nulla  
re magis abesse oportere, quàm à libris studioq; phi-  
losophiæ: aut si quid etiam attingendū sit librorum,  
nihil nisi ridiculas, & uix mulieribus dignas fabulas  
meraq; stultitiæ ac uitiorum irritamenta legi oportere:  
perinde quasi hæc duo ex diametro inter se pug-  
nent, sapere, & principem agere: cum ita inter se  
cohereant, ut si alterum alteri adimas, nihil iam re-  
linquas, præter inanè principis titulum, Cenotaphio-  
rum instar, quæ nomina tantum & stemmata foris  
ostentant, cum intus uacua sint. Porro quemadmodū  
cordatus et pius princeps omnibus sapit, omnibus ui-  
gilat, omnibus prospicit in commune, ut qui publicum  
negociū gerit non suum: ita par est, ut huius curas ac  
solicitudines pro sua quisq; portione uirili conetur  
adiuuare. Et quo latius imperat, hoc magis eget hoc  
officiorum genere. Eximia quædā inter mortales res  
est monarchia, ac planè numinis instar, sed homo ta-  
men. Ego uero, quando solis literulis meis hoc officij  
pensum possum uagibus persolvere, pridè libellum  
Plutarchi de ratione dignoscendi adulatorem ab ami-  
co, è Græco Latinum fecisti, uaq; maiestati dicaui per-  
tuum Cardinalem, qui tibi in regni administratiōe id  
est, quod

est, quod olim Theseus Herculi, aut Achates Aeneæ.  
Verum quoniā id temporis in medias bellorū procela-  
las, publica quædā, ac fatalis orbis Christiani tempe-  
stas subito te abripuit, non satis uacabat, opinor, lite-  
ris attendere, cum res ferro esset agēda. Nunc igitur  
eundem, licet iam orbi publicatum, ac tertium typis  
excusum, ad tuam celsitudinem, mitto, neq; id absque  
scenore. Siquidem adiunxi Panegyricum Philippi Cas-  
tellie regis præconem, cuius memoriam scio tibi sa-  
cro sanctam esse, quippe quem olim puer iuuenē fra-  
tris uice dilexeris, quemq; optimus parens tuus non  
titulo tantū in filium adoptarat. His adieci principis  
institutionem, quam Carolo regi catholico, recens in-  
augurato principatui, nuper obtuli. Non quod is no-  
stris monitis magnopere egeret, sed quod, quæadmo-  
dum in magnis tempestatibus, quantumuis periti gu-  
bernatores, se uel à quouis admoneri patiuntur, sic  
princeps tot regnis destinatus, nullius omnino consi-  
liū debeat aspernari, quod sedulo proferatur animo,  
secuturus quod ex omnibus factū optimum iudica-  
rit. Quod autem usquam fretum tantos habet mo-  
tus, quantos habent tumultus ample ditiones? Aut quæ  
iniquam tantas in mari tempestates uidit, quantas re-  
tum humanarū procellas paucis hisce annis uidimus? Fretum, i.  
Et ad aquæ.

Et adhuc grauiores imminere uidentur, ni res, principū sapientia pietateq; cōponantur. Postremo quando in consiliariorum ordinem ascitus eram, uisum est protinus hoc officio meo respondere muneri, & non una aut altera in re consulere, sed consiliorum omnium cœu fontes quosdam ostendere, egregiæ quidem indolis, sed adhuc puero principi. Nam ut tuæ maiestati monitis eiusmodi sit opus, tantum abest, ut qui attentius tuam imaginem contempletur, absoluti principis simulacrum ad tui exemplar possit effingere. Misi tamen, quod scirem, ut nihil aliud accederet, duorum tibi clarissimorum regum cōmemorationem non iniucur-

*Laus regis Francorū.* dam fore. Deinde quod ea p̄cepta, si salubria suadent, regibus omnibus cōmendabuntur, aut regum filiis, si senserint tibi, regum qui hodie uiuunt, omnium cordatissimo, incorruptissimo, florentissimoq; non displicuisse. Postremo ipse ingratitude culpam utcumq; effugero, si non desinam tuæ maiestatis erga nos studiū, qua possum sedulo testificari. Quid enim illi non debeo, toties ornatus testimonio uocis tuæ? Ad hæc, cum isthic essem proxime, tam benignis cōditionibus inuitatus, tum ultro, tum regia prorsus comitate, quādo hoc ipsum pro magno habeo, quod huic homuncioni talis ac tantus princeps faues, quod agnos-

scis,

scis, quod amas. Maiestati tuam quā diutissime in-  
Modeste  
columnen ac florentem tueatur principum princeps, admodum  
Opt. Max. Iesus Christus. Antuerpiæ, Anno 1517. Erasmus  
postridie natalis diuæ uirginis. se homicid  
nem uocat.

DES. ERASMVVS ROT. IACOBO

Fabro S. D.

**Q**ui nostrum utriq; bene uolunt, optime Faber utriusq; uicem dolent. Tuā cui tam sinistore, ne scio quis, deus immiserit in animum, ut cum nihil esset cause, tam odiosa disputatiōe me lacefferes, atq; ita lacefferes, ut mihi non esset integrum obtescere, nisi simul omnia illa crimina agnoscerem, sermonem Christo deoq; indignissimum, & sermonem seipsum undiq; elidentem, & omni ex parte sese falsum esse declarantem, & sermonē intelligentiæ prophetiæ aduersantē, & sermonem pro pestiferis Iudeis facientem, unaq; cum illis Christum contumelijs afficientem, & sermonem Anticyris dignum, & sermonem, cui si pertinaciter hærerē, hæreticus essem, aliq; id genus tam multa. Nam unum aut alterum eiusmodi telum fortasse dissimularem. Meam uero, qui alias occupatissimus, & ab hoc scripti genere maxime abhorrens cōpulsus sim cum homine mihi longe charissimo decernere. Ex aduerso gaudent, qui nobis

*Expostulatoria.*  
*Vide autoris puerbi.*  
*um: Nauiget Antycyras.*

nobis ac rectoribus studijs male uolunt. Habet quod utriq; obijciat, quo utriq; fide abrogent, quo sua in-  
 scitiam cōsolentur. Christum mihi parum propitium habeam, nisi non solū hanc necessitatem, uerū etiam hanc uictoriam, quam omnes uno ore mihi tribuunt, odi. Quā ob rem mi Faber, per omnia quæ tibi sacra sunt, rogo, sit hic impij certaminis finis. *πάλιν ἄρα μὲν ἄμεινον ἢ ἡμετέρας ἰσομεν.* Quod si omnino placet cum Erasmo confluere, ab ijs uerbis temperato, quæ dissimulari non possunt. Nimum delectauimus istos ueteris in scitio mystas. Mitto ad te libellū, si forte nōdū uidisti: perlege attentius. Deinde te ipsum tibi in consiliū aduoca: nec aliena instigatio te, perpellat eōs quod postea pœniteat peruenisse, & tuorū colibe sty lum. Ego meos hæcenus cohercui. Agamus pura ue-  
 req; Christiana sinceritate. In me nihil fieri reperies. Bene uale. Louanij tertio Idus Septembris. 1517.

HERNESTO BAVARIAE DVCI

Erasmus Roterodamus S. D.

**N**uncupatio. **S**haustus facundie fons fatetur eloquentie uenā sicillime inarescere, ni cotidiana legēdi dicēdiq; exercitatione sufficiat, Herneste princeps, non tantum imaginibus in clyte quæ mihi credis accidisse, cui cum

uix tenuis quidā orationis riuulus contigerit, iā anni cōplures in eo studiorū genere consumpti sunt, quod adeo ad expoliendam orationem non facit, ut quamlibet etiam benigne fluentē copiam possit extinguere, ac dictioni quantumuis nitenti, situm ac rubiginem obducere. Quid enim utilius ad tuendam rhetorices politiam, q̄ tumultuaria lectione sursum ac deorsum per omnes autores, eosq; interim inconlitos raptari? Quod usq; nobis faciundū fuit in nouo testamento, in eudendis ac recudendis Chilia libris, in instaurandis Hieronymi libris. Proinde quo contractam hisce studijs orationis, uel scabriciem, uel inopiam aliqua ex parte corrigeremus, dum proximo uere Britanniam adirem. Quintum Curtium itineris ac nauigationis comitē adunxi, qui mihi olim puero lectus, mire candidus ac tersus est uisus, nec alius sanē uisus est ex tanto regustatus interuallo. Dolet mihi autorem lectu dignissimū ἀκρίφαλον nobis superesse, nimirū duobus primoribus libris amputatis, ultimo pluribus in locis trunco mutiloq;. Risimus interea Græculā in historia uanitatem, quam tamen Q. Curtius subinde temperasse uidetur, Et tamen cum huc omnes ingenij sui Alexāder neruos intenderint, ut eximium quendā & inimitabi Mag. notalem principem depingerent, quid aliud nobis q̄ toties tur-  
 furiosum,

furiosū, sed ubiq; felicē orbis prædonē descripserūt?  
Neq; enim ille periculosior erat uino temulentus, q̄  
ira atq; ambitioē. Et quo felicior erat impotentis ani-  
mi temeritas, hoc erat rebus humanis perniciosior.  
Mihi certe non magis placet Græcorum historicorū  
Alexander, q̄ Achilles Homericus, pessimum uterq;  
boni principis exemplar, etiam si quæ uirtutes tot uī-  
tiji admixtæ uideri possint. Videlicet operæ precium  
erat, Africam, Europā, Asiam tot misceri cladibus,  
ut unius furiosi iuuenis animo mos gereretur, cuius  
ambitioni nec orbis hic solidus erat satis futurus. Be-  
ne habet quod illi pesti fortuna, cæteris in rebus ni-

Q. Curti<sup>9</sup> mium indulgens, longæ uitæ negarit. Locos aliquot  
castigatus obiter annotatos correximus, addito elencho, qui po-  
scholijs tiffimum indicaret, si quid noue dictum apud hunc  
ab Erasmo scriptorem extaret, ne desit quo placemus. *Ἰστορικῶν*  
illustratus. *Ἰστορικῶν* quosdam, qui ad singulas pene uoces nobis so-  
lent obstrepere, clamitantes, apud probos autores  
nusquā inueniri. Hoc quicquid est uel fructus uel stu-  
dij, tibi uisum est dicare, quo testaremur nos uel me-  
mores esse principis, cui tum ipse priuatim plurimū  
debeo, ut à quo fuerim pridem amplissimis conditio-  
nibus prouocatus, tum publice debent omnes bonarū  
literarum mystæ, quas tu sic ornas clarissimis matio-

rum tuorum stemmatis, sic morum integritate com-  
mendas, sic benignitate foues, sic autoritate tuesis, ut  
breui nihil sit illis futurū felicius, si cæteri principes,  
omissa bellandi rabie, tuum exemplum æmulentur.  
Bene uale. Anno M. D. XVII. pridie Nonæ  
Nouembris.

DES. ERASMVVS ROTERODA-  
mus Nouomago S. D.

**D**emiror te nihil scripsisse, cum scripserit ipse  
præsul. Neque enim opinor te sic occupatū, *Expostula*  
ut non uacarit: neque tam fortunæ successu elatum, *toria.*  
ut ueteres congerrones s̄ studiosas, quod tamen optarim  
ita esse. Libellū de querela pacis optimo præsuli non  
displicuisse, magnopere gaudeo, & iam nunc fructū  
eius laboris abunde magnū percepisse me puto, quod  
is amplectitur, cui unice probari cupiebam. Para-  
phrasī ad metam properat. Liber exiguus, sed ne-  
mo credat nisi periculo factō, quantis sudoribus mihi  
constiterit. Mittetur simulatq; fuerit absolutus Theo-  
dorici formulis. Sed audi rem ridiculam. Nuper qui-  
dam expeditus accurrīt, annuncians sacerdotium me-  
um, quod haberem Traiecti æstimatum quatuor Phi-  
lippeis, si uellem numerare. Primum gaudebam, som-  
nians nouum aliquod collatum, deinde mirabar quid locus.

f rei

rei esset. Postremo sensi nomen cōmune fuisse causam erroris. Est enim hic alter Erasmus iuris doctor, ad quem scriptas literas insciens nuper legi, putans ad me scriptas. Deinde cum nihil illic esset, quod ad me pertineret, suspicabar me rideri à quoptā, donec Barbiriū ea suspicione me leuaret. Caue ne dominus accersat me his mensibus hibernis. Sic enim uersor in nouo Testamento, ut nec digitū latū liceat discedere, & certū est his mensibus absoluerē. Philippo tantū hortator ad literas esse possum, quod deserimus in uis ædibus uiuere. Nihil est Næuio meo in hac Academia uel eruditius, uel melius, uel festiuis, uel deniq; sincerius, nec unquam uixi magis ex animi mei sententiā. Bene uale, Louanij XVI. Calend. Decembris

## ERASMVVS ROTERODAMVS

Barbiriō Suo S. D.

**Q**uam timeo mi Petre, ne felicitates Hispanice tibi ueterum amiculorum obliuionem inuehant. Quamquam id quoq; malim accidere, quam si qua calamitas idem efficeret. Mortem Buslidij ex animo doleo, et hoc magis doleo, quod ante discessum illo tam frigide sim usus. Legatum de tribus linguis dici non potest, quantum opere probem. Et iam bona quædam fortuna adest Hebraus, suarū literarum longe peritissimus

peritissimus, cum meo tum omnium iudicio. Quod si hoc negocium initio magnifice, perq; celebres uiros in situatur, mirum dictū, quantum gloriæ sit nostræ regionis allaturum. Marcius mihi pecuniam è Selandia iam miserat, cum tuæ mihi literæ redderentur. Præterea nihil accepi neq; literarum neq; pecuniæ. Si nihil mittetur, te incolumi, feram utcumq; incōmodum. Sin, quod prohibeant superi, casus aliquis Barbiriū nobis adimat, non potero ferre tam multiplicem iacturam. Quare te etiam atque etiam oro, da operam ut ualeas. Versamur nunc in collegio Liliensi, cum hospite omnium humanissimo, Næuio Hontiscotano. Nouum Testamentum pulchre processit, absolueundum intra tres menses, adiutore deo. Fabro respondimus, quantum licuit, citra stomachum. Nondum satis admirari possum, quid homini uenerit in mentem. Nisi illi libellū, nihil adhuc responsum est. Imposuit illius simplicitati instigator aliquis. Atq; utinam mihi licuisset dissimulare. Episcopus Traiectensis ad me scripsit, significans se accituum me, simulatq; à Transiulanis redierit, declaraturumq; quanti me faciat, sed det. Vide frustra canit. Paraphrasis in epistolam ad Romanos prouerbū eleganter excuditur. Par est, ut Paulus Romanis pauulo magis Romane loquatur. Opus mire probatū eruditū. Frustra ca-

Adiutore  
Deo

ditis. Oro te per sacram Theologiam, fac sciam quid ualeat optimus ille meus Meccenas, in quo uno summa spei mee sita est. Si unus pergit sui similis esse, omnia pergam recusare, quæ aliunde offeruntur. Adhuc meo succo uiuo, præter trecentos, aut paulo amplius flores, quos ex illius, aut principis benignitate recepi. Neque dubito de eius animo, modo tu commonefacias. Saltem fac nos per literas Hispanicarum felicitatum participes, nisi hoc quoque nobis inuides. Tristissimus rumor huc allatus, me penè exanimauit, Briselotum ex humanis excessisse. Verum quando non constat, opinor uanum esse. De doctissimo doctore Iodoco simile quiddam nunciabatur, opinor occasione mortis Buslidiane. Nisi apud Hispanos aliquid tale passus es, quale ferunt Vlissis socios passos apud Circen, fac me diligenter commendes patrono meo unico Cancellario, cui scripturus eram, sed puer ille balbus, opinor, cognatus uxoris, uix semihora, prius quam abiret nunciatus, significauit abitum grammatophori. Bene uale mortalium charissime, & anime plusquam dimidium mee Præsule Theatinum saluta meis uerbis, & episcopum Marlianum. Guido Morilonus ubi sit nescio, & tamen scire cupio quid rerum gerat. Louanij postridie omnium sanctorum. Anno M. D. XVII.

Erasmus

Osualdo S. D.

**A**Mice candidissime, multo gratissime mihi Ad Osualdum tuæ fuerunt literæ, quibus etsi contracte redum Mico scribo, amo tamen effusissime meum Osualdum, uel nium Luquod nobis adeo faueat, uel quod Glareano non scernanum. mel meo, Theseus sit, aut si quid Theseo fidelius. Perge mi Osualde, literarium quoque decus Eluetie tuæ, iam olim armis inclitæ, undicare. Noshinc pestis abi git, cui maximam malam pestem imprecor. Bene uale, Basileæ VII. Calendas Septembres. Anno. 1518.

VDALRICVS ZASIVS CAESA

rei iuris professo, Erasmo

Roterodamo S. D.

**R**Ecte Iulianus noster, magne Erasme, impossibilia non modo difficilia iudicat, quæ non nisi cum principe explicari poterunt. Hoc enim in me ipso experior, qui rem tecum literariam ideo explicare supersedeo, quia cum optimarum doctrinarum principem agendum uideo, qui cum congregari, si non impossibile, est tamen admodum difficile. Proinde nulla me in ciuilitatis nota expende, quod nihil adhuc tibi literarum dedes im. Nec enim temere princeps aduendus

f 3 est,

est, tametsi multa in te & uidi, cum tecum essem & sum erpertus, quæ solum scribendi præberent. Prima me frontis et oculorū, & nescio cuius herois maiestas ita conterruit, ut tametsi pulchre antehac præmeditatus, qui te exciperem, coram tamen positus labra ægre mouerem, ut uelut tubans & interstiens, dimidiata & mutila uix uerba præloquerer. Hic primus congressus cum male habuisset, nihil postea in me secutum est, quod eum præstaret hominem, quem tu putabas. Diuinabam hoc futurum, sed uolui omnino te uidere, etiā cum fama meæ iactura. Pluris enim mihi fuit præsentia tua, uel cum attenuatione mei, quàm falsa opinio, quæ absenti tibi maiora in Zasio ementiretur. Compositos tuos gestus, uerba facundissima, & uelut riuos uiuo fonte lepide fluentes, humanitatem admirabilem, grauitatem comitate pulcherrimam conditam, quis non uidere, quis non admirari, exosculari, uel cum iactura aliqua cupiat? Itaque iudicato de me ut libeat, sum enim in ordinem redigendus, etiam tamen quam ago, uitam quam spiro, lucrificasse mihi uideor, qui hunc hunc Erasmodum, hoc hoc numen uidi, quo post Cicerones et Fabios doctiorē nulla etas habuit, qui diuinis humanisq; doctrinis, & admirabili eloquentia te præiret. Contemni abs te cum humani

tatis

tatis censura, pluris facio, quàm laudari ab alijs, dum ab me non deficias, dum in numero clientū tuorum me esse permittas. Vale, & Bonifacio uere Erasmodico homini, bene uelle non desinas. Beato Rhenano humanissimo amico, & Amorbachijs (dij boni, quàm egregijs, quàm disertis animis) omnia fausta precor. Ex Eriburgo, Idibus Augustijs. Anno M.D. XVIII. Parces impolite scribenti, distorsere me, quæ cudo in Feudales usus, forte noua opera, ut transuorsum distracto ingenio, non essem meus. Tuus Zasius.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Vdalrico Zasio S. D.

**N**on possum obtinere uir inter bonos optime, & inter doctos doctissime, quin in tuis ad me literis tui similis sis, semper mei me dissimile facies, ex humillimo magnam, ex infortunatissimo felicem, ex uix triuialiter literato uerius quàm erudito, omnis doctrinæ principem, atque ut semel finiam, ex musca elephantū, quod Græcis est in prouerbio. Et tamen fūueo simulacro, quo me depingis, præclare magisq; apte, ueluti si Apelles quispiam egregiam picturam, omni artificio elaboratā proponat, sed quæ ad exemplar nō respondeat. Neq; enim quicquam est quod ex

f 4

eo mihi

eo mihi possim agnoscere. Verū quando in Zafij mor-  
res non cadit ulla fuci suspicio, patiar te tuo indul-  
gere uel amori, uel ingenio, modo mihi uicissim per-  
mittas, ut meo obsequar pudori, qui soleam amicos  
effusius amare quā prędicare: aut si quando resita-  
tulerit, malim apud alios quā corā. Deniq; si inci-  
derit, ut corā quoq; sit faciendū, malim aliquanto  
parcius. Sed quā, obsecro, iacturā mihi narras? Cum  
antehac de Zafio pręclare senserim, tanē ex nostro  
congressu tantum accessit meæ de te opinioni, ut mihi  
uidear magnitudinem tuam hactenus prorsus igno-  
rasse. Ego iureconsultum duntaxat expectabam, in-  
signem quidem illum & admirabilem, sed tantū iure

**Laus Zafij** consultum. Quid autem est in Theologorum myste-  
rijs, aut etiam palęstris illis, quod tibi non erutū, non  
excussum ac meditatatum esse uideatur? Quę philoso-  
phię pars est, in qua non ita uersatus sis, ut in ea sola  
uersatus uideri queas? Aut quis omnino liber est, seu  
ueterū, seu recentium, quem non euolueris, non intro-  
spexeris, non imbiberis? Quin & arcana illa, quę  
uere pium ac sanctum reddunt hominem, comperio  
tibi non uulgariter esse obseruata. Iam eloquentiam  
tuę literę licet neglectim, & plusquā ex tempore  
scriptę, satis prę se ferebant: at non expectabam di-

ues istud & excuberans orationis flumen, nusquam  
non paratum, quicquid undecunq; incidisset. Deum  
immortalem, qui sermonis nitor, qui fluxus, quā se-  
lix, quā ultro scatens, quā non accersitus, quā  
non affectatus: Extemporalis cōfabulatio stilum tuū  
ęquabat. Quis non admiretur cani capitis tam uirēs  
ingenium? tam pręsentem paratamq; rerum omnium  
memoriā? Nihil enim dicam de moribus, quibus neq;  
grauius aut integrius quicquā esse potest, neq; sua-  
uius. Adeo mire totū Zafii temperauit, artifex opti-  
ma philosophia. Sed penę imprudens laudum tuarū  
campū ingredi cęperam. Etiā atq; etiā te rogo, ut ali-  
quando tandē expolitissimas lucubrationes tuas sinas  
in lucē exire. Patere hoc utilitatis studiosis bonarū li-  
terarū accedere, patere hoc decoris nostrę adiungi  
Germanię, cui nunc notissimū est Zafij nomen, sed di-  
gnū quod uniuerso innotescat orbi, posteritati quoq;  
celebre plausibileq; futurū. Cetera quę ad hanc rem  
pertinēt, ex Bonifacio Amorbachio, iuuenē omnibus  
rebus affatim expolito, cognosces. Nostrum officii si-  
cubi desiderabitur, ita pręstabimus, ut nos ex animo  
tuos esse intelligas. Bene uale doctissime doctor, &  
amice incomparabilis. Basileę, decimo Cal. Septemb.  
Anno M. D. XVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Aegidio Buslidio S. D.

**O**Rnatissime Buslidi, postea quàm fatum nullis querimonijs aut lacrimis uerti potest, utinã quæ posteritati, & immortalis laudatissimi fratris tui Hieronymi Buslidij memoriæ gloriaeque debentur, ita succedant omnia, ut hac sanè parte coepit succedere. Comodũ huc appulit Adrianus genere Hebræus, sed religione iam olim Christianus, arte medicus. Hebræicæ literaturæ totius sic peritus, ut mea sententia non alium habeat usquam hæc ætas, qui cum hoc cõferri possit. Quod si meum iudicium in hac re non satis habebit apud te ponderis, idẽ testantur uno ore omnes, quotquot uel apud Germanos, uel apud Italos cognoui huius lingue peritos. Neque solum callet ad plenum linguam, uerum etiam in ipsis autorum adytis est diligentissime uersatus, ac libros omnes sic habet in promptu, ut digitos unguetque suos. Is ipse est, de quo tibi nuper mentionẽ fecit Bruxellæ Ludouicus Vacus. Exposui Theologis qualis sit, neque dubitarim meo recipere periculo, hunc unum esse hæc ætate, qui nobis fuerit uotis omnibus expetendus. Eum postea quàm deus aliquis propitijs ultro nobis obtulit, nostri numeris esse uidetur, ut oblatum modis omnibus retineamus.

mus. Non meum ago negociũ, sed impense faueo memoriæ benignissimi patroni, & amici incomparabilis. Faueo publicæ temporũ nostrorum felicitati, cui & ipse pro mea uirili, tantum uigiliarum impendi, atque etiamnũ impendo. Adest ipse iam dudũ apud nos hortatu modo dicti Ludouici. Impera tu Erasmo, si quid iudicabis à me præstari posse. Bene uale, Louanij postridie Lucæ. Anno M. D. XVIII.

GERARDVS NOVIOMAGVS

Erasmo Roterodamo S. D.

**A**Nte horam unam aut alteram quàm Campis oppido, Dauentriã uersus proficisceremur, accepi literas tuas priores, tum in colligendis sarcinulis occupatior, attamen præsuli nostro & libellũ, & literas tuas ostedi. Literas ad te ipsius nomine, ut iusserat, scripsi. Ego pusillanimus nõ audebã tibi scribere, quod indignũ me existimarẽ, qui tanto uiro scribere. Noui humanitatẽ tuã, noui facilẽ ad te aditũ. Verũ tu nõ nostri deiectũ animũ meũ & meticulosum geniũ in scribendis literis. Habeo huius rei ueracissimũ testem, cãdidissimũ Ioannẽ Borsaliũ. Liber querimoniæ pacis perplacuit, nõ solũ præsuli, sed et à cõsilijs uiris doctis, & Philippo Montio procuratori aulae, qui omnes ex animo tibi fauent. Prælegi episcopo literas

quas

quas scripsisti. Egit gratias, & risit, quod de gliribus & cuculis addidisti. Prælegi præterea literas, quas mihi misisti, miraturq; de sacerdotio Erasmi iuriconsulti, quem in Hispanijs esse putat. Polliceari tibi doctissime Erasme, de Philippo præfule nostro, amico tuo, quicquid de amicissimo principe polliceri poteris. Vix dies præterit sine mentioe tui. Habetq; in animo te accersere ad proximam quadragesimam cum hirundines redierint, & ostendere rebus quantum te colat, eruditioniq; tuae faueat. Interea & tu illi scribes aliquando, & ego non sinam, ut tanta tua erga præfulem nostrum merita aut intercidant, aut intereant. Neuij candore sepe sepius expertus sum. Tibi gratulor, quod talē nactus sis hospitem, talesq; conuictores. Bene uale. Profesto die diui Nicolai. Anno millesimo quingentesimo decimo septimo.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Gerardo nouiomago S. D.

*Iuxta illud principib. placuisse uiris nō ultima lausest.*

**E**Go doctissime Gerarde, cum præclarū semper existimarim, & in primis optandum, summa tibi placuisse uiris, tamen nulli probari malim, quā Philippo præfule, cum meo, tum omnibus modis primario. Scripsit ad nos ante menses complures archiepiscopus Moguntinensis literas multo humanissimas,

atq;

atq; adeo ipsius articulis. Scripsit nuper episcopus Leodiensis, minitans se huc aduolaturū, si grauer ad se uenire. Sed ut hæc mihi uoluptati sunt, ita rursus mihi displiceo, pennasq; demitto, quoties succurrit, nihil esse in me, quod tantorū herouū expectationi respondeat. Sed heus tu, rem oppidō nouam ex tuis literis accipio. Nesciebam te tam uirgineo pudore præditum, ut ad me non ausis scribere. Sæpenumero uidi te rubentem, uerum ruboris causam non quivi cōijcere. Quod si uera prædicas, mea sentētia, nec aula dignus es, nec cuculla. Quare si rem facere cogitas, fac quāprimum frontem perfrices, & inutilem pudorem abstergas. In opere noui Testamenti iam eō progressus sum, ut licet adhuc iacter alto, tamen portus procul sese ostendet, uelut ad quietem inuitans. Mitto libellum Paraphraseos, si forte nondum accipisti, eum amicis eruditis imperties: & si commodū uidetur, etiam ipsi principi, cum primis autē optimo Philippo Montio, aulæ, ut scribis, procuratori: quē equidem non possum non uehementer redamare, suo studio me prouocantem. Ei fac multam salutē meis uerbis annuncies. Neuius ac Borsalus te resalutant. Bene uale Neomage candidissime Louanij. 1517.

Pascha

Apophoreta erāt mu-  
 nera Satur-  
 nalitia, &  
 pprie, ea q̄  
 pro xenijs  
 remittebā  
 tur.

Erasmo Roterodamo S. D.

**C**erte probare nunquam potui illorum indu-  
 striam, uel auaritiam potius, qui passim ami-  
 culis strenulas mittunt, ut apophoreta recipiāt. Tam-  
 tum ego ueri amoris quaecunq; pignus semel ad te  
 miserā, at tu bellum callidus ex amore finxisti ut uin-  
 ceres. Scribis enim te muneribus à me prouocati, nec  
 tamen uelle adhuc contendere, bellum omnino nō de-  
 trectans, sed in idoneum tempus differens. Quorū sunt  
 istud quæso? Num interim copias colligis, & machi-  
 nas tormenta q̄; paras? Noli laborare bone uir, nō te  
 prouoco, nec iritatum uelim, coherce animos, tibi q̄;  
 tempera, maior es quā ut mecum in harenū descen-  
 das. Quid enim Paschasius ad Erasimum? hominem  
 in quouis literarum ac officiorum genere ad palmam  
 natum? Desine, satis est, nolo quicquam per nos san-  
 guinis mānet, ultro tibi manus porrigo. Paraphrasis  
 ista fecit, qua nimium mihi formidabilis uisus es, ut qui  
 meus esse non possum, iam toto pectore sim iure belli-  
 tuus. Quinto calendæ Ianuarias, me contuli ad hu-  
 manissimum principem in arce Huijensi, qui me per-  
 benigne & humaniter, ut solet, excepit. Reddidi illi  
 epistolā tuā, ac Paraphrasim, quod is cui negociū cō-

miserā

miseras, id facere ne quicquam semel ac iterum atten-  
 tasset, Legit princeps clara uoce quæ scripsisti, et mu-  
 nusculū subinle exosculatus, Erasimum præ gaudio  
 identidem inclamabat. Iussus sum eo die in arce ma-  
 nere. Audita re diuina, uenit prandij tēpus. Ingredivi  
 mur aulā principālē, magnis altis q̄; tapetibus orna-  
 tā. Paulo post, dantur aquæ manibus Sedit princeps,  
 ac iuxta illum frater Robertus nomine, uir in armis  
 strenuus, & nostri seculi uelut alter Achilles. Tertium  
 locū eius Herois uxor occupabat, uita Penelope, ma-  
 ribus Lucretia. Quarto sedebat filia, uirgo iam nubili-  
 lis, ac uultu ipso Dianā referēs. Quintū & sextū duo  
 illius heroidis fratres tenebāt, quos uere credere pos-  
 ses, Leda gemellos. Inter tot deos deas q̄; uocatus ab  
 Ioue nominatim, et ego Scarabeus accubui, oculos au-  
 ro gemmis, ac purpura, aures dulcibus melis, palatū  
 ambrosia, & nectare pasces. Vbi exēpta fames, misis  
 epulis q̄; remotis, canūtur superis gratiæ, surgimus,  
 ludere cœperūt alij fritillo, alij latrūculis. Vocor inte-  
 rim ad principē, multa ibi de te honorifica cōfabula-  
 tio. Nihil te uno apud illū est antiquus. Cupit te uidere  
 et cōplecti mediū, sed ut parentē, sed ut numē quoddā  
 è celo in terras delapsū. Te literis ad se uocat, noli  
 tardare. Per gratū illi facies, si moras oēs abruperis.

CAME

Carmē est  
 Vergilio.

Caue per deum immortalē, ne longum tui desiderio, tantus Heros torqueatur. Alius est, quam quos in Italia, Gallia, Britannia, Scotia, Germania uidisti praesules. Non sunt omnes cum hoc conferendi, siue enim spectes animi diuitias, seu corporis dotes, seu fortunae bona, omnes longo interuallo post se relinquit. Vicissim tibi salutē adscribūt, quos per me nuper tuis uerbis saluere iussisti, in primisq; Baptista, qui te nō secus amat ac patrem. Saluta, si me amas, filium tuū ac meum fratrem Rutgerum Rescium, scribam illi cum per ocium licuerit. Vale literarum decus. Si quid ad principem uoles, recte huic sacrificulo commiseris. Iterum uale, è cellula nostra apud Leodium, septimo Idus Ianuarias.

## ERASMI ROTERODAMI

Paschasio S. D.

*Nat. i. ual de.* **N**AE hominem bellacō oportet esse te, qui nihil nisi bellum, testudines, uineas ac tormenta cuniculis crepes. Age munito te quantum uoles, nos tamen te aggredi. uel cuniculis aggrediemur. Nunc hoc saxum uolueris Saxū uoluedum est, uel potius in hoc molendū pistrino. Sed graure dicuntur, tulo tibi iam, opinor, semideo factō, cui contigerit q̄ in exbau epulis accumbere diuū. Cuius tamen felicissimi costo quopiā uiuū, me quoq; participē esse uoluisti, cum adeo gra

phice

phice depinxeris, ut etiannū inter deos deasq; mihi labore fati uidear tecum accumbere. Extra iocum, totā hanc noctem cum episcopo transégi fabulis mutuis. Eū haud misticū ex quaquam torquerem diutino mei desiderio mi Paschasio. Sed primum uides anni tempus, quo non solum in nauigabile mare, uerum etiam terra immeabilis, ut tecum agam uerbis poētici. Deinde ea est corporis ualetudo, ut uix eam tuear domi abditus, & ad focū luculentum obambulans, aut coccyis in morem nido immersus, & tamen hic nidus mihi plusquam pistrinum est. Versor enim in labore longe omnium molestissimo, in quo tamen iam eō prouectus sum, ut per densissimas montis per fossi tenebras, qualis penetrandus est Neapoli Cumas adeuntibus, procul exiguum lumen, ceu stella quaedam exitum promittat, atq; in fluctibus laboranti, è longinquo portus appareat. Intra mensem, auxiliante CHRISTO, ex hoc labyrintho me extricabo. Quod si nūc labor hic interiret, nunquā animo meo queam imperare, ut rursum sese in huiusmodi pistrinū immittat. Nunc dum captus est Proteus, stringenda sunt uincula, donec in se reuersus oraculū absoluat. Et mox se remittet hylaris rigor, ut liceat cum ciconijs & hirundinibus euolare. Quod principē omnibus anteponis praesulibus, tei.

g idq;

Allusit ad fabulā Pro

idq; in omni uirtutum aut ornamentorum genere, non  
admodū tecum pugnabo, præsertim cum nec id solus  
prædices, & mihi uel Alexander euectus, uel ipse de  
niq; epistola nouam & inauditā, ac uere generosi in-  
genij humanitatem præ se ferens, fidem faciat. Et ta-  
men Archiepiscopus Cantuariensis mihi talis est, ut  
cōmodiorē ne possim quidē optare. Hoc uno sat felix  
essem, si aut hic contigisset, aut Britannā nobis pons  
aliquis iungeret. Adeo male odi fretum illud imma-  
nissimū, & nauitas freto immaniores. Verum ut olim  
πολυλίαι, id est apud Scithas parum secundæ fāmæ fuit Poliphili-  
mulorum (quanquā uideo & Hesiodo iuxta turpe uideri, ἀφελ-  
amicitia. νορ εἶναι καὶ πολυλίαι.) Ita fortasse apud popu-  
Inhospitalē lum pœticum parum honestum esse ducitur, eident  
esse & mul- multos esse Mecœnates, etiamsi mihi nihil magis in-  
tum hospi- uotis est, quā optimis probari, quandoquidem om-  
talem. nibus non possumus. Atq; id sanē nobis non perinde  
male contigit atq; sero. Iam opus sit Mecœnate, non  
qui in fortunæ scenam producat, qui fortunæ orna-  
mentis oneret, sed qui corporis uires sarciat, qui in-  
genij uigorem restituat. Quas res semper in me exi-  
les partim atas, partim iugis studiorum exhaustit la-  
bor. Nunc & animus honestū ocium flagitat, & ual-  
letudo etiam imperat. Restat enim extrema huius fa-  
bula

bula Catastrophe, quam utinam sic liceat agere, ut Metapho-  
Christo Chorago probetur. Amplam fortunam nun- ra a parti-  
quā ambij, ut paruis animis & paruo corpore maio- bus conce-  
rem. Nunc etiam si ambiam, par esse sustinendæ non die, in qua  
queam. Proinde stat sententia, ocium hoc meum tueri ultima pars  
mordicus, in quo tamē sic uersabor, ut quoad per ui- catastro-  
res licebit, rei publicæ sim profuturus, etiāsi ab huius phe, id est,  
modi laboribus, plusquā iuuenilibus, quibus nunc con conuersio.  
fior, sum in posterum temperaturus. Sub quadra= Catastro-  
gesimam incipiam euolare è nido, si præsul boni con phen autē  
sulet, res in hoc tempus differetur. Sin minus, uel cum uocat exitū  
ualetudinis periculo tanto principi gratificabimur. euentumq;  
Vides mi Paschasi, ut me totum in sinū tuum effude= negocij.  
rim. Bene uale, Paraphrasis quæ te terret, ut scribis,  
magis placebit, si propius contuleris. Louanij, po-  
stridie Epiphaniæ. Anno M D XVII.

ERARDVS EPISCOPVS LEODI-  
ensis Erasmo Roterodamo S. D.

GRatissime fuerunt mihi hæc literæ, quas ad me  
Paschasio homini tui amatissimo, & mihi gra-  
to dedisti. Gratissima fuit & Paraphrasis tua in Pau-  
li epistolam ad Romanos. Quam ob rem immorta-  
les tibi gratias ago, quod ad me literas tuas dederis,  
quodq; in ipsis literis bene de me opineris & sentias.

Gaudeo abs te laudari laudato uiro. Præsentia mihi  
hactenus ignotus fuisti, fama autem & nomine, à de-  
cennio notissimus, tum ob excellentem eruditionem  
tuam, tum ob candidos mores, quos tibi inesse audio.  
Si tantum honoris in nos cōferre uolueris, ut huc ue-  
nias, gratissimā nobis rem factam putabimus. Quod  
si tu huc uenire nolueris, curabimus nos te adire, ut  
præsentia tua, mutuoq; colloquio frui possimus. Vale  
tertio Calend. Ianuarij. Anno M. D. XVIII.

ERARDO EPISCOPO AC PRINCE

cipi Leodiensi, Erasmus Rote-  
rodanus S. D.

**A**mplissime præsul, & idē princeps illustris-  
sime, ut paucis citraq; proœmium, ad huma-  
nissimas celsitudinis tuæ literas respondeā, quod me  
fama iam olim notissimum, coram etiam uidere con-  
cupiscis, istiusmodi præconijs onerat Erasmus de-  
illa apud Homerum Ossa, apud Maronem Fama, nō

Iuxta illud in me tantum uana, & in immensum attollens omnia  
Principib. ut nec deprecari liceat, quod illa tot linguis tribuit  
placuisse nec tueri queam quod imponit. Scio nihil esse pul-  
uiris nō ul chruis, quā principibus placuisse uiris, Sed inter-  
tima laus rim dum ipse domi me meo metior pede, quā gratia  
est. est animo eos uiros bene de me sentire, quibus ut pro-

bari pulcherrimum est, ita displicere turpissimū, tam  
molestum est, nihil esse quod illorum uel amicæ de no-  
bis opinioni, uel magnificæ expectationi respondeat.  
Ut iam non aliam gratiā famæ buccinatrici debeam  
quā indoctus Citharæcedus ei, à quo in theatrum fre-  
quentissimum producat̃ aurea palla, aurea insignis  
cithara, mox ut canere cœperit, exhibendus. Nihil  
in me uisendum. Et tamen si quid est, id lucubrationi-  
bus meis expressum est. Illic optima nostri pars est.  
Quod superest, teruncio non emas. Attamen tā aman-  
ter inuitatus, cupidissime aduolassē ad tuam celsitu-  
dinem. Sed primum deterret cœlum plusquam hyber-  
num: deinde ualetudo cū per se imbecilla, tum immo-  
dicis, in quibus nunc uersor, laboribus, sic afflicta, ut  
eam uix domi abditus tuear. Tanta enim cōtentione  
desudo in nouo Testamento iterū inuouando, ut ipse  
his inueterauerim, dumq; illud à senio situq; uindi-  
co, ipse mihi geminū senium ac sitū cōtraxerim. Cer-  
tum est enim aut immori negocio semel suscepto, aut  
tale reddere, ut & Leone decimo dignū uideatur, &  
posteritate. Iā uero cō progressi sumus, ut licet me-  
dijs adhuc in fluctibus luctemur, tamen procul portus  
paulatim sese aperiat. In quē si Christi aspirauerint  
auræ, ante quadragesimā appellemus. Tum & cœlo  
mitiore,

nitore, & animo magis uacuo accurrā ad ampli-  
tudinē tuam, uel hirundines ac ciconias praeuertens.  
Quod si ne hoc quidem morae indulget tua celsitudo,  
contemptis ac posthabitis omnibus, aduolabimus. Sed  
hisce de rebus aliquanto copiosius scripsimus optimo  
Paschasio, cui multis nominibus felicissimo, hoc tamē  
praecipue gratulor, quod gratus est principi, non mi-  
nus benigno quā potenti, quem nobis quā diutissi-  
sime tueatur deus optimus maximus & incolumem,  
& modis omnibus florentem. Louanij postridie Epi-  
phaniae. Anno millesimo quingentesimo decimo-  
octauo.

ERASMVVS ROT. IOANNI

Falconi suo S. D.

Epistola  
iocosa.

**T**V caue salutē à nobis expectaueris. Deuoueo  
te, quoties tua mihi conuicia in mentē ueniunt,  
quoties toruos illos oculos animo contueor, quoties os  
illud, ad meras contumelias compositum. Itaq; amare  
te planē non possum. Minus quidem odero, si bonas li-  
teras lucellis tuis praeponeere poteris. Fata mea me  
haecenus persequuta sunt. Iter enim habuimus ad pro-  
digium usq; asperum atq; saeuū: cetera Batti mei fa-  
tis debeo. Nam dominē candorē, beneficentiā, humi-  
litate, comitate, modestiā, si tibi perscripsero, cum

nix aliquam effem partē oratione consequutus, men-  
dacissimus tamen uiderer ei qui ipse expertus non es-  
set. O te miserum, qui me sequi sis grauatus. Quid te  
fuisse beatus? Sed gaudeo tuam superbiam tibi no-  
cuisse. Posthac saepe, poetas fuge, & lanios sequere.  
Breui isthic adero, si superi adiutabunt. Tu & quae  
habes mea serua, & quae potes contrabe, ne quid in  
mora sit ubi uenero. Finem imponā epistolae, si te pau-  
cis monuero. Frustra sapit qui sibi non sapit. Mirare  
literas, & lauda, sed lucrum sequere. Caue tibi ipse  
displiceas, ea res formae uenustatem obscurat. Cutem  
ante omnia cura. Omnia tuis cōmodis postpone, ami-  
citiā tua causa cole. Eruditionē parce attinge. Ama-  
ardēter, stude modice, uerborum prodigus, pecuniae  
parcus esto. Plura monendus eras, sed uale est, aulico  
ritu, dominae dicendum, & cras in Hollandiam auo-  
lo. Meliorem uestem domi relinquo. Scis quam obrē?  
Timeo ne sorores eam tuae lacerent. Est enim mihi  
Antuerpia faciundum iter. Nunc uide, num nihil in  
mē sit salis, & tu sapias solus? Literas tuas adeo non  
expectabo, ut haud sciam, an has ipse praeuertā. Tu  
tibi uiue & uale tibi, & tē solum, quod facis, ama.  
Ex arce Tornenhensi. Tertio nonas Februarij. An-  
no M. CCCC. XCVII.

ERASMVVS ROT. RICHARDO

Vuitfordo Gulielmi Monitio  
a Sacris. S. D.

**C**Opiosissimam ad te epistolam scribere, gestiebat animus Ricar decandidissime, ni & ocium deesset, & propediem uos ipse uisere decreuissem. Non purgabo me, quod antea non scripserim, coram eā causam agere malo, & absolues me spero. De tuo comitisq; cādore plurimus & frequens cū meo Batto mihi sermo fuit. De uestro quidem animo gaudeo, at tam sero esse cognitum doleo. Nos ubi patriam uiserimus, istuc continuo recurremus, tū plenis (ut aiunt) buccis nugabimur. Interim cura, ut bene ualeas, teq; tua philosophia oblectes. Priori apud diuam Genouefam, Gulielmo canonico *δμοτραπῆς*, conterraneo tuo meis uerbis salutē dices, præterea familiaribus reliquis nominatim.

ERASMVVS CORNELIO

Canonico S. D.

**A**Deo ne superbum te Gallia remisit, ut plebeios amiculos fastidire cæperis? Satrapis scribis, Erasmo non scribis. Quo meo merito? sed habes causam probabilem, & haud scio an uerā. Nihil minus opinabar inquis, q̄ te in Fræcia resedisse, qui tū certo consilio

consilio in Italiā iter parabas. Age, nihil refello, accipio causam, modo hoc damni q̄ uerbosissima epistola sarcias. Noui qd' scriberē nihil erat. Me tui esse amatissimū uetus est. Boschio qd' acciderit miror, iam pridem enim ab eo nihil redditur. De nostro recessu hic mussatur. Tu fac, de toto tuo itinere, rerūq; tuarum statu ut sciam. Si quid hic meo studio, cura, diligentia præstari posse iudicabis, id pro tuo iure audacter à me flagitabis. Meā dignitatē ne tibi cōmendē arctissimi manostra et uetus necessitudo postulare uidetur. Gulielmū meū, imò tuū, tuis monitis excitare ne desinas, ut aliquid se dignū moliat. Meis de rebus certi nihil significare potui cum omnia penderent. Valemus adhuc, & te uehementer amamus. Petrū nostrū quod facis, fac q̄ arctissime complectare. Si in his quæ tibi pro nostra necessitudine impartij, ut Harpocrati satisfacias, admoneā, uidebor parum recte de tua fide, deq; tuo in me animo sentire. Quāq; sunt qui te, nescio quid, infimulent, tanquā meā absentis dignitatem parū integra fide fueris tutatus. Mea uero sic est de tua integritate confirmata opinio, ut de me ipso sim, priusquā de te, dubitaturus. De nobis hoc tibi persuadeas uelum, Erasmmum tui amatissimum & esse, & dū uiuet, fore. Bene uale. Lutetia. Anno 1497.

Cōuictori.

ERASMVSVS CVIDAM

Lubecensi S. D.

Narrato=  
ria.

**S** Alue uir integerrime. Filius tuus apud me uiuit, & à me docetur, ijs quidem conditionibus, quas ab Henrico accepi, q̄ mihi nomine tuo triginta duos coronatos, & uestem promisit. Aegrotauit graui- ter nuper sed conualuit dei beneficio, & medicorum opera. Fuit in tutela mea complusculos menses, quo tempore ei quibus erat opus, suppeditaui. Mense Octobri puerum in familiam meam adiunxi: curatur à me non ut alienus, sed ut ex me natus: ingenio præditus est singulari: mores pro ea ætate tractabiles sunt, & tolerabiles. Dabo operam, quantum quidem in me erit, ut tibi eum restituam, & me præceptore, & te patre dignum. Libros eius nondum ad manus meas perferri miror. Antuerpiensis ille mercator scripsit se per quendam mercatorem Parisiensem transmisisse, & eum nominat, uerum is constanter negat. Pecunias adhuc nullas eius nomine accepi. Augustinus, sub cuius tutela erat, dum ego ualitudinis causa in patria abessem, ab Henrico quinq; aut sex florenos sese accepisse fatetur. Is eum tres menses & aluit, & docuit, quod ego me

tuum

tum in Italiam concessurum putabam. Ei eas pecunias reliqui pro opera sua: præterea quod de ratione diminutum erat, adieci, apud illum enim ægrotabat: præterea meo sumptu uestitus est. Cæperat hic, nescio quæ, sibris pullulascere, sed non admodum frequens: quare in locum urbis apertissimum, atque saluberrimum demigraui, quod malum si repullulauerit, longius forte concedam. Nihil enim nobis salute antiquius esse debet & uita. Nam bene uiuere, nisi uiuamus, non possumus. Quam re de tua sententia certior fieri cupio, placeat ne puerum me consequi. Narrabat enim Henricus, etiam si filium tuum in Italiam duxissem, me id te approbante futurum. Habes de rebus nostris omnibus: reliquum est, ut de toto animo tuo nos facias certiores: uerum neque pecunias, neque literas, nisi per certissimum tabellarium miseris, nec Parisios miseris, sed ad eum mercatorem Antuerpiensem, ne si hinc concessero, ille ad alienas manus perferantur. Hoc quoque ad me per scribas uelim, cui uitæ generi filium tuum destinaris, & quibus potissimum literis imbui placeat. Finis enim unaquaq; in re præfigi debet, ad quem omnia tanquam ad signum conferantur. Nam quanquam omni quidem literarum genere pueri sunt instituendi,

instituenti, refert tamen, quo sua studia destinent, ut cum omnia perdisceres nō liceat, saltem aptissima discamus. Hæc pluribus, ad te scripsi quàm debui, & quidem Latine, nō fastidio lingue nostratis, sed quod neq; facile id potuissim, neque tu facile intellexisses. Te cū optima cōiuge tua, uniuersaq; familia bene ualere, precor. De me ita tibi tuisq; persuadeas, in instituendo filio, mihi neq; fidem, neq; sollicitudinē, neq; diligentiam defuturam. Lutetia. Anno 1497.

ERASMVS CHRISTIANO S. D.

**N**on tu Erasmi calamum metuis? tam audacis tibi facinoris conscius: quippe qui Henricum delicias meas à me distraxeris. Deseruit me & Robertus Anglus, sed alia longe ratione: summa nimirum perfidia, ita ut illum decuit. Sed extra iocum: consilium uestrum non modo iniquo animo non fero, uerum etiam uehementer probo. Consultius enim est sarcinam maiorem abijcere quàm sub onere iniquo concidere: illius uirtuti perinde ut meæ gratulor. Tu fac fratrem imiteris, & Erasmum uel absentem diligas. Rodolphū Langiū admoneas uelim, ut & meis literis, & suis promissis satis faciat. Bene uale. Lutetia M. CCCC. XCVI.

Erasmus

ERASMVS GVLIELMO

Montioi S. D.

**S**alue uero nomine Montioie. Deprecatione utendum erat, sed purgatione uti malui. Crimen admisū agnosco, quod hodie uos lectioni fraudauerim, sed necessitas in causa fuit, haud uolūtas. Cogor duos tabellarios simul literis onerare. Tu caue statū transferas, & falso necessitatem à me prætentam obijcias. Tum enim qui rei erat, actoris fiet, & qui iurisdicia lis, coniecturalis, aut certe definitiuus erit, ut queratur, quid sit necessitas. Sed uide calidum defensorem, causam meam ago, nondum in iudicium uocatus, scilicet ut nullo accusante, me ipso & defensore, & iudice absoluat. Bene te ualere & Musis quàm charissimum esse iubeo. M. D. XCVI.

ERASMVS GVLIELMO

Gaudano suo S. D.

**S**ic est profecto, deerat deerat hoc unum infelicis *Expositula* Statius meæ numeris, ut abs te mihi epistola tantorū contumeliosa redderetur: perinde quasi nobis hic doctorum materia nō abūde suppeteret. Tu uero mi Gvlielme, & uetustissimo nostro amore dignius, et meis fortunis aptius facturus eras: si pro obiurgatiōe consolationem misisses. Quid tu amiculum tui perpetuo studio

studiosissimum, miserrimum, cōuicijs insectaris? Ego in hac rerum conditione, ne confirmationem quidem ullā æquo animo tulissem, & tu erumnas meas etiam maledictis exasperas? Quid tu me ab inuidis nostris expectare iubes, cum huiusmodi mihi adferantur ab amico, nō modo uetustissima necessitudine, uerū etiam quod arctissimū uinculum puto, studiorum societate coniunctissimo? Deplorare fortunas meas magis libet quàm te consutare. At uide interim quæso, quàm merito me incuses. Inducitū est, nescio à quo, me tibi indignatum abisse. Primū, cur tu istis iudicijs credis, tam facile: tum si maxime indignex (utar enim eo uerbo inuidioso, quo tu uteris) cur id non queris potius quam obrem tibi indignex? Expostulaui tecum saepius per literas, nuper etiam coram, quòd cessares in literis, quòd nihil tuo ingenio dignum molireris. Hortabar ut quàm maxime nominis immortalitati consuleres, aliquid excuderes tale, quale omnes abs te expectarent. Nihil tuæ gloriæ anteponeres, uoluptatibus istas uulgo relinqueres. Si hæc sunt hominis suo comòdo consulentis, si inimici, si superbi, nihil refello, quo minus tu me iure criminatus fueris. Sin potius amantis, & tui nominis auidissimi, & melius etiam de te, quàm tu ipse sentias sentiētis: quid tu eiusmodi

ho=

hominis infelicitatem atrocibus etiam dictis incessis? Si quid in te sum stomachatus, id unum erat in causa, quòd tu non tanti ingenii tuū, quanti ego facerem, fatereres. Sed odiose, inquis, obtundis. Nulla igitur uenia dignus est, qui intemperantius amat? Non uides hanc meam improbitatem ab immensa quadam gloriæ tuæ cupiditate profectam? Nunc studium in te meum ferre æquo animo nō potes, qui fastidia persepe tulisti. Quid autem sibi uolūt illa, mi Gulielme, quem admodum isthic uiuas, ipse scis, nec ego ignoro. Me miserum, quā metuo, ne tu me hic ociosum ineptire, atq; amare credas. Tu uero mi Gulielme, Erasmiū non ineptum, sed miserrimū finge: & illum quē tu praefectum appellare solebas, iam plane fractū, & examinatum. Caue me tu uel ex ueteribus moribus, uel ex tua felicitate metiaris. Quòd autē Gaude paulo liberius tecū pro nostra familiaritate garriebā, eam loquendi petulantia uel uino, quo tum, ut scis, sepe madere cogebamur, uel ualetudinis studio tribuere debebas, quàm ut penitus confirmare, paululū de pristina uite seueritate prudens remisera. Ceterū is mihi est animus, ut ineptire si liceat, nolim: ea rursum rerum cōditio, ut si maxime uelim haud quaquā tamē liceat. Stomachaberis et hic quoq; fortasse: Quid te, inq;es,

it.3

ita male habet? num egres? nō tibi summa faciendi, que libitum est, libertas? Coram uix meas Tragedias explicare queam, tantum abest, ut his literulis possim consequi. Ego ne VlyssEOS quidē labores cum nostris conferendos censuerim. O me huius libertatis nimium expertum, & o te parum. Sed quid ego his querelis amantissimi hominis animū exaspero? Quod scribis, isthic te gloria meae inuidiā sustinere, quorsum istuc attinet? Ego his in regiōibus fame tuae prodesse possum: tu porrō cur inuidiosam etiam nostri defensionē sumis? Quis nescit, Gulielmum Erasmo uel in causa iniquissima aequissimum fore? Quod ut non facias, nemo tamen non expectabit. Quamquā tuum in me studium, non gratisimum esse non potest. Sed si me mea fata non sinunt, tu saltem tuis literis, primū patriam nostram, deinde teipsum quāmaxime nobilita. Crede hoc mihi Gulielme, nihil nō poteris, modo animus non desit. Sed ueniam dabis amori nostro, qui te rursum hortari incipio. De Henrico caue quicquam nisi amicissimo uiro dignum suspicaris. De te enim omnia amantissime predicauit. Si quid apud me pro coniuuētissima familiaritate nostra questus est, fecit id & modestissime, & ut faceret is, qui te ex animo amat. Apud me quidē delatus est, quod apud Anglos,

dum

dum isthic abissem, parum synceriter egerit: quod ut de alio quouis (est enim inter mortales rara fides, animiq; hominū mutabiles) facile credi posset, ita de hoc nec credere libet, nec suspicari. Tū satius esse puto, his in rebus hallucinari, quā odiosa diligentia ea perquirere, quae rectius latuissent. Quod tibi de tua ueteri taciturnitate fretus indicavi, per fidē te obtestor, caue uel nutu significes. Tibi enim nihil commodaris, illi uero iustissimam in me stomachandi materiam praebueris. De Henrico scripsi Seruatio: hominis ingenū satis mirari nequeo. Verū quid facias? his moribus nunc uiuitur. Quare illud Chilonis probemus, necesse est. Sic ama, tanquā aliquando sis osurus: sic oderis, tanquā aliquando amatorus. Ais isthic multa de me renunciari, auditu neutiquam iucunda. Ego uero Gulielme, innocentiam praestare possum, id quod facio, quid homines de me loquātur, nō possum. Hoc magis uereor, quid tu tandē de me sentias: quē unum, ita me deus amet, pluris facio, quā reliquos omnes. Quid enim sibi uoluit illa tua epistola, qua uitā meā notare uideris? Vis igitur scire, quem admodum hic uiuat Erasmus? te enim nihil mearum rerum ignorare par est. Viuit: imō haud scio an uiuat: sed uiuit prorsus miserrimus, omni lachrymarū genere

h

genere cōfectus: quot insidijs petitus, quoties amicorū  
 praesidio delusus, quot casibus sursum ac deorsum  
 iactatus? sed uiuit innocentissimus. Scio me uix ha-  
 rum rerum tibi fidem facturū. Veterem adhuc Eras-  
 mum, & libertatem meam, & si quid est splendoris,  
 cogitas: uerum si coram loqui liceret, nihil mihi faci-  
 lius fuerit quàm id tibi persuadere. Quare si uerum  
 Erasmi simulachrum tibi fingere uoles, finge non in-  
 eptum, non comestorem, non amatorem, sed affli-  
 ctissimum, sed lachrymosum, sed inuisum sibi ipsi, cui  
 iam nec uiuere libeat, nec liceat mori. Denique mi-  
 ferrimum, sed fortunæ iniquitate, non sua culpa, mi-  
 ferrimum tamen: quid enim refert? sed tui amantissi-  
 mum, studiosissimū, ardentissimum. Ita uelint superi  
 has meas erumnas aut in melius mutari, aut matura  
 morte finire, ut nunquā mihi uel mea dignitas anti-  
 quior, uel gloria iucundior, uel uita charior, quàm tua  
 fuit. Si ceteris mortalibus sim inuisus, nihil miror.  
 Quis enim hominem tam miserum non iure optimo  
 oderit? Tuum uero etiam amorē, mea infelicitate mu-  
 tari, qui timere potui, in cuius unius fide semper ac-  
 quieui, quem sic complectebam, à quo me non uulga-  
 riter, sed prisco illo more amari credebam. Si & huic  
 me inuisum intelligo, & ob id inuisum quod sim mi-  
 ferrimus

ferrimus: quid est cur uiuere uelim? O mi Gulielme,  
 uetus meum, & utinam perpetuum, solatium, do-  
 lor tantum non cum lachrymis & uocem exprimit.  
 Si quo graui & nephario scelere nostram amicitia-  
 m uiolasssem, tu tamen infelicissimo amico, pro iu-  
 stissima ira misericordiam & lachrymas impende-  
 re debebas. Nunc eum cui nulli unquam casus, nullae  
 rerum mutationes tui charitatem excutere potue-  
 runt, maledictis potes incessere, potes probris inse-  
 ctari, tanquam desint, qui manibus pedibusq; in me-  
 am perniciem incumbant: qui me ferro igniq; extin-  
 ctum uelint. Quid mihi isthic tam charum fuit, cuius  
 inter hos casus non obrepserit obliuio? Vidisti ipse  
 me nonnunquam *uacare uocare*, & risisti saepe. Scis Iuueniliter  
 quod pectus loquar. Quid unquam amari tenerius? agentem.  
 Nunc mirum est dictu, quàm frigeam. Omnes amores  
 illi uulgares excidere potuerunt: tu unus pectori no-  
 stro inhaesisti: & ita inhaesisti, ut charitas consuetu-  
 dinis intermissione aucta sit, non extincta. Et tu ami-  
 cum tam pertinaciter tibi deditum, cui felici inuidere  
 non posses, miserrimum odisse poteris? Noui uulgo  
 quidem hunc esse morem, sed ò me miserum, si te li-  
 tera à uulgi moribus uindicare non possunt. Quid  
 tu igitur me Pyladem tuum, quid Thesea appellasti?  
 h 2 Quan-

Quamquam inuertere debueras, & Orestem potius ac Pirithou appellare. Sed sit lachrymarum finis. Hoc unum te charissime Gulielme (iucundissimum enim dicere non licet) & per ueterem nostram beneuolentiam, & per meas fortunas afflictissimas obsecro atque obtestor, ut si me non odisse non potes, si misereri non potes, saltem parce maledictis crudelissimum uulnus exasperare: & quod uicto hosti dare debueras, da amico nihil commérito. Tu tuam ualeitudinem tanto cura diligentius, quanto mea desperatior est. Patri tuo uiro humanissimo, beneque de me merito: praeterea Iacobo conuictori tuo, me quam diligentissime commendabis. Tuus Iasparrus me sibi habet deuotissimum, & pudet me hominem tam amicum, tam indiligenter amplexum fuisse. Parisijs, postridie Id. December. Anno M. CCCC. XCVII.

ERASMVS IOANNI BRV= xellensi S. D.

**E**GO uero quodnam ad te scribendi initium capiam, prorsus haereo: nec quem incussem, scio, quorundam ne hominum, quos tu plus satis nosti, perfidiam, an Antoniae ineptam argutiam, an meam potius credulitatem? Sed tota hac de re mutire satius. Hoc unum dicam, me pro meo officio summam inuidiam

diam undique contraxisse. Itaque ex illis adibus Erasmus exulat: alij regnant, inuita quidem, ut suspicor, Antonia. Sed haec coram melius. Interim fac antiquum istum animum in nos obtineas: omnes quibus cum ista hic uiuimus, nominatim meis uerbis salutabis diligenter. Seorsum autem D. Vicario me etiam atque etiam commendabis. Bene uale, nosque mutuo dilige. Luteciae. Anno M. CCCC. XCVII.

ERASMVS NICASIO SACELLA= no Cameracensi suo S. D.

**Q**uanquam antea mihi literarum nomine charissimus esses Nicasi doctissime, difficile tamen dictum fuerit, quantus cumulus meo in te amoris ex illo nostro conuictu accesserit. Antea me tibi deuotissimum habebas, nunc multo deuotiores. Sed suspecta quaedam res est, uerbis beneficium rependere. Tu si mei in te animi periculum facere uelis, aliquid uicissim oneris imponito. Nullam sarcinam tam grauem, tam molestam inieceris, quae mihi tua causa non leuissima, non etiam iucunda uideatur. Epistolam tuam reddidi diligenter. Thomam Cameracensem tuo nomine saluere iussi. Tu quod es pollicentus fac praestes, ut ad me quam sepius scribas.

Michaelē Pauium præceptorem meum, nominatim uero illum hospitem, uirum (ita me deus amet) episcopatu dignum, cuius nomē excidit, humanitas, comitasq; qua me isthinc tractauit, nec excidit, nec excidet unquam: meis uerbis salutabis accuratè, & tuo more, hoc est, diligentissime gratias ages. Bene ualere te cum tuis omnibus precor. Parisijs, postridie Idus December. Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMVS IACOBO

Batto S. D.

**S**alue meum præsidium iucundissime Batte. Si domina Veriana ualeat, quondam tua, nunc mihi te cum cōmunis patrona, & si omnia illi sunt secunda, ita est, ut & optamus, & confidimus. Literis cōmitere nec possim, si audeā: nec ausim, si possim, quā scire cupiam, num illa iam isthinc euolarit, num sua charissima pignora unā secum abduxerit. O te beatum, o superis charū si tu istos scopulos enauigaris: si felicitate tua, quæ mihi quidem summa uidetur, sine inuidia frui possis. Quod ut fore confidam, dominæ uirtus facit, cui superos omnes propitios, beneq; uolentes esse non dubito. Euenit mihi mi Batte, in ista, quod in te sæpenumero solet, ut tum ardentius amare, mirariq;

mirariq; incipiam, quum absūm. Bone deus, qui can-  
dor, quæ comitas in amplissima fortuna, quæ animi le-  
nitas in tantis iniurijs, quæ hilaritas in tantis curis:  
tum quæ animi constantia, quæ uitæ innocētia, quod  
in literatos studiū, quæ in omnes affabilitas? Proinde  
ita prorsus sentio mi Batte, te esse unum mortalium  
omnium felicissimum, si ista quā diutissime potiri  
dabitur, & dabitur haud dubie, si (quod facis) illius  
in te animo, mutuis officijs responderis. Nos Antuer-  
piam incolumes appulimus. Augustinus cum suo co-  
mitatu iam Parisios præcesit: pollicitus est, sese ali-  
quot dies illic me operiri. Quare properandū mihi  
censeo, ne tam certi comitatus commoditas præte-  
reatur. Nihil est quod te admoneam: & tuam enim  
rebus in meis diligentiam noui: & tanta est libera-  
lissimæ dominæ in me benignitas, ut rubor mihi pla-  
nè quidā aboriatur, cum animo reputo, tanta me ab  
ea beneficentia cumulatum, de qua nihil unquam  
sim meritus. Sed meum erit, etiam atque etiam co-  
gitare, ut non prorsus perisse in nobis illius bene-  
ficia declaremus. Reuolabo isthuc quā primum,  
si superi sinent. Precor ut uos omnes incolumes, &  
recte ualentes offendā, illam in primis, unde nostrum  
utriusq; spes, salusq; tota pendet. Nō debes tumultua-

rium mirari characterē: scripsi enim hæc in nauī iam solutus, omnibus undiq; magno fragore perstreptibus. Bene uale. Filium herile anabili indole puerum, unā cum sorore, fratris sui matrisq; simillima recte ualere precor. Familiare tuos nominatim meo nomine saluere iubebis. Ex Antuerpia. pridie Idus Febr. Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMVSVS GVLIELMO

Sodali suo S. D.

**S**alue mea unica uoluptas. Gratulor tibi quod si isthic sis, si tu modo gaudes, gaudere aut debes, nam te gradu ad gloriam nactum confido. Me miserum, quod literæ non ita ut studueram, reddite sunt, non tam quod non acceperim id quod uolebā, q̄ quod tuis suauissimis sim literis frustratus. Emoriar, ni crebro me scriptis subleues, à N. mihi reddite sunt literæ, in quibus familiarius, ita ut iusseram, animum suum aperit. Studium meum prædicare non audet: multis ait non probari: uereri ait quosdam, ne ære alieno conflato, meos onerē, Multa queritur suo more. Ego hominem metu liberaui: quanq̄ se quidem id nihil timere scribat, uerū ut quibusdam satis faciat. Me, ut uidetur, amat; te non odit: nam de te satis amanter nunciat. Respondi ad hæc tum pro ingenio meo, tum pro

pro autoritate, si qua est. De mea cōditione satis abinde scripsi. De antistite miror te laborare, quū iam decies, & amplius scripserim: omnia recte, sed dat nihil, promittit satis. Ais isthic multū de me sermonem esse. Quales? Si bonum gaudeo: sin secus, isti uiderint. Hic certe nihil nisi laus de me, fortassis merito meo. Quod me ad uirtutem hortaris, facis ut Gulielmum decet: At ego uicissim te mi Gulielme hortor, ut magno animo & uirtutem, & doctrinā capeffas; quod si facis, sic mihi persuasi, te unicum Hollandiæ decus futurum: & isthic tu facilius in Theologum euades, quam ego hic. Crede mihi, sic res habet, sed garrimus. Quid ais, inquires? More meo Vlysses ago, & nuper in languorem ex itinere incidi, uix adhuc ualeo. Quidam familiarium meorum febricula correptus, cōualefcit tamen. Augustinus tuus interpret, iam pridem à me separatus est: arte me tractat, ego uicissim illum. Nihil sinceri amoris inter nos neq; est, neq; fuit unquam, tantum est discrimen ingeniorum. Est isthic breui uenturus. Tu quoq; arte tractabis hominē. Deferes illi apud alios: tractabis quam poteris magnificentissime. Dicet fortasse nonnulla in tuā laudem, auscultabis. Nunquam iterum isthic uidebitur. Quare tua causa honorabis hominem: nec deest

titulus. Palam hic interpretatus est, & quidem gratias, tua carmina. Ages gratias: dabis nihil, praesertim eorum quae mihi usui esse possunt. Scripseram ad te quae fieri uellem: si fecisti, obsecro ut mittas. Nam res non exigui momenti est: sin nondum, leuabo te parte laboris. Meas elegantias duntaxat mitte: Laurentij etiam tertium librum, si scriptus est, omnino mitte: sin minus, alium labore te suscipere malim. Praeterea fac me omnium tuorum operum participem: quamobrem id tantopere cupiam, iam aperiã. Sum apud nobilem quendam hominem, atq; humanissimũ Anglum, unã cum duobus adolescentibus generosis: sed ita sum, ut apud antistitem nõ queam esse uel magnificentius, uel honestius, etiam si ipse antistes essem. Is tuis scriptis mirifice confidit: quod si curaueris, ut tabellarius semper apporet aliquid noui, rem mihi feceris tum iucundissimã, tum utilissimã, nec tibi ipsi quidem inuilem. Ante omnia scribes homini familiariter: laudabis quod omnibus rebus cõtempis, nihil miretur praeter literas, quales pauci quidem sint: uerum qui sunt, felicissimos eos esse. Narrabis, quantum uoluptatis sit in literis. Doctam probitatem offeres, me commendabis, te benigne offeres. Crede mihi Gulielme, etiam homini profuerit tuo. Unus est, qui inter suos plurimã

Narratio.

mimo

munum ualeat: habebis qui tua scripta per Angliã spargat. Iterum atq; iterũ te oro, ut si quid me amas, haec res tibi sit cordi. Succenseo tibi, quod tam breuiter, tam indiligenter scripseris. Me miserum, eò res redijt, ut magnum tibi uideatur, si una nocte mea causa uigiles. An excidimus inter uoluptates? Utinam ego particeps istarum uiuam. Sed uide, quo nos ambitio reiecerit. Sisyphi saxum uoluimus adhuc. Aliquid molimur, quod si parũ processerit, isthuc aduolabo. De uictu honesto nulla est mihi sollicitudo: certatim quæror, undiq; ambior. Sed õ utinam aut ego tecum, aut tu mecum uiueres. Nescis quam tui desiderio mæcerer, tui, inquam, unius. Excidit K. excidit I. excidit C. excidere cæteri, quos non nomino, ne lites audiam. Unus Gulielmus hæsit penitus, infixus medullis. Credo te ueneficia callere. Non ego malim cum ipso pontifice quã tecum uiuere. Honestatis studio duriuscule hic uiuimus. Valeat nomen theologi, ualeat fama, ualeat inutilis dignitas. Iã prælibaui quid sit, esse aliquid. Quid potius quã garrire cum amico? Iam tres menses sunt, quod neque Faustum, neque Gazinum salutauerim. Tu tamen scribes ad Faustum doctissime & breuiter: ad Gazinum uerbosius, pauca familiariter disputabis b

imò

imò disputandi præbebis materiã. Tabellarium cognatum tuum, quò diligentius nostra perferat, magnifice cõpellabis. Est enim honoris audior. Quod ad danandum attinet, à me curabitur: tu si quid uoles aut egebis, mihi significato. Habemus semper unum atq; alterum coronatũ Gulielmo. Vide quàm Galli sumus. Sed extra iocum, de antistite Traiectensi res apud me refraxit. Intellego eum hominẽ famelicũ. Quo pacto tibi isthuc uita procedat, quid agat frater, quid Cornelius, quid Seruatius, quid ceteri, fac omnia scia. Scribe uerbosissime & diligenter. Imò semper sub tabellarij aduentum literas parato. Boshius à Cornelio literas accepisse se scribit: tua carmina petit: intellego de me nihil scripsisse. Cornelium subratum suspicor, ne mihi quidem scripsit unquam: miror quid sit, amo hominem, dum te modo amet: nam de me non laboro. Scribe quid acceperis, nam quindecim tuorum carminum uolumina misi: epistolã bene longam, quã paratim ante morbum, partim recreatus, scripsi. De antistite Cameracensi nihil accipio. Bene uale. Lutetia. Anno M. CCCC. XCIX.

ERAS. ROBERTO GAGVINO.

Singularis tua humanitas, qua non minore cum laude uincis omnes quàm eruditione, mihi hanc ministrat

ministrat fiduciam, ut tametsi nihil promeritus, audeam tamen tuum officium tam libere requirere. Est mihi cum Macrobio homine (ut scis) per quẽ festiuo aliquot dierum colloquium. Eum quaeso, ut è tua doctissima bibliotheca ad nos ire iubeas. Nam tu quidem in tanta optimorum autorum copia, Macrobius unum nõ desiderabis, & nos in hac nostra inopia uehementer delectabit. Vale, ac nos tibi iam pridem deuinctissimos, deuinctiores reddito. Lutetia. 1499.

ERASMVS PETRO

Aegidio S. D.

Scripturus eram ad te, nam ita decreuerã mihi Petre, uerum interuenere nescio quæ, quæ propositum hoc excuterent. Laurentius, & alia quædã collectanea tua, sunt in tuto, iãq; ad te redissent, ni mihi cõsiliũ tuũ displicisset. Nam si huc ad pascha uenturus es, ut scribis, sine causa libros repetis: si non es uenturus, tum mittetur, quo uidebitur. Nam nihil est periculi, ne quid pereat, præsertim me aduigilante. Cum Antuerpiæ proxime essem, pater adito me, uolebat dicere, nescio quid magnum ac serium: uerum erat abeundum mihi. Suspicebar agi de te mihi committendo: quàm equidem rem neq; suasurus sum, ne uidear mei cõpendij gratia cupere, neq; dissuasurus, quum

quā percipiam tibi prodesse, et uideo quantū pos-  
sim, si mecum menses aliquot fueris. Et utinam patri  
mens ea fuisset priusquā isthinc abirem. Vale, et un-  
decūq; potes, collige Rodolphi Agricola opuscula,  
tecumq; de porta. Ioannes Gorcuiensis salutē mul-  
tam iussit tibi ascribi. Lutetiae. Anno M. D. III.

ERASMVS AMICO CVIDAM.

**P**ER tuam humanitatem N. iucundissime, obse-  
cro ut mihi ignoscas, quod neq; multa, neq; di-  
gna te tibi scripserim. Crede mihi, uolūtas ardentis-  
sima erat, sed in luctu iocosa scribere, perdifficile est.  
Nondum me collegi, nondū ad me redij, conor tamen  
musis adiutricibus, aliquid te dignum tibi dedicare.  
Verum ne me interim tantillū laboris tua causa desu-  
gisse putares, imperaui, ut potui, animo meo, ac Dio-  
nysiolam nostrā sum imitatus: quae nōnunquā, ut scis,  
cum lachrymis canit ac saltat. Vbi in antiquū animū  
rediero, nihil à me frustra petes, quod quidem praes-  
tare queam. Te pro nostra necessitudine hortor, ut  
toto animo literis incumbas, nihil dubitans, quin bo-  
nam partē sis affecuturus. Quas si amabis, me odisse  
non poteris. Hortor igitur te, non solum tua causa,  
uerum etiam mea. Bene te ualere cupio. Omnes tuae fa-  
miliae recte ualere precor. 1498.

Erasmus

ERASMVS CVIDAM.

**Q**UOD pristinam meam scribendi consuetudi-  
nem intermissam miraris, nihil est quod su-  
spiceris mali: neq; enim (quod semper fui) tui aman-  
tissimus esse desij. Bene uale.

ERASMVS CUIVSDAM.

**V**BI nostrum N. isthuc iturū iutellexistem, no-  
lui inanē uenire, praesertim qui me obnixē ro-  
garet, ut sese apud te commendatum facerem. Obse-  
cro itaq; ut eum pro tua ueteri consuetudine tracies.  
Nō clam me est, nec ille quidē ignorat, quantū possis,  
quantumq; mea causa uelis. Effice ne uel illū sua spes,  
uel me mea de te opinio fallat. N. quidē tibi nouū a-  
micū cōparaueris, me uero arctius deuinxeris. Vale.

CVIDAM.

**C**REbrius ad te scripsistem N. humanissime.  
Soleo enim huiusmodi officiorum genere cum  
amicis perlibetē uti, uerū uerebar, ne si aut tua stu-  
dia interpellatione mearū literarū inturbarē, aut  
non perinde iisdem officijs delectarere, improbus po-  
tius q̄ beneuolus uideri possē. Nunc certe continere  
me diutius nequaquā potui: dicā enim simpliciter: non  
quod ocio abundarē, quod unū in totū mihi interdixi,  
sed ne cōsuetudinis intermissio, de pristina mea in te  
beneuolen

benevolentia quicquam minuisse uideretur. Ita de te prorsus sentio mi N. ut ni tu me singulari animo complecteris, tota errem uia. Quid rerum faciam rogas? Amicis operam do, horum consuetudine gratissima memet oblecto. Quos tu tandē amicos mihi iactitas, inquis, homuncio leuissime? an quisquā te uisum aut auditum uelit? Equidem non diffiteor fortunatorum amicos esse plurimos: at nec pauperibus desunt amici, & quidem istis non paulo tum certiores, tum comodiore. Cum his me cōcludo in angulum aliquem: Cōmenda = & turbam uentosam fugiens, aut cum illis dulcia que tō literarū dam musito, aut eos aliquid insufurrātes audio, cum quas suos his non secus ac mecum loquor. An quicquā his com amicos ap = modius? Arcana ipsi sua celant nunquam, commissā pellat. summa cum fide cōtinent: nihil foras quæ liberius inter familiares effundere solemus, renunciant: uocati præsto sunt, inuocati non ingerunt sese: iusti loquuntur, iniusti tacent: loquuntur quæ uoles, quantū uoles quoad uoles, nihil assentantur, fingunt nihil dissimulant, uitia tua tibi libere indicāt, nemini obreclāt: aut iucunda dicunt, aut salutaria: secundis in rebus moderantur, consolantur in afflictis, cum fortuna nimis uariantur: in omnia pericula te sequuntur, ad extremos usq; rogos perdurant: nihil illis inter ipsos

canta

candidius. Committo subinde, nunc hos nunc illos mihi asciscens, omnibus æquus. Cum his amiculis optime N. sepultus delitesco. Quas ego tandem opes, aut quæ sceptracum hac desidia commutauero? Verumne nostrate fallat metaphora, quicquid de amiculis hactenus sum locutus, de libris dictum intelligas, quorum familiaritas me planè beatū effecit, hoc solo fortunatum, quod non tecum mihi hæc felicitas contingit. Te tanquam nihil opus, hortari non desinam, ut toto animo præclara studia complectaris, ne quid plebeitū, ne quid mediocre mireris, ad summa semper enitere. Spero futurum aliquando, ut me & fideliter, & amanter consuluisse, non semel fatearis. Concepi de facetijs, prowerbijs, sententijsq; negocium. Degustamenta quædam ad te dedi, quorum plus tria milia me annumeraturū breui confido, opus (ut auguror) tum gratiosum, tum perutile, hactenus à nemine tentatū. Quod si tibi cordi esse intellexero, erit cur & libentius, & ardentius eum laborem suspiciam. Interim uale, nosq; quod facis, ama.

ERASMVVS CHRISTIANO MERCATORI Lubecensi S. D.

EXPECTABAS tu quidem fortasse copiosam epistolam per fratrem tuum, sed erras uehementer. Si

i

quidem

quidem optimis legatis literas committere solemus, aut nullas, aut quæ breuissimas. Cessator, nugator. Vt quibus te accepissem modis, nisi dolor animum ademisset. Iam tibi destinaram epistolam, ut dignus es, mille conuicijs refertâ. Addis sceleri scelus, non modo non scribis, sed insuper Henricum unicas uitæ meæ delicias, tuis phaleratis dictis & scriptis à me distrabis. Quid dixi à me? imò à Musis. Inuides illi, credo, quod tu iam Mercurium & Ianum pro Apolline, nouemque sororibus, colere cœpisti. Quod nisi solatium meum quàm primū remittes, uel tibi carnifex. Iam apud me sunt limata spicula, tela instructa inuectiua istuc mittetur, omni aceto acrior. Tum tibi nihil reliquum patet, nisi ut aliquam suspendio trabem eligas. Heus, tibi dico, an non? ut huc Henricum, non minus meum quàm tuum, quàm primum absoluas, neu tuis nugis Mercurialibus diutius remoreris. Id nisi facis, bellum tibi iam nunc denuncio. Nihil est quod feciales, aut patrem patratum expectes, dixi. Ceterū quanquàm omnino dignus es illo mitti, ubi lapis lapidē terit, ubi nequam homines polentam pinsitant: ubi uiuos homines mortui incurstant boues, tamen saluum te esse cupio, si respicias. Quod si persiteris in tuo silentio, scin quibus ego te uocabulis exornatū reddam? nebulonem appellabo

appellabo, carnificem, furciferum, ganeonem, scelus, sacrilegum, monstrum, somnium, stercurus, sterquilium, pestem, perniciem, dedecus, sycophantam, nepotem, custodem carceris, imò carcerem ipsum, gymnasium flagri, delicias uirgarum, & si quid his contumeliosius excogitare poterò: his, inquam, appellationibus te denobilitabo. Cogaris rescribere, uel iratus. Hac pagella lusum est satis, alteram serijs dabitur. Sed quæ seria tecum, hoc est cum homine tam ridiculo poterunt agi? Nulla, opinor. Typographi tua opera uehementer expectant. Nam es tu quidem perdoctus, nec rideo tamen. Epistolæ tuæ iam excuduntur: Augustinus interpretationem parat: Faustus eandem ambit prouinciam, & Augustino palam inuidet. Auditum est, te isthic iam pridem excudere, uerum liberos credo nos libros, quos quàm optimos tibi generes oportet, ut tui quàm simillimos fingas. Nihil enim te nequius. Quid, tibi hoc dictum placet? satis ne falsum est, satini habet acceti? At mel hoc, dices, saxo, si cætera deprompsero. Verum ea seruo iusto bello: tu me time & caue. Iam seriarum rerum satis, rursum ad iocos redeamus. Vt te mi Christiane, quàm plurimum amem, fraterni mores me cogunt, nō modo tui: quibus ego nihil adhuc in uita uidi

uel integrius, uel candidius. Tuam presentiam frustra optauimus. Sæpe aliquid molimur, quo te domemus: sed nostra fata ex Henrico cognosces, cui in cæteris fideli, caue in meis laudibus credas. Mentietur enim de me suo more permulta, amoris magnitudine potius quàm iudicio. Rodolpho Langio scripsi. Tu & me, & meam epistolam tua commendatione adiuuabis. Sed longior exit epistola quàm uolebam. Facundū habeo tabellarium, ei cætera narranda relinquo. Tu nos ama, ualeq;. Parisijs Idus Feb. 1498.

ERASMVVS AVGVSTINO S. D.

**I**Tâne ut medico tuo (nescio cui) gratificeris, meumco tædij mei solatio spoliass? Nam munere quidem, non audeo dicere. Ego quidem ita huius autoris ardeo amore, ut quum intelligere nequeam, aspectu tamen ipso recreer ac pascar. Ceterum uehementer iniquum ratus tibi ulla in re, uel parum æqua aduersari, præsertim in rebus afflictis, Homeri partem ad te mitto, ut & medici istius improbitati satisfiat, & ne ego omni solatio destituar. Nam ita quidem cum Iacobo uiuimus, ut soli uiuamus. Itaq; miser expecto, donec in pristinam consuetudinem redeamus. Id quidem propediem futurum uideo, quando quidem audio adolescentulum uehementer recreatum. Interim te

oro

oro, ut uel literis mutuis, mutuam quandam consuetudinem imaginemur. Nō possum te exorare, ut epistolarum opus mihi mittas, quum tantopere me intersit, & tua non nihil. Quod ad Iacobum pertinet, ego me tibi quouis periculo obligabo, me illi ne literam quidem communem facturum. Ita assuefeci hominem, ut quid agam, ne respiciat quidem. Salus, uale charissime Augustine, nostram communem fortunam sustine animo quo soles. Salutat te tuus Iacobus, & hoc nomine meus quoq;, quia tuus. Epistolarum opus expecto, si non totum, at certe codicem unum, aut alterum, ut auspiciari saltem liceat, & hoc opus interim uidetur à me absolui posse: nam reliqua sine summa librorum copia qui perfici possint, non uideo. Cura ut ualeas optime Augustine. 1499.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Augustino suo S. D.

**D**E meo in te animo, ex literis, quas isthic reliqui, potes cognoscere. A bimestri penè peregrinatione, uix demum apud Battum nostrum consedimus. Crebri huc rumores adferuntur, pestem isthic populari omnia. Quod si tu è re tua ducis esse, ut huc comigres: quod scripsi id ipsa re comperies. Caue suspiceris meam isthinc migrationem ulla cum maleuolentia,

i 3 tia,

tia, doloue fuisse coniunctam. Emoriar, si antehac unquam perinde nolens reliqui Lutetiā: sed crebra me funera territabāt. Quod si propter ueteres offensas, nonnulla animum tuum habet suspicio nostri periculum facito: intelligas saxo, sic te à nobis amari, ut antehac friguisse uideamur. Toto itinere nihil usquā de tuo reditu potuimus cognoscere, id quod partim dolebam, partim etiam mirabar. Tandem Antonius quidam narrabat audisse se quendam, qui te Lubeci à se uisum conuentumq; affirmaret uel hoc argumento, quod Laurentianas elegantias à me quondam concinnatas in compendium, tibi tradidisset. Nec ad hunc usq; diem, uel certus, uel incertus huc rumor allatus est, te Lutetiam reuertisse. Eoq; scripsimus tum breuius, tum neglectius, ne maioris operæ aleam tentaremus. Tu si iam reuersus es, saltem de toto tuo itinere, reliquisq; fortunis, epistolam quàm longissimam texito. Rudolpho tuo multis de causis quàm cōmendatissimus esse cupio, Nicolaum reliquosq; discipulos tuos, optime de me meritos, meis uerbis saluere iubebis. Tu cura ut ualeas. Huc si aduolas, quanquā hoc uix audeo sperare, nihil polliceor uerbis, re faciam, quæcunq; digna sunt gratissimo homine, atq; amatissimo. Apud sanctū Bertinum. Anno 1498.

Henrici

HENRICVS CHRISTIANO FRATRI S. D. Erasmus autor est epistola.

**Q**uid hic agatur. scire cupis suauissime Christiane? Somniamus. Quid nam, inquires? Id quod amamus, literas, quibus nobis nihil est in uita dulcius, ac secundū eas Christianū dilectā animæ nostræ partē. An tu te à nobis abesse credis? nihil minus. Nulla dies sine te, nox mihi nulla fluit. Soli sumus, Christianū cogitamus, cum amicis de te garrimus, & quidem perlibenter. Dormimus, te somniamus, nullū hic prandium, nulla cœna sine te agitur. Conuiuarius nobiscū, studes nobiscū, dormis nobiscū. Quid queris? En Christiane frater, hac uita non paulò mihi iucundior: quantum camporum, quantum montium, quantum urbium, quantum fluminum, me teq; dirimit? At corpora distrahi possunt, animi diuelli nullo pacto possunt: ita ut somnus qui coniunctos interdum conuenit disiungere, nos disiectos copulet: Siue hoc re ipsa fieri credendum est, ut corporibus somno inertè occupatis, animi interim furtim tanquam è uinculis euolare gaudeant, immensoq; spacio perniciousè exalto suos amores inuisant: siue mens humana, quoniā ignea est, miræq; agilitatis, simul atque omnia corporis organa somnolenti illi uapores occupauerint,

i 4 illa

illa interim ocij impatiens, crasis illis nebulis oblectatur, & uel ipsa sibi fixas illic imagines renouat, uel ex diuersis uaporum discursibus, diuersas sibi rerum facies depingit: Siue ut poëtae narrant, rex quidam placidissimus, ac deus humani generis amantissimus, quē somnum uocant, ubi artus, sensusq; mortaliū diuinitis operis fatigatos aspersit succo lethæo, suisq; oblectos, dulci quiete reficit: Morpheum quendam fingendarum formarum mirificum artificem in terras emit tit, qui leni uolatu, nunc in huius, nunc illius cubiculū illapsus, notas unicuiq; imagines representat: siue ex ulmo illa ingenti huiusmodi uisa, geminis portis ad nos euolant. Quod si non omnia mentiuntur poëtae, cornea porta uenisse non dubitem, quod nuper mihi accidit somnium, longe omnium iucundissimum, quod me quidem ordine narrare non pigebit, modo tibi au

Somnium.

dire non sit molestum. Calendis Augusti, qui quidem mihi dies omnium multo candidissimus effulsit, cum hilare, suauiter, prorsusq; laute cenauissemus. Quis nam et quot rogabis? Tres animæ, quibus nihil unquā terra tulit sanctius, candidusq; ERASMVVS nūc planè noster, Augustinus communis quidem omnium amicus, tum tibi peculiariter deditus, ego tertius, tu non omnino aberas. Bellissimi prorsus hominum

culi,

culi, tum tempus aptum, locus lectus, apparatus non neglectus. Quoties ibi salutatus Christianus? quoties nominatus? quoties desideratus? Num quem dextræ auris tinnitum sensisti Christiane? Post mensas secundas prodeambulatum est, & quidem illic ubi se semel atq; iterum tecum spaciatum, narrabat ERASMVVS, cum mellitis sermonibus ebrij inter uineta reptantes oberraretis, tum quū te facundis illis suis hortatibus à sordidissimis curis auocaret, totumq; in literarum amorem raperet. Agnoscis ne locū Christiane? Ibi nos ERASMVVS literatis fabulis multo quidem lautius paut, quàm cœna. Adeo multa repetebat antiqua, tanto orationis lepore, ut me quidē cœlesti quadam uoluptate afflauerit. Domū reuersi, in multam noctem de te sermonem traximus. Itum est uix demum dormitum, me quidem partim ex cœna & potatiuncula largiore, partim ex deambulandi labore (nam pigritiam meam satis nostri) somnus altior oppressit. Ibi uero quod ait Claudianus: Omnia quæ sensu uoluuntur diurno, Pectore sopito reddidit amica quies. Iam ipsam in uinetis deambulabam, omne spaciū remetiens, sed solus, omnia ueris simillima. Subibat animum multa de te cogitatio: desiderabā ueterē illam consuetudinē nostram. Veniebat in mentē tuus

i s ille

Modus lo- ille animus plus q̄ fraternus. Iā sollicitus erā, quid age  
 quēdi apud res, quid ualeres, satī saluē res: quod complusculis  
 meteres ubi mensibus nihil à te nunciaretur. Et ecce de improviso  
 qd turbati sis obuius, tanquā ociose deambulans, uultu quidē ni-  
 erāt inter- tido, & cute bene curata. Iam hoc primū fausta tuæ  
 rogabāt an ualetudinis omen accipio mi Christiane. Ita te totum  
 satis saluē Morpheus ille effinxerat, ut ne tu quidē ipse tui tama  
 res essent. sis similis, quā imago illa. Ac me quidem conspecto  
 Lini. i. ab familiaris tuo quodam more uisus es subridere: Al-  
 urbe cōdi- terum id mihi est omen, te recte ualere. Deinde gesti-  
 ta: Quere entes accurrimus utriq; consalutamus. Ibi ego sus-  
 itq; uiro, sa pre gaudio lachrymis: Tene inquam, teneo mea uolu-  
 tū saluē, ptas, mi frater animo maxime desiderate meo? Quid  
 minime in- fit: quis te nobis uel deus, uel casus obtulit? uigilans ne  
 quit. te uideo, an imagine fallaci deludor? Tū tu: Ego qui-  
 dem ò animæ dimidiū meæ, cætera perbelle ualui: sed  
 quod iucundissimo tuo conuictu carerem, plus quā  
 dimidiatus mihi uiuere uidebar, meliore animæ meæ  
 portione distracta. At ego, neutiqum tibi concedā,  
 inquam, ut tu mei, quā ego tui desiderium tulerim,  
 impatientius tuleris. Sed age doce, quid nam repente  
 accidit, quod tam immensum iter remensus. Parisios  
 repeterē uolueris. Nam ut plurimum à nobis deside-  
 rabaris, ita nihil minus, quā tuum conspectum spe-  
 rabamus.

rabamus. Audies, inquiebas, neq; enim me pudebit, ut  
 res habet fateri. Vbi ad illa Mercurialia mea nego-  
 cia redissē, mirum est dictu, quā mibi coeperim di-  
 splicere, tibi inuidere, mihi irasci, quod sanctissimo  
 musarum contubernio relicto, ad prophanas illas cu-  
 ras reuertissē. Mene sic desipuisse, ut illū lucrum  
 tanti habuerim, cui sanctissima studia posthaberem?  
 Tum quidem mellita illa ERASMI oratio animo  
 obuersabatur, qua me his ipsis in uineis tanquā in  
 alium hominē transformabat, multa in huius quæstus,  
 sordes & incōmoda differens, quum bonas literas ita  
 cum omni genere rerū conferebat, ut cum nullis om-  
 nino conferendas ostenderet, solas illas esse proprias,  
 hominis opes, neq; dari à fortuna, neq; eripi posse,  
 usu augeri, non minui, meliores fieri, non deteri, non,  
 senescere cum forma & uiribus corporis: non contin-  
 gere ignauis, ut honores: non auocare hominem à uir-  
 tute, sed instruere: eas solas tranquillare animum no-  
 strum, semper parata esse presidia: demū sine his ne-  
 homines quidē nos esse. Sed quid ea perstringo quæ  
 ille uix duabus horis perorauit? His ego inflamma-  
 tus, ita ne fiet inquam? Henricus literarū tanto me-  
 lioribus mercibus ditatur, & ego prophanis immer-  
 sus negocijs, bene cœpta turpiter relinquam? Quid  
 multat?

multa uictus inuidia, abrui me, & omnibus relictis  
huc aduolavi, ne diutius essem à uestro contubernio  
alienus. Nunc tuæ facilitatis erit, transfugā in uestra  
castra recipere, posthac certū militem futurū. Tum  
ego nimio miratus opere, per deum immortalem, in-  
quā, quid narras? Itāne inuidia tua te nobis restituit,  
imò te tibi? O faustam felicemq; inuidiam. Verum si  
nunc te quā sis fortunatus doceam, credo tibi ipsi in-  
cipies inuidere. Hic tu, quin tu igitur festinas istud ex-  
ponere? Quid obticuisisti? At ego uix tandem, inquā,  
ô mi Christiane, cur & leues loquuntur, ingentes stu-  
pent. Quicquid est in cœlo syderum, quicquid deorū,  
omnia tuum Henricū benigno uultu respiciunt. Pror-  
sus deorum uitā adepti sumus, si modo bono hoc per-  
petuo liceat frui. Ibi tu magis accensus audiendi cupi-  
ditate, gratulor ita me musæ ament frater. Verum,  
ut uere tibi possim gratulari, quæso rem paucis expe-  
dias. Atq; ego, summum, inquā, bonum, si quod est  
in hac uita summū bonum, superiū numine mihi con-  
tigit, quod ne optare quidem unquam sum ausus. Iam  
diuinas opinor, quid ego sim assequutus. Quid enim  
uel magis ex uoto, uel ex usu potuit obtingere quā  
præceptor tum eruditus, tum amicus? Habeo om-  
nium tum eruditissimum, tum amicissimum: ERAS-

M V M, inquā, illum diu misere petiitum: deinde ha-  
beo, possideoq; solus, potior proprio, fruor assidue,  
totus toto, noctes diesq;. Quid queris? Heliconem ip-  
sum intra cubiculi mei parietes teneo. Quid est in mu-  
sarum choro uiuere, si hoc non est? Omnia apud nos  
tum seria, tum ludicra, ocia, negocia literis condiun-  
tur. Inter prandendum de literis garritur, cœnæ lite-  
rarijs condimentis lautæ sunt. Inter deambulandum  
de literis nugamur, ne leuiores quidem lusus nostri à  
literis sunt alieni: de literis confabulantes somnus op-  
primt: dormientium literata sunt somnia, experrecti  
à literis diem auspicamur. Ludere mihi uideor, non  
studere, & tamen nunc demū studere me sentio. Ve-  
rum ne solitudinem nostram contemnas, multi quoti-  
die nobiscum pransitant ac cœnitant, quanquam ipsi  
satis multi sumus, qui gratiarum numerum repræsen-  
temus: uerum ita libet quotidie adhibere cōpotores  
uarios. Quos, inquires? Ne tu istos cogites, qui calices  
exiccant: ueteres illos amicos nostros nosti commo-  
dissimos, qui sumptum nō adferunt, uoluptatem ad-  
ducunt, de probatis autoribus loquor. Conuiuū ini-  
turi, quem inuimus, potissimum ad conuiuium uo-  
cabimus? Quid si adhibeatur Macrobius? adhibea-  
tur, sed bellaria sua, non somnium adferat. Aut certe

uocetur Aulus Gellius, Macrobio lautior hospes, qui multa etiam in nocte nos suis candidissimis illis noctibus detineat. Quid si Apuleium citemus philosophum quidem illum, sed fronte neququam tetrica? Si poetas malumus, ueniat Catullus, aut Martialis: aut si recentiores iuuat audire, uocetur Campanus, homo lepore iocisque natus. Accubabat Politianus politissimi uir ingenij. Tetricos illos in compotationem non adhibemus, sed in colloquium. An quicquam tu credis uel conuiujs nostris esse lautius, uel conuiujs comodius? Nam alios quidem conuiuas, non sumptu solum nostro, uerum etiam sollicitudine necesse est accipere. Hi coenam ex tristi hilarem, ex tenui opiperam, ex parum condita conditissimam efficiunt. Et tantum abest, ut nostro damno ueniant, ut sumptibus aliquid etiam detrahant, lauticijs addant. Adde commoditatem, atque urbanitatem. Vocati non grauantur, iussi uenire praesto sunt, inuocati sese non ingerunt, neminem mordent, nemini obtrectant, iniuriosi tacent, iusti loquuntur, ut uolumus, quae uolumus, quoad uolumus, quantum uolumus. Nihil eorum quae liberius inter uina solent effutiri, sub dium rapiunt: suos animos candide communicant, nostra arcana summa cum fide continent. Quae loquuntur, nihil barbarum, nihil insulsum, nihil ine-

ruditum

ruditum efferunt. Aliquid narrant, aut quod antiquitate delectet, aut quod nouitate placeat, aut elegantia sit politum, aut utilitate commendetur. Haec tanta bona, quum mihi, ne speranti quidem contigerint: quid enim tibi uideor satis fortunatus? hic tu. Videris, inquit, uel ipse omnino, uel ipsa fortuna fortunatior Henricus. Verum quis tam propicius deus, frater, te tanto beaui hospite? Longa est, inquam, o Christiane iniuria, longa ambages. Vereor autem ut hic solidus ad narrandum dies suppetat, sed tamen accingar rem in pauca conferre. Nosti ne senium quoddam nomine N. Tu uero uocabuli inusitatae barbarie offensus, quum exclamasses, cuius daemones id nomen esset: Desine inquam, uox haec tibi parum barbara uideatur, si hominis barbarie, omni barbarie barbarioris, uel ex parte cognosceres. Hic quum uniuersam aetatem suam omni scelerum genere strenue exercuisset, ita ut iam nullum, neque latronem, neque impostorem metueret, quibus artibus ad id magistratus ascenderat, ut Parisijs regis sui nomine, proditoris partibus fungeretur, quod huic muneri nemo sit admodum idoneus, qui non idem proditor sit maximus, quanquam nullus facinoris ille rudis esset, hanc tamen laudem sibi proprie uindicabat, ut huius appellationis antonomasia

fiam

fiam quandam sibi deberi putaret. Tum tu subhesi-  
tans, at qui, inquebas, portentum istud, nescio an uide-  
rim. Fortunatus, inquam, tu Christiane, si non uisu-  
rus es. Nam ego quamuis furiam, quam hoc ostentum  
malim aspicere. Ut autē paucissimis tibi hominis effi-  
giem representem. Quicquid unquam tetrum, horri-  
dum, monstruosum, distortum, foedum, in omnium ho-  
minum corporibus uidisse meministi, in unum simula-  
crum compinge, & habes ipsius senis ipsissimā ima-  
ginem. Neq; enim aliquid habet monstri, sed totus ex  
meris monstris cōstat: sicut in Pandorā illam poëticā  
omniū deorū omnia munera collata fuisse ferunt, ita  
in hunc omnium monstrorū monstra conflata compa-  
reant. Quem si aspiceres, neq; hominem, neq; pecu-  
dem, sed ipsam Erinnyem esse diceres. Et ne te longius  
traham. Is est semiscotus ERASMI nostri carni-  
fex. Huic quum in mentē uenisset uexare literas, lon-  
gum narratu fuerit, quibus artibus homo fucatisi-  
mus simplicem & candidū pellegerit. Tum tu me ue-  
niam preefatus interpellans. At qui nam, inquebas,  
stipiti isti ueniebat in mentem, ut de literis cogitaret?  
Quid enim homini, qui non modo consenuisset, ue-  
rumetiam in omni uitiorum coeno consenuisset: pre-  
terea plumbeis præcordijs, mente iam furiata, cum  
literis

literis? Id prorsus, inquam, quod asino cum lira, gra-  
culo cum fidibus, boui cum palaestra, camelo cum hi-  
strionica, aut paulò etiam minus. Nam procliuus ego  
puto, uel è sue philosophum facere, quam ex illo lite-  
ratum hominem, qui ne figuram quidem hominis ha-  
bet, mentem uero furiarum. Sed stultum est rogare,  
quid homini furioso in mentem uenerit. Si quid sensit,  
nihil aliud illi in mentem uenisse puto, nisi ut literas de-  
uexaret, & literatis hominibus, quorum ocio mon-  
strum inuidentissimū inuidebat, negocium facerent.  
O miser, inquebas, literas nostras, ubi à talibus pro-  
digijs uel nominari cœperint. Hoc tum, inquam, de-  
mum sentires Christiane, si asinū illum ad liram con-  
spexisses. Sedebat homo canus, rugosus, saliuā in hir-  
tam barbā defluente, per supercilia sylvosa doctorem  
oculis illis belluinis aspiciens, capite tremulo, labris  
liuentibus, dentibus rubiginosis, ex spurcissimis illis  
faucibus tartareum uirus efflabat. Et quo magis mi-  
reris, in animo sibi esse dicebat, sacris initiari. Nonne  
tibi fabula uidetur agi, qua uulgo cacodemonem in-  
ducunt, qui in morbo monachum se fieri uelle fingit?  
Et Erasmo quidem nostro canis suis, ac lachrymis  
quas meretricū more in promptu habet, fidem fecit,  
& quidem facile, nimirum homini simplicissimo, &  
k qui

qui ne esse quidem huiusmodi in orbe portenta potuerit suspicari. Docuit hominem aliquot menses, ignarus se colubrum sinu fouere. At non possunt perpetuò latere uenena. Eruperunt tandem illæ furia, quas ille pectore claudebat. Erasmus tum demum intelligens se tantum officiorum ingratisimo nebuloni collocasse, repente hominem cum sua mente reliquit. Ego qui multum diuq; illius consuetudinē ambieram, uisus potissimum dignus, ad quem sese reciperet. Miser ille tantum suæ pecuniæ confidit, ut nihil minus metuat, quàm ne Erasmus reuocare nequeat. Reliqua familia quanta est, senis morosissimi caput diris deuouet, lachrymis reposcunt Erasmus. Sollicitat Robertus uir pecuniosissimus promissis. Thomas adulescens generosissimus blanditijs oppugnat. Pater materq; familiã reuocãt, ancillulæ domesticæ pueriq; pro se quisq; ut remigret orant: adeo tum maximos, tum minimos mirabili quadã morũ suauitate sibi deuinxerat. Iam silicerniũ facti pœnitet, sed pudet hominem fortem & constantem repente à sua rabie respiscere. Furit, & uiuit: non suæ modo familiæ, non solum uniuerso mortalium generi, sed sibi quoq; ipsi iniustus. Erasmus, his rebus omnibus non magis permouetur, quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes, nostræ

nostræ familiæ sese asscripsit. Hic tu hominis prodigiosam ingratitude admiratus, ô miserum, inquebas Erasmus, qui in illam furiam inciderit, & ô pestilentem illum senem, in extremis Indiæ solitudines deportandum. At imò, inquam Christiane, ego hominis furori maximã habeo gratiam, qui nisi Erasmus extrusisset, ego beatus non essem. Et ille se hoc modo consolari solet, quod propicio etiã deo in illud demonium se dicat incidisse, ut esset à quo patientiam disceret, quemadmodũ Xanthippe olim Socratem exercuisse dicitur. Ita nostrum utriq; feliciter euenit hæc comœdia. Quare te decet Christiane fratri tuo plaudere. Tum tu, ego uero, inquebas, tantam animo gratulationem concipio, quantam exprimere omnino nequeã. Quod si par esset affectui dicendi facultas, gratularer tibi ô frater, oratione tã magnifica, tam copiosa, ut Cicero ipse nunquam sit usus, neq; copiosiore, neq; magnificentiore. Sed balbutiem meã nosti. Quin hinc recta domum tendimus, Erasmus ut salutemus? Recte mones, inquam, equidẽ nihil prius faciendum censeo. Hic dum ego tibi leuuum latus claudere conor, tuq; uicissim mihi sinistrũ prehensitas, in hoc mutuo urbanitatis certamine somno solutus, Christianum meum perdidisti. Erasmus, qui mecum cõmuni in lecto

cubabat, ubi me cōmotiorem sensit, quid habeam, rogat. Narro rem ordine. Ille accito puero literis rem ordine mandat, ut planè intelligeres, ne somnia quidē nostra tibi celāda esse. Bene uale. Parisijs. An. 1498.

ERASMVVS IACOBO

Batto S. D.

**I**Tāne tu reuixisti, ut me contumeliosa epistola occideres? Iam nūciatus eras, lecto affixus esse, iam Empirici Empirici secturi ferrum expectare. Nos luctuosi ac erāt medici tristes epitaphium meditabamur. Et tu si dijs placet, qui experi subito exortus, ad inuectiuā me prouocas. Quāquā entia tantū longe malim mi Batte, uel acerrimis inuectiuis bellū mittebatur tecum gerere, quā epitaphij scribendi officio, pium Plil. lib. 29. etiam amicū agere. Agedū accingamur igitur, quā c. 1. 5. Alia do tu prior ad arma prouocas. O perditam audaciā, factio abex Audes uirū tam magnifice nummatū, tresis hominū perimentis cio contumelijs laceffere? Quod si opes meas contemna se cognomi psisti, num uel calamum ERASMI metuebas? Scis nans, Empi quibus machinis soleant bellare poëtæ, quas si iratus rice, cepit in te torsero, actum de te fuerit, frustra te fossæ istæ, in Sicilia. isti aggeres, ista moenia quantūuis munita cinxerint. Sed hæcenus prælusserint uelites. Tu nisi pacem ultrò petes, iusta tecum acie decernam. Verum extracum, gaudeo oppidō quā ex animo mi Batte, tibi dēdē

dēdē occidēdi non deesse. Nam mendax illa Adriani epistola me misere exanimarat, ita ut mecū deliberarē, num isthuc recurrendum esset. Quod de sarcina clapsa scripsi, utinam eiusmodi sit, ut ioco scriptum fuerit. Quorsum tendā, te sentire scribis. Id ego tibi uerbo expediam. Pergam, non quō cursum institueram, sed quō me tempestas agit transuersum, nisi tu nouas suppetias miseris. Hæc ne utiquam ioco dicta mi Batte, re ipsa propediem experieris. Quāquā nos quidem probos naucleros imitabimur, & arte cum tempestate pugnabimus. Et uel iratis uentis, si recto cursu depellemur, uelis tamen utemur: & si eum portū quem maxime petimus, contingere non licebit, certe in quoduis littus eijciemur. Hæcenus migrādo & remigrando sumus tumultuati, ac uixdū etiam confestim. Omnia mea contraho perdiligenter, tu fac asellū nostrum quā primum huc clitellatū extrudas, eum tibi chartacea sarcina oneratū remittam. Tu præter uestes meas, de quibus scripsi, epistolas quoque tuas, tum Guilhelmi mittito. Cāpanus hic uenalis esse desit, & nimio dum esset emebatur. Tamē & hunc & Sulpitium mittam. Sed asinum nostrum expecto, neque enim ignoto iumento tantas merces commiserō. Nata his theologus diligenter me tuis uerbis salutauit, ex quo

quo dominā Veriensem iter Romam unā cum sorore instituisse, cognoui, me sibi comitē uelle ostēdit. Quod ex arce breuis euolaturus Louanium, gratularer tibi, nisi te tam insolentē noua libertas redderet. Tam ferox es factus, cui diutina seruitute afflicto, uix tenuis quaedā libertatis spes affulserit. Quid tandē futurum est, ubi Louanij cū tua pompa regnabis? Fac me diligenter toto de animo tuo certior em: et quid in te nostris de rebus fatalis spei resederit. Nā sub discessum meū nihil dextrē mihi uisus es consuluisse. Quibus iubes scribam per Natalem. Comes qua est comitate, te resalutat plurimum. Medici puer nunquam concedam, ut me tam uestigarit, quā fuerit à nobis uestigatus. Iam ne nominibus aulicis bonam epistolae partem occupem, quos par est, et (ita ut queng; par est) torquatos istos meo nomine salutabis. Adolphū alumnum tuum feliciter agere precor. Vale Parisijs M. CCCC. XCVIII.

D. ERASMVVS ROTERODAMVS

Ioanni Sixtino S. D.

Narratoria est Epistola.

**Q**uam uellem nuper, ut expectaram, ita nostro illi conuiuio interfuisse: uerò, inquam, conuiuio, non symposio. Mihi quidem omnino nullum unquam fuit suauius, lautius, mellitius. Deerat nihil.

Belli,

Belli, ut inquit ille, homunculi, tempus lectū, locus lectus, apparatus non neglectus. Vis lautijs, ut uel Epicurum ipsum, his sermonibus conditū erat, ut uel Pythagoram delectare potuerit. Homunculi non bellissimum, uerum etiā bellissimi, et eiusmodi, qui Academiā possent facere, nō modo conuiuūt. Quinam, inquit? Accipe, quod magis te doleas abfuisse. Primū Richardus prior, ille Charitum antistes: tum theologus is, quō eodem die Latinam habuerat concionem, uir tum modestus, tum eruditus: deinde Philippus ille tuus homolepidissima festiuitatis. Presidebat Coletus ueteris illius theologiae uindex atq; assertor. Accumbebat dextro Prior, homo (ita me deus amet) non minus mirabili mixtura, ex omnium literarū generibus omnibus quā ex summa humanitate, summaq; item integritate conflat. Ad leuam recentior ille theologus, cui nos quidē leuū latus clausimus, ne non poeta conuiuio deesset. Ex aduerso Philippus, ne adesset iurisperitus. Accumbit deinceps mixtū et sine nomine uulgus. His ordinibus ita digestis, statim bellum oritur inter pocula, non tamē ex poculis, neq; poculentum. Cum uarijs de rebus parum conueniebat, tum de hac pugna erat acerrima. Dicebat Coletus, Caymea primum culpa deum offendisse, quod tanquam conditoris be-

h 4

nignitas

nigritate diffusus, suaeq; nimium confusus industriae  
 terram primus prosciderit, quā Abel sponte nascen-  
 tibus cōtentus, oues pauerit. Cōtra nos pro se quisq;  
 niti, Theologus ille syllogis, ego rhetorij. Ne  
 Hercules quidē cōtra duos, aiunt Græci. At ille unus  
 uincebat omnes, uisus est sacro quodā furore debac-  
 chari, ac nescio quid homine sublimius augustiusq;  
 præ se ferre. Aliud sonabat uox, aliud tuebatur, oculi  
 alius uultus, alius aspectus, maiorq; uideri, afflatus est  
 numine quando. Tandē cum & longius processisset  
 disputatio, & esset quā ut conuiuio cōueniret, gra-  
 uior atq; seuerior: Tum ego meis, hoc est, poetæ pat-  
 ribus functurus, ut & eam contentionem discuterē,  
 & festiuore fabella prandium exhilararē. Res, in-  
 quam, per antiqua est, & ex uetustissimis autoribus  
 repetēda, de qua quid ipse in literis repererim expo-  
 nam, si prius detis fidē uos, id quod sum narraturus,  
 pro fabula nō habituros. Vbi promississent: Incidimus  
 inquam, olim in uetustissimum codicem, cuius & titu-  
 lum & autorem etas aboleuerat, tineæq; bonis lite-  
 ris semper infestæ, deroserant. In eo unica tantum pa-  
 gina, nec erat carie uiciata, nec à tineis aut forcibus  
 arrosa, nusis credo quæ sua sunt tutatibus. In ea hæc  
 ipsa de re, de qua decernitis, legere memini, aut ue-

Fabula de  
 Caym.

ram,

ram, aut si uera non est, certe uerū simillimam narra-  
 tionem. Quā si uultis recensebo. Iubētibus illis: Erat,  
 inquā, Caym ille, homo quemadmodū industrius, ita  
 famelicus & auidus. Is à parentibus persæpe audie-  
 rat, in uiridario illo, unde fuissent depulsi, segetes sua  
 sponte prouenire letissimas, spicis amplissimis, gra-  
 nis prægrandibus, culmis adeo proceris, ut alnum no-  
 stratem æquarent. Eis nec lolium, nec spinam ullam,  
 aut carduum internasci. Hæc quum ille probe meni-  
 nisset, uideretq; eam tellurē, quā tum uexabat ara-  
 tro, uix malignam minutāq; frugem producere, dolē  
 addidit industriae. Angelū illū par adisi custodē adiit,  
 eumq; ueratorij technis adortus, magnis promi-  
 sis corruptit, ut sibi ex felicioribus illis segetibus, uel  
 paucula grana clam largiretur. Dicebat, deum iam  
 olim huius rei securum ac negligentē esse, tum si ma-  
 xime rescisset, facile impune futurum, cum res esset  
 nullius momenti, modo de pomis illis nihil attingere  
 tur, de quibus solis fuerat interminatus deus. Eia, in-  
 quit, ne ianitor sis nimium diligens. Quid si ingrata  
 etiam est illi nimia tua sedulitas? quid si falli etiam cu-  
 pit? magisq; illū hominē callida industria, q̄ iners oci-  
 um delectabit? An uero tu tibi isto munere magnope-  
 re places? Ex angelo carnificē te fecit, ut miseros nos,

k 5

et perditos crudelis arceres à patria te foribus cum  
 romphæa alligauit, cui muneri nos canes nuper ceppi  
 mus addicere. Nos quidē sumus miserrimi, at tu mihi  
 uidere conditione nō paulō afflictiore. Nos quidē pa-  
 radiso caremus, quia pomū nimitū dulce gustauimus,  
 Tu ut inde nos arceas, pariter et cœlo cares et pa-  
 radiso: hoc inferior, quod nobis quidē huc, atq; illuc,  
 quō fert animi libido, uagari liberum est. Habet et  
 hæc nostra regio, si nescis, quibus exiliū nostrū conso-  
 lemur, nemora comis uirentibus, mille arborum gene-  
 ra, et quibus uixdū inuenimus uocabula, fonticulo s-  
 passim ex cluiis, ex rupibus scaturientes: flumina lim-  
 pidissimis aquis, ripas herbidas lambētia, montes æ-  
 rios, ualles opacas, ditissima maria. Nec dubito, quin  
 in intimis illis suis uisceribus claudat tellus aliquid bo-  
 narū mercū: quas ut eruā, scrutabor oēs eius uenas:  
 aut si mihi defuerit ætas, nepotes certe mei faciēt. Sūt  
 et hic aurea mala, sunt fici pinguisimi, sunt frugū om-  
 nijuga genera. Multa adeo passim sponte nascūtur, ut  
 paradysum istam nō magnopere desideremus, si liceat  
 hic æternū uiuere. In festamur morbis, et huic rei in-  
 ueniet remediū humana indust: ia. Video herbas mirū  
 quiddā spirātes. Quid si et hic inueniatur aliqua, quæ  
 uitā faciat immortalē? Nā scientia ista non uideo quid

ad rem

ad rem pertineat. Quid mihi cum his quæ nihil ad me  
 attinent? Quāq; in hac parte nō cessabo, quādo nihil  
 est, quod nō expugnet pertinax industria. Ita nos pro  
 uno hortulo mundū latissimū accepimus, tu utring; ex-  
 clusus, neq; paradiso fruēris, neq; cœlo, ne terra quis  
 dē, perpetuō his affixus foribus, rōphæa semper uer-  
 sans, quid nisi ut cum uento pugnes? Eia age si sapi-  
 s, tibi simul et nobis consule. Da quod sine tuo detri-  
 mento largiri potes, et accipe nostra uicissim, quæ  
 tibi facimus communia. Miser faue miseris, exclusus  
 exclusis, damnatis damnator. Peruasit pestimā cau-  
 sam, uir pessimus, orator optimus. Paucula grana sur-  
 tim accepta diligenter obruit, enata sunt non sine fo-  
 nore, id scœnus rursum terræ gremio commissum, ite-  
 rum atq; iterum, aliud atq; aliud. Nec sapius ætas re-  
 currit, cum ille iam ingentem spaciosumq; agrorum  
 tractum hac semente occuparat. Quæ res ubi eiden-  
 tior esse cœpisset, quā ut superos latere posset, ue-  
 bementer iratus deus: Quantum intelligo, inquit, iu-  
 uat hunc firem labor et sudor. Eum ego illi magni-  
 fice cumulabo. Simulq; cum dicto confertissimum un-  
 diq; agmen immittit in segetem, formicarū, gurgulio-  
 num, bufonum, erucarum, murū, locustarū, scrophæ-  
 rum, auium, aliarumq; id genus pestū, quæ segetem

partim

partim adhuc humo conditā, partim herbescentem,  
partim iam flauā, partim horreo cōpositam depasce-  
rentur. Accesit ingens caelo calamitas grandinis, &  
uēti uis tāta, ut quernis roboribus aequales culmi illi,  
stipulae aridae in morē defringerētur. Angelus ille cus-  
tos mutatus, atq; quod hominibus faueret, humano  
corpori inclusus. Caym, quū deum incensis frugibus  
placare studeret, nec fumus subuolaret, certam illius  
iram intelligens, desperat. Habes fabulā Sixtine, inter  
pocula dictā, atq; inibi inter pocula natā, atq; adeo ex  
ipsis si libet poculis, q̄ uolui ad te perscribere: pri-  
mum, ne nihil scriberem, quū meas esse partes agno-  
scerem ut scriberē, quippe qui tuas literas posterior  
accepissem, deinde ne tu eius cōuiuij tam lauti pror-  
sus expers esses. Bene uale, Oxoniae, Anno 1498.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Roberto Piscatori agenti in Ita-  
lia Anglo S. D.

**S**Vbuerabar non nihil ad te scribere Roberte cha-  
rissime, nō quod metuerem, ne quid de tuo in nos  
amore tanta temporum locorumq; disiunctio detri-  
uisset: sed quod in ea sis regione, ubi uel parietes sint  
tum eruditiores, tum disertiores, quā nostrates sunt  
homines; ut quod hic pulchrē expolitum, elegans,  
uenustum

uenustum habetur: isthic non rude, non sordidū, non  
insulsum uideri nō possit. Quare tua te expectat pror-  
sus Anglia, non modo iureconsultissimum, uerum etiā  
Latine Graecq; pariter loquacē. Me quoq; iam pri-  
dem istic uideres, nisi comes Montioius iam ad iter ac-  
cinctum, in Angliam suam abduxisset. Quō enim ego  
iuuenem tam humanum, tam benignum, tam amabilē  
non sequar? Sequar (ita me deus amet) uel ad inferos  
usq;. Amplissime tu quidē mihi eum praedicaras, gra-  
phiceq; prorsus descripseras: at uincit quotidie, mihi  
crede & tuam praedicationem, & meam de se existi-  
mationē. Sed quid Anglia nostra te delectat, inquis? **Laus An-**  
**Si** quid mihi est apud te fidei, mi Roberte, hanc mihi glie.  
fidem habeas uelim, nihil adhuc aequē placuisse. Coe-  
lum tum amoenissimū, tum saluberrimū hic offendi,  
tantum autem humanitatis, atq; eruditionis, non illius  
protritae ac triuialis, sed reconditae, exactae, antiquae,  
Latinae, Graecaeq; ut iam Italiam nisi uisendi gratia,  
haud multum desiderem. Coletum meum cum audio,  
Platonē ipsum mihi uideor audire. In Grocino quis  
illum absolutum disciplinarum orbem non miretur?  
Linacri iudicio quid acutius? quid altius? quid emun-  
ctius? Thomae Mori ingenio quid unquam finxit  
natura uel mollius, uel dulcius, uel felicius? Iam  
quid

quid ego reliquum catalogum recenseam? Mirum est dictu, quàm hic passim, quàm dense ueterum literarum seges efflorescat, quò magis debes reditum maturare. Comes ita te amat, ita meminit, ut de nullo loquatur sapius, de nullo libentius. Vale, Londini tumultuarie. Nonis Decemb. M. CCCC. XCVII.

IOANNES COLETVS ERAS-

mo Roterodamo S. D.

**B**Rumus meus Erasme, in epistola sua te mihi ualde commendat. Commendauit te mihi antea tum fama tui nominis, tum quorundam scriptorum tuorum testimonium. Parrhisijis quando eram. ERASMVVS in ore doctorum, non erat incelebris. Epistola quaedam tua ad Gaguinum scripta, in qua illius operam et artem in Gallica historia admiraris, à me lecta, erat mihi quasi specimen quoddam, et degustatio perfecti hominis et magnae literaturae, et multarum rerum scientiae. Commendat autem te mihi maxime, quod uenerandus pater, apud quem es isthic prior domus et ecclesiae Iesu Christi, heri mihi affirmauit, te suo iudicio, uirum optimum esse, et bonitate praeditum singulari. Quam ob rem quatum possunt literae et rerum cognitio, et syncera bonitas apud homines, qui magis haec uult et optat, quam proficetur, tantum tu mihi

Erasme

Erasme es iure istarum in te uirtutum, et debes esse semper commendatissimus. Quae cum uidero, etiam praesens pro mea persona, quod alij egerunt pro te absente, commendaboque me tibi, tuaque sapientiae, quae indignè alij mihi commendauerunt. Nam minor maiori commendari debet, et indoctior eruditioni. Verum si quid est in mea paruitate, in quo tibi uel gratus uel utilis esse potero, id erit in te tam promptum et liberale, quam uult ista tua et exigit praestantia, quam iam uenisse in Angliam gaudeo, cui uelim tam iucunda esset Anglia nostra, quam te utilem ei tua doctrina arbitror esse posse. Ego uero sum in te, et ero is qui debeo esse in eum, quem opinor tum optimum tum doctissimum. Vale ex cubiculo Oxoniae. M. CCCC. XCVII.

ERASMVS ROTERODAMVS

Ioanni Coletto S. D.

**S**I quid omnino in me ipso agnoscerem Colette humanissime, uel mediocri laude dignum, letarer profecto cum Hectore illo Neuiano laudari abs te uira omnium facile laudatissimo, cuius ego iudicio tantum tribuo, ut longe mihi sit iucundior tacita tua unius estimatio, quam si uel uniuersum forum Romanum et acclamet, et applaudat, aut tanta me miretur impetorum multitudo, quantum Xerxis exercitum fuisse

ferunt

ferunt. Vt enim Horatianum sequens institutū, uen-  
toſæ ſuffragia plebis nunquā ſum aucupatus, quippe  
quæ pari temeritate & probat, & reprehendit, ita  
à probatiſſimis uiris laudari, pulcherrimum ſemper  
exiſtimauī, qui nec falſo quenquam pro ſua ſimplici-  
tate uelint laudare, nec poſſint pro ſua prudētia falli,  
quorum neq; doctrina ſuſpicionem erroris, nec uita  
aſſentationis recipit. Verum tuæ laudes mi Colete,  
tantum abeſt ut mihi criſtas erexerint, ut homo nati-  
ra putidulus, uehementius etiam mihi diſplicerint.  
Videor enim admoneri, qualem me eſſe conueniat,  
quum ea de me predicantur, quæ in alijs ueneror in  
me deſidero. Noui, noui ipſe optime, qua me parte  
calceus ſtringat. Neq; tamen eorum qui me tibi tam  
amanter commendarunt, aut officium, aut humanitas  
tem reprehendo, neq; tuam in recipienda commenda-  
tione facilitatem ut uero. Siquidē ut humani eſt ho-  
minis, de ignotis benignē ſentire, ita feſtiui ac facilis  
amicis libenter credere. Nam quod ex meis ipſius  
ſcriptis me laudas, id tale eſſe puto, ut aut urbana  
laudatiuncula nos ad uirtutem excitare uolueris, aut  
incredibili quadam modeſtia tua fieret, ut aliena tibi  
nimis placerent, tua nimium diſplicerēt. Quare ani-  
mum quidem in me tuum tam promptum, tam pro-  
penſum

penſum, tam candidum amplector, ut debeo, libenter:  
ueneror, exoſculor, iudicium amo ut amicum, nō pro-  
bo ut uerū: non quod te iudicem, aut parum idoneum  
exiſtimē, quum ſis prudētia uir ſingulari, aut fictum,  
quum animi tui ſimplicitatem non ignorem: ſed quod  
partim amore lapſus, cōmendatoribus meis nimium  
credideris, partim candore miro quodam, atq; mode-  
ſtia, alienis laudibus nimium benignē faueris. Qui ta-  
men error tuus mi Colete, hoc mihi debet eſſe iucun-  
dior, quod ab eo ſit animo profectus, qui me ſemper  
unicē delectauit, humano, facili, candido, ab omni inui-  
dentia labe aliēniſſimo. Malo itaq; te de nobis aman-  
ter errare, quā integrum nihil falli. Verum ne mer-  
ces ignotas falſa laudatione tibi obtruſas fuiſſe, poſtea  
queraris: & ut deligas, prius quā diligas, en me ip-  
ſum tibi deſcribam, tanto quidem melius, quanto ſum  
ipſe mihi, quā alijs notior. Habebis hominē tenui,  
imō nulla fortuna, ab ambitione aliēni, ad amandum  
propenſiſſimum, literarū tenuiter ſanē peritum, ſed  
tamen admiratorē flagrantiffimū, qui probitatē alie-  
nam religioſe ueneretur, ſuā habeat nullā: qui doctri-  
na facile omnibus cedat, fide nemini: ſimplicē, apertū,  
liberū, ſimulandi ac diſſimulandi iuxta ignarum: ani-  
mo puſillo, ſed integro, ſermonis parci: eum demiq;  
l à quo

à quo præter animum nihil expectes. Huiusmodi hominē si tu Colete potes amare, si tua familiaritate dignum iudicas, ita Erasimum in tuo ære numerato, ut nihil æque tuum existimes. Anglia uero tua mihi quum multis nominibus, tum hoc præcipue nomine iucundissima est, quod ijs rebus abundat, præter quas nihil mihi solet esse iucundum, hominibus bonarum literarum scientissimis, inter quos (nemine reclamante) facile te principem numero, qui quidem ea sis doctrina, ut nulla morum probitate commendatus, tamen admirandus omnibus esse debeas, ea uitæ sanctimonia, ut citra doctrinæ cōmendationem, nemini tamē non charus, colendus, uenerandus haberi possis. Quid ego nunc dicam uir optime, quantum me affecerit, delectaritq; stilus ille tuus, placidus, sedatus, in affectatus, fontis limpidissimi in morem è ditissimo pectore scaters, æqualis, sui undique similis, apertus, simplex, modestiæ plenus, nihil usquā habēs scabri, cōtorti, cōturbatū: ut mihi planē uisus sim animi tui simulachrū quoddam tuis in literis agnouisse. Loqueris quæ uis, uis quæ loqueris. Verba in pectore nata, nō faucibus, sententiam spōtè sequitur, nō illa uoces sequitur. Deniq; felici quadā facilitate, ea sine cura effundis, quæ uix alius summo studio possit exprimere. Sed temperabo  
à laudā

à laudibus tuis apud te dūtaxat, ne recentē tuā in me beneuolentiam offendam. Scio q̄ nolint laudari ijs, qui soli laudem merentur omnium. Bene uale, Oxoniæ. Anno millesimo quadringētesimo nonagesimooctauo.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Gulielmo Montioio, Comiti Generoso S. D.

**S**I tu tuāq; generosissima cōiunx, socer humanissimus, reliquaq; familia, ualetis, est cur maxime pere gaudeamus. Nos hic quidem ualemus perbelle, & indies bellius. Dicit non potest, quā mihi dulcescat Anglia tua, idq; partim consuetudine, quæ omnia dura lenire solet: partim Coleti Charociq; Prioris humanitate, quorum moribus nihil fingi potest suauis, mellitius, amabilius, cum his duodus amicis ego uel in extrema Scythia uiuere non recusem. Id quod scripsit Horatius, & uulgus interdū uidere uerum, res ipsa me docuit, cuius hoc tritum nosti, quarum rerum durissimi soleant esse aditus, eas feliciter euenire. Quid nostro illo ingressu fuit, ut ita dicā, inauspicatus: at nunc secūdiōra indies omnia. Euenit tædium omne, quo me quondā nauseantē uidebas. Quod reliquū est, te oro meū decus, ut quando tum quum meus me animus deficeret, tuo sustinisti: nunc quū meus mihi non deest, tuus ne destituat. Quod ad diem præfinitū

non ueneris, expostulare tecum nec libet, nec iure me posse puto. Quid te retardarit, equidem nescio: hoc unum scio, quicquid fuit, legitimum quiddam, et iustum fuisse, quare uenire non potueris, nam uoluisse nihil dubito. Neque enim ullā uideo causam, cur istud fingere uolueris. Et ea est generosissima mentis tuae ingenua simplicitas, ut maxima etiam de causa mentiri nec scias si uelis, nec uelis si scias. Non est meum te uel hortari, uel dehortari, imò dehortari potius. Quod tuae te res hortantur, id sequere. Nos ita te desideramus, ut interim te tuis commodis inseruire uelimus. Si breui uenturus es, gaudemus: sin quaeres te retinet, modo incommodi nihil sit, ut haecenus fecimus, aequo te animo expectabimus. Pecunias meas annulo tuo diligenter obsignatas, mitte. Priori iam sum multis nominibus obseruatus, ministrat ille quidem tibi benignè, tibi promptè. Verum quando ille humanissimi hominis officio functus est, par est nos inuicè gratiorum hominum munere fungi, et quam ille libenter dedit, tam nos libenter reddere. Ut rara supellectile, ita bonis amicis parcius utendum esse censeo. Si quid isthic nouatū est, facito me per literas certiorè. Bene uale.

Oxonie. Anno M. CCCC. XCVIII.

Erasmus

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Arnoldo Boschio S. D.

**C**ompluscular iam epistolas eodè propè tenore abs te recepi, quod me tibi suspicaris iratum, mi sine causa faceres, ferrem profectò iracundè, quod de homine tui amantissimo, tam non amanter senseris. Vale.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Christiano S. D.

**S**alue mel Atticuru. Heri nihil scripsi, et cōsulto quidè, nam erā stomachosior. Ne roga in quem, in te inquam. Quid cōmerueram? Verebar mihi insidias strui per te hominem argutissimum. Suspectam habebam illam tuam pyxidè, ne quid simile nobis affaberet, quale ferunt Pandora pyxidem Epimetho, rum fratrem. Quam ubi reclusissem, mihi ipsi succensebā, qui suissem suspiciosulus. Cur igitur ne hodie quidem scripsi et Promethei inquires. Erasmus occupatissimus. Quid tandè negotij: in spectaculo sedimus, sanè iucundo. Comœdia, inuide Chilia quis, fuit, an Tragedia? Vtrumuis, uerū nemo perdes autoris sonatus agebat, unicus dūtaxat actus, chorus sine tibi in puerbio bis, fabula nec togata, nec palliata, sed planipedia. Malo accedi humi acta, sine saltatu, è coenaculo spectata, epitasis pro stultus turpulentissima, exitus perturbatissimus. Quam malā, sapit.

l 3 inquires,

inques, mihi fabulam fingis? Imò rem Christiane refero. Spectauimus hodie matrem familiam, cum famula domestica fortiter depugnantem. Sonuerat diu tuba ante congressum, conuicia fortiter utriusque reueruntur. Hic æquo Marte discessum est, triumphauit nemo. Hæc in hortis, nos in cœnaculo taciti spectabamus, non sine risu. Sed audi catastrophem. A pugna conscendit cubiculum meum puella, cœcinnatura lectos. Inter confabulandum laudo fortitudinem illius, quod uoce conuicijsque nihil cesserit dominæ: cæterum optasse me, ut quantum lingua ualebat, tantum ualisset et manibus. Nam her a uirago robusta, ut uel athleta uideri posset, subinde caput humilioris puellæ pugnis contundebat. Usque ad eone, inquam, nullos habes ungues ut ista impune feras? Respondit illa subridens, sibi quidem non tam animum deesse, quam uires. An tu putas, inquam, bellorum exitum à uiribus tantum pendere? Consilium ubique ualeat plurimum. Roganti, quid haberem consilij: Vbi te rursus adorietur, inquam, protinus calicendrum detrahe: nam mulierculæ Parisiorum mire sibi placet nigris quibusdam calicendis. Eo detractos mox in capillo inuola. Hæc ut à me ioco dicebatur, itidem accipi putabam. Atqui sub cœnæ tempus accurrit anhelus hospes, is erat Caroli regis caduceator, uil-

gato

gato cognomine dictus gentil Gerson. Adeste, inquit, domini mei, uidebitis cruentum spectaculum. Accurrimus, offendimus matrem familiam, ac puellam humi colluctantes. Vix à nobis dirempta sunt. Quam cruenta fuisset pugna, res ipsa declarabat. Iacebat per humum sparsa, hic calicendrum, illic flammeum. Glomis pilorum plenum erat solium. Tam crudelis fuerat laniena. Vbi accubuimus in cœna, narrat nobis magno stomacho mater familiam, quæ fortiter se gessisset puella. Vbi parare inquit, illam castigare, hoc est, pugnis contundere, illa mihi protinus calicendrum detraxit à capite. Agnouit me non surde cecinisse fabulam. Id detractum, inquit, mihi uenefica uibrabat in oculos, id non admonerem. Tum, inquit, tantum capillorum euulsit, quantum hic uidetis. Cœlum ac terram testata est, se nunquam expertam esse puellam tam pusillam, ac perinde malam. Nos excusare casus humanos et ancipitem bellorum exitum, tractare de componenda in posterum concordia. Ego interim mihi gratulabar, domine non subolere, rem meo consilio gestam, alioqui sensissem et ipse illi non deesse linguam. Habes nostra ludicra, nunc ad seria. Duplicem mecum contentionem acceperas scribendi, et munera mittendi, altera te plane uictum declaras, ut qui alienis manibus mecum dimicare coeperis. An inficiaberis

l

4

impu-

impudens? Nō arbitror, si quid frontis est: alterā ipse ne suscepi quidē, sed ultrō manus dedi. Literis longē uinceris, imō ne pugnās quidem, nisi ut Patroclus Achillis armis. Muneribus nolo tecum inire certamen. An Poeta cum negociatore? quid simile? Verū heus tu, ad equiorem concertationem prouoco. Experire utrū tu me prius mittendo, an ego te scribendo defatigem. Hoc demum sit bellum dignum Poeta, dignum institore. Tu si quid audes, accingere, ac bene uale.

Parisijs. Anno M. CCCC. XCVII.

ERASMI EPISTOLA PRO AMICO  
quodam scripta ad medicum.

**E**X re demū ipsa intelligo uir eruditissime, grato animo nullū incōmodū accidere posse acerbis, q̄ si ijs, quibus immensam gratiam debeat, ne mediocrem quidem referendi suppetat facultas: id quod mihi in te prorsus euenit, cuius ego cum diuina merita animo recolo, recolo autē assidue, dispicioq; anxius, si quā fortē possim tantam tuam in nos humanitatem reponere, si non ex aequo, id quod sperandū mihi non est, at aliqua saltē ex parte, toties fatis meis irascor, maleq; precor, quae me hac cōditiōne nasci uoluerint, ut summam tui similitum humanitatē experiri necesse haberem, remetiri uero quod accepiſsem, ne minima

quidem

quidem ex parte possē. Qua quidē una in re fortune iniquitatem mihi graue sentio, ingensq; intimo pebori oboritur aestus, cum et ardet animus referre beneficium, simulq; occurrit, et q̄ sit exiguum, quod nostra possit tenuitas, et quā immensum quod tua poscit humanitas. Quis enim unquam uel opulentissimus medico gratiam parē retulit? ut deo, ita nec medico talio rependi potest, à deo uita accepimus, à medico tanquam recipimus: à summo illo rerum satore, uiuendi munus accepimus, id medici cura tum seruatur ne pereat, tum restituit, alioqui periturū. Quare equidem uirum medicū non unum pro multis numerarim, ut scripsit Homerus, sed pro terrestri quodā numine inter mortales habendū censuerim. At quantum reliquis mortalibus antecellit medicus, tantum ego te medicorū uulgus antecedere puto, ut tibi non modo ut medico debeat, sed ut medico in arte principii fide rara et penē incredibili, cura et sollicitudine plusquā paterna, humanitate admirabilis, quae omnia uno in medico reperire, fortasse nō minus sit rarū, q̄ phoenix ille Poetarum, qui iam in raritatis adagium cecit. In te autē uno non solum haec omnia, uerum etiā summa. Quid enim te uno uel in cōiectando solertius, uel in iudicando acrius certiusq; uel in pronunciando

l s

modestius:

modestius: quibus rebus nō modo omnes nostri temporis medicos longē praecurris, uerū etiā ipsis artis autoribus, & tanquā dijs, ut ueteres loquebantur, iure optimo debeas aequari. Tum deum immortalem, qua fide: quae quidem si arti detracta sit, periculosa quaedam res sit medicus. Qua spectatissima id es consequutus, ut certatim magnatum quisq; tibi capitis sui salutem non ut medico, sed ut parenti cōmittat. Tum q̄ exacta uel minutissimis in rebus diligentia, quanta patientia laborū minimeq; morosa, ut ista in re, nulli uel amantissimae materculae cedas. Adde iam humanitatem singularē, qua iure tibi contigit, ut nemo te non admiretur: nec admiretur solū, sed etiā amet: nam arte quidē doctus es miraculo, fide magnatibus places, diligentia curaq; laborantibus, humanitate, miraq; morū suauitate, uniuersis. His rebus omnibus, in summo meo periculo, hominisq; penē ignoti, rebus prope modum desperatis, certe afflictissimis, ita es usus, ut ne in fratre quidē potueris officiosus, ut tua planē sim arte tanquam ab Orco reuocatus. Itaq; quid debeam uideo, quanquam ne id quidem satis animo consequor, nedum uerbis. Verū ubi de referendo, ut par est, incipio cogitare, tum uero ratio accepti, atq; ex pensī neuiquā conuenit. An de mea fortuna reme-

missi hom

tiatē

tiar? quae perq̄ tenuis est planeq; Poëtica, id est, maligna, ac penē nulla, cum praestantius sit id quod in nos contulisti, q̄ ut uel Croesus ipse, si uniuersas opes exhauriat suas, par esse possit: aut mihi si fontes auri, ut poëtae fabulatur, domi sint, aut Tagus aliquis, Phalorusue aureas harenas uoluens. Phalaris & tyrannus, & opulentissimus cum Polycleto medico amplissima munera, planeq; regalia misisset, purgat tamen muneris exilitatem, imparē se eius beneficijs fassus. Ego uero sic, ut res habet, sentio, ut ne si me totū quidem quantum sum pignori opposuero, aut etiā capitis auctione fecero, possim ulla ex parte soluendo esse. Verū scio te tam haec gratia nō egere, quā ego referre nō possū, sed interdū bene egisse gratias, ut ait Seneca, retulisse est: Siquidē Aeschines grata modestaq; oratiōe Socratē sibi deuinctiorē reddidit, quā Alcibiadis animo liberalissimo pares diuitiae. At hic quoq; q̄ sim impar, agnosco: propterea quod tanta sunt tua in me merita, ut quantūuis etiā dicendi copiā superent, neq; quisquam tam magnificē dicere possit, quod nō ad tuā humanitatē exile uideatur, tum ea est nostra infantia, ut ne mediocres quidē materias possit dicendo aequare. Deniq; ea est ingenij tui elegantia, te ea iudicij acrimonia, ut illi nisi perpolitū, exactū, ex-

quisi-

quisitūq; nihil queat satisfacere. Quare cum utroq; modo uincar, ut nec referre ullā, nec agere pares gratias possim, id quod unum opis est nostræ, facere nunquam desinam, nempe meminero, amabo, gratias agā pro uiribus, referam hæctenus ut ingratus omnino uideri non possim: mittoq; hoc ad te non in rationis deductionem, sed animi grati indicium, Homerum Græcum, quē ego ab homine amicissimo abstuli, ut te mihi eo faciam amiciorem. Bene uale.

ERASMVSVS BATTOSVO S. D.

**V**ide quantum male dicendo ualeas. Unica tantum epistola uictus, do manus, harena cedo, in Angliam usq; profugio: hic certe me à tuis conuicijs tutum fore confido. Nam si me persequi uoles, alter tibi adeundus erit orbis: et pigritiam probe nouit tuam, qui tametsi medijs in fluctibus es natus, nihil tamē peius odisti fluctibus. Quod si huc quoq; tuæ concuiciatrices epistolæ penetrabunt, audio in ultima Britannia Orchadas esse insulas. In has aufugiā, etiam si quod est Orchadibus remotius, uel ad Antipodas usq;. Inunc, et de gloriosa uictoria magnificum triumphum agito. Bene uale. Parisijs. Anno M. CCCC. XCVII.

ERASMVSVS

ERASMVSVS FAVSTO ANDRELI

no Poëta laureato.

**D**eum immortalē, quid ego audio? Itāne Scipium nostrum repente è Poëta militem esse factum, ac pro libris horrida arma tractare? At quāto melius cum Delio Volseo (sic enim se nominauit) depugnabat? Quē si confecisset, bone deus, quantus triumphus hominē manebat. Nos quoq; in Anglia non nihil promouimus. Erasmus ille, quem nosti, iam bonus propemodum uenator est, eques non pessimus, allicus nō imperitus, salutat paulō blandius, arripet comius, et inuicta Minerua hæc omnia. Quid mea: satis procedit. Tu quoq; si sapias, huc aduolabis: Quid ita te iuuat hominē tam nasutum inter merdas Gallicas consensescere? Sed retinet te tua podagra, ut ea, te saluo, pereat male. Quanquā si Britannia dotes satis pernoffes Fauste, nā tu alatis pedibus huc accurreres: et si podagra tua non sineret, Dædalum te fieri optares. Nam ut è plurimis unum quiddam attingā. Sunt hic nymphae diuinis uultibus, blandæ, faciles, et quas tu tuis camoenis facile anteponas. Est præterea mos nunquam satis laudatus: siue quod uenias, omnium osculis exciperis: siue discedas aliquò, osculis dimitteris: redis redduntur suauia: uenitur ad te,

propi-

propinquantur suauia: disceditur abs te, diuiduntur basia: occurritur alicubi, basiatum affatim, denique quocumque te moueas, suauiorum plena sunt omnia. Quae si tu Fauste gustasses, semel quae sint mollicula, quam fragrantia, profecto cuperes non decennium solum, ut Solon fecit, sed ad mortem usque in Anglia peregrinari. Cetera coram iocabimur: nam uidebo te spero propediem. Vale, ex Anglia. Anno 1499.

FAVSTVS ERASMO SVO S. D.

**F**RUGALEM omnino mihi coenam postulo: nihil uolo praeter muscas et formicas. Bene uale.

ERASMVS FAV-

sto suo S. D.

**Q**VAE, malum, tu mihi obijcis enigmata? Num me Oedipum putas, aut Sphingem mihi esse domi? Quaequam equidem somnio tuas muscas, auiculas, formicas, cuniculos uelle. Verum aliter iocabimur, nunc coena emenda est, quare enigmatastes esse desinas oportet. Vale.

FAVSTVS ERASMO.

**N**VNC plane intelligo te Oedipum esse, nihil uolo praeter auiculas, et quidem paruululas: de cuniculis absit. Vale optime anigmatum interpretres.

Erasmus

ERASMVS FAV-

sto suo S. D.

**V**T tu iocosissime Fauste, eadem opera et mihi roborem, et theologo illi stomachum excitabas: aderat enim in eodem auditorio. Verum non expedit, opinor, irritare crabrones. Bene uale.

FAVSTVS ERASMO SVO S. D.

**F**AUSTUM pro suo Erasmo uel emori audacter posse, quis nescit? Blaterones istos tanti omnino faciamus, quanti culicem elephantus Indicus. Vale. Faustus inuito liuore tuus.

ERASMVS GAGVINO.

**S**ALUE ornatissime uir. Vide quae so, quae sit insigni simpudentia tuus Erasmus. Nunquam illi Gaguinus in mentem uenit, nisi quum eget. Opus est mihi ad pauculos dies Trapezontio de rhetoricis praecipulationibus. (Non rogo habeas ne, scio nihil bonorum autrum tibi non esse) huius uelim mihi tua humanitas copiam faciat: Quintilianum unam cum hoc conferre cupio, utrumque propediem ad te saluum remissurus. Bene uale, ac nos ama. M. CCCC. XCIX.

ERASMVS LVDOLPHO SVO S. D.

**H**OC unum mihi crede Ludolphe optime, non committam ut munus tuum, sensi enim abs te profectum

profectum, male collocasse uidearis. Coeperam quædam ad Latine discendū mire conducibilia: ea tibi perfecta hinc mittam. Deinde nunquam desinam excudere quippiam, quod tua studia possit prouehere. Tu modo maximo animo in honestissimas literas incumbere, simulq; doctos uiros fouere perge. Bene uale charissime adolescens. Lutecie III. Calendas Maias.

ERASMVVS ANTONIO LV=

Scipturus eram humanissimo Abbati: sed quoniam nuper admodum ex Batti mei literis certior factus essem, illum nondum è Brabantia redisse, differendum putavi, donec de reditu illius cognouissem. Ad te dedi, non quod esset argumenti noui aliquid, sed ut cõstantem perpetuumq; meum in te amorem scribendi officio declararem. Amo enim te mi suauissime humanissimeq; Antoni, aut pari, aut certe quàm proximo cum Batto meo amore: idq; non modo plurimis tuis in nos officijs moribusq; festiuissimis prouocatus, uerumetiam fatali quadam beneuolentia, qua ita ducor, ut tui etiamsi obliuisci uelim, non queam. Nos quoniam funditus extinctam pestem cognouimus, Parisios remigramus. Dismas Abbas frater, dum hic agerem, me coluit diligēter: nos illius

uicissim

uicissim consuetudine magnopere sumus delectati. Nihil, ita me deus amet, uidi in uita hoc adulescentulo ingeniosius, suauius, modestius. Non hæc, mi Antoni, ad gratiã dico, sic ego re ipsa repperi. Verum ille iuxta sapientis uocem, animã sortitus est bonã, & ut Græci dicunt, ἀφ' οὐκῆς est, id est, bene & feliciter natus. Nihil illius ingenio acutius, nihil mente sincerus, nihil moribus suauius, nihil pudore amabilius. Miratur literas: cum his uersari gaudet, unde semper abeat doctor. Dignissimus est puer, ut quem natura optimis rebus finxisse uidetur, exquisitissima etiam diligentia curemus, ne mens minime uulgaris ad uulgares istas sordes detrahatur. Sed uiuit in tutela quadã, sic enim appellant, nimis profectò tutelariter, id est, uictu sordidissimo, immunda supellectile, neglectus inter, nescio quos ociosos nebulones, qui nihil peius oderunt, quàm libros, aut literatos sermones: grassatores nocturnos, potores diurnos, unde præter turpitudinem nil discere queat. Et haud ignoras quæ hæc ætas facile trahatur ad uitium. Affricat enim scabiem suam cõuictor infectus: & qui tangit picem, non potest non inquinari. Est hic Iacobus Tutor, uir integritate summa, eruditione nõ uulgari, et studij flagrantissimi, iuris Põtificij professor: is domi suæ nobiles aliquot adu-

lescentes alit, & alit non tutelari ter, sed mundissime: nam ipse sum apud eum tres menses diuersatus. Hic Dismam non secus atq; filium amat, & amatur ut patrens: quare si Abbas adolescentis saluti recte consulere uolet, id quod uelle scio, properabit illum ex tutela eximere, in qua & magno uiuit, & immundissime, & quod est omnium grauissimū, cum ijs, unde deprauari possit, doceri non possit: atq; huic, de quo memini. Iacobocommittet, uiro, mihi crede, cuius ego laudes nullo sermone queā assequi. Is gaudebit contigisse, cui suam doctrinam libenter comunicet, quem ad honesta studia totum excitet. Dismas habebit, qui cum perinde uiuat, ac si cum parente uiueret, apud quem nihil nisi honesta, nisi literata audiet. Mirabere forsā, cur ego rem hanc tantopere suadeam. Ad me quidem omnino nihil pertinet: nā mihi hic neq; seritur neq; metitur, uerum ubi tutelae sordes, ubi periculosos conuictiores, ubi omnia contaminata perspexissem, & adolescentis optimam mentem amarem, tum etiam Abbati propter summam illius in me humanitatem, omnia deberem, putauim me hoc sine summo scelere praetermittere non posse, quum quod ad Dismam salutem uehementer pertinere cognouissem, compertissimumq; haberem, literis meis admonerem. Nihil enim dubito,

dubito, quin si abbati minima ex parte res, uti est, cognita foret, ne semihoram quidē in ea familia sedere sit passurus. Nec ille uos scrupulus comoueat, ne parum Gallice discat, si cum homine nostrate uiuat: scit bene Gallice Dismas, & iam nūc loquitur expedite. Neq; deerunt usquam unde Gallice audiat: at literas discet, uirtutē discet, quod si Abbati persuaseris, poteris enim Antoni, adolescentulum immortalibeneficio tibi alligaris. Neq; dubito, quin omnes qui illi bene uolunt, inter quos primum locum abbas obtinet, mihi sint in posterum maximā gratiam habituri, qui quidem in tempore admonuerim: quare non conquesces, donec effeceris. Antonio patri patrono tuo, iam etiā per te meo, me quā comendatissimum facere studebis, purgabisq; quod nihil per hunc scripserim: scribam ē Parisijs, ubi reuersurum audiero. Vale mi Antoni charissime, nosq; quod facis, ama. Praefectum aule uirum humanissimū, ceterosq; nobis bene cupientes, meis uerbis salutabis. Aureliae III. Id. Decembris. Anno M. D. I.

## APPENDIX.

**N**E mireris Antoni, quod in initio huius epistolae negauimus nos Abbati scribere, cum scripserimus. Cum enim is tabellio nos secellisset, & hic

puer à Batto præter spem adesset, mutauimus sententiam, maxime Batto, ut ita facerè hortante: è cuius literis cognoui, quanta humanitate uir ille meas literas acceperit, quod ego uix sperare audebã. Noui enim, quod nihil habeat mea scripta, cur à magnis uiris legantur. De Disma quod scripsi, quaeso ut omni conatu adiuues, omnino uehementer ad illius salutem pertinet: et nisi fiet, uereor ne nos omnes, puerum in primis, non fecisse poeniteat. Nos enim nihil ambiguum, sed oculis deprehensa scripsimus, neque quicquam præter eius salutem spectamus: et ille in his est annis, qui facillime uel ad summam gloriam, uel ad turpitudinem extremam flectantur: quare uigilandum et maturandum censeo. Vale.

## ERASMVVS GREVERADO

aduocato S. P. D.

**Q**uod ignotus ignotum meis literis inexpectatis interpellare sum ausus, uir optime atque integerrime, non tam debes improbitatem accusare meam, quam beneuolentiam, et ab hoc profectam fiducia amplecti: quanquam qui mihi ignotus esse potes, cuius animum, mores, studium, Henricus Noorthonius, homo omnium qui uiuunt, minime mendax, familiaris

familiari sermone ita sepe numero descripsit, ut non aliter quam in tabula depictam tui imaginè coram uidear intueri? Si tantam uim habet probitatis et eruditiois admiratio, ut toto ferè orbe disiectos, artificum tamen charitatis copula coniunctissimos esse uideamus: ego uiri tam modesti, tam studiosi, tam candidi bonarum literarum admiratoris, et tam uicini, gratiam non quauis etiã ratione conabor aucupari? Neque uulgari sermone tecum hanc mutuam beneuolentiam inire est animus. Sancta quaedam res est, eruditorum societas, et non nisi sancto aliquo pignore sancienda. Id quale sit, iam paucis exponam. Flagrat iam olim mihi incredibili ardore animus, Hieronymianam epistolam commentarijs illustrandi, et nescio quis deus mihi petrus accendit, agitque ut rem tantam, et à nullo hactenus tentatam, audeam animo concipere. Mouet me uiri celestis et omnium Christianorum sine controuersia longè tum doctissimi, tum facundissimi pietas: cuius scripta cum digna sint, quæ ab omnibus passim legantur et ediscantur, uix pauci legunt, pauciores mirantur, paucissimi intelligunt, Deum immortalè, Scotus, Albertus, et his impolitiores autores, omnibus in scholis perstrepent, et ille unicus religionis nostræ pugil, illustrator ac lumèn Hieronymus, qui meruit ut unus celebra-

celebraretur, unus ex omnibus tacebitur? Sed rem uideo indignissimã, ob hoc ipsum negligi Hieronymũ, per quod promeritus est ne negligeretur. Nocet auctori eloquentia, quæ religioni profuit. Alienat multos abstrusior eruditio, qua potissimũ oportebat eum cõmendari. Pauci itaq; mirantur, quem per pauci intelligunt. Quod si talis autor dignis cõmentarijs fuerit illustratus, futurum prospicio, ut Hieronymiana gloria, tanquã noua luce accepta, quàm latissime entescat: ut passim in scholis, in auditorijs, in templis, domi, publice, priuatimq; legatur, & cõdiscatur. Neome adeo fallit, quàm audax facinus animo præsum-

**Laus diui Hieronymi** pferim. Primum, quanti negocij fuerit mendas, quæ per tot secula penitus insederũt, eradere: deinde quantum in illo antiquitatis, quantum Græcarũ literarum, quantum historiarum: tum quæ phrasıs, quod dicendi artificium, quo nos Christianos modo omnes longo post se interuallo reliquit, uerumetiã cum ipso Cicerone certare uidetur? Ego certe, nisi me sanctissimi uiri fallit amor, cum Hieronymianã orationẽ cum Ciceronianã cõfero, uideor mihi, nescio quid in ipso eloquentiæ principe desiderare. Tanta in hoc nostro uarietas, tantũ sententiarum pondus, tanta enthymematum uolubilitas. Quod artificiũ in eloquentiũ literis

indicare

indicare, ut difficillimum est, ita longẽ utilissimũ. Id quod ita me, modo ipse dexter adsit, confecturũ confido, ut qui hactenus Hieronymianã eloquentiam sunt admiratissimã eloquentem fuisse, se nescisse fateãtur. A me quidem, quicquid uigilijs, quicquid assiduo studio, quicquid eruditione mediocri, quicquid ingenio non pessimo præstari poterit, id sedulò Hieronymo præstabitur. Verũ ut ad graue bellũ auxiliarijs copijs, ita & ad tam arduum negociũ, duce aliquo, & auspice opus esse uideo. Quem uero ex omnibus ad id maxime idoneum deligam, nemo te melius possit indicare, uel quod tu huius autoris præcipuo quodã amore perpetuo flagrasti (ita enim mihi narrare solebat Henricus) uel quod hoc tantũ pignore, mutuam hanc inter nos societatem, & beneuolentiã placuit initiare. Age uir optime, da dextrã, & mecũ ad tam pulchrum facinus magno animo accingere. Aderit ipse, & literarũ suarũ, quas tãtis uigilijs excudit, uindictibus fauebit: nec sua tam pius labor noster mercede fraudabitur. Bene uale. Parisijs 15. Cal. Ianuarias. Vide quantum fiduciæ mihi tui mores præstant, qui perinde ut iam uetulus & notus amicus, tam indiligenter ad te scribere nõ uerear. Cetera ex tabellario Augusto Caminado, uiro & doctiss. & mihi cõuictissimo

m 4

cognosces

cognosces, qui literas humanitatis, quas uocat, in urbe Parisiorū maxima cum laude professus est, hinc tu tuo more cōplecteris, est enim tuo amore dignissimus. Lutetiae, Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMVVS NICOLAO A BVR-  
gundia Præposito S. D.

**S**ic te amo, ut meo ergate studio nulla epistola  
Sñō sit futura breuissima: ita sum occupatus, ut ne  
gocijs meis nulla quālibet breuis nō sit longissima fu-  
tura. Veteres illi poētas, & homines eloquentes alle-  
gorice cygnos appellabant: neq; id opinor, temere:  
quētes alle-  
gorice Cy-  
gni appella-  
ti.  
phœbo sacri: utriq; lympidis annibus, & pratis irri-  
guis impense gaudent: utriq; canori: sed hodie maxi-  
me nostrate caelo obmutuisse uidemus utrosq; ac ne  
morte quidē uicina fieri uocales. In causa est, uti cōij-  
cio, quod auctores sunt physici, olorem non nisi spi-  
rante Fauonio catere: & miramur nūc omnes mutos  
esse cygnos, cum tot spirent Boreæ, tot Austri, nulli  
Zephyri: Nam mihi quidem Britannicus ille Aquilo,  
unā cum nummis ita uocem ademit, ut non lupus  
æque possit, qui te prior uiderit. At non flant Zephyri,  
nisi uere ineunte: quare humanissime præposite,  
si tu dominæ Veriēsī, patronæ meæ, uer fueris, illaq;  
mihi

mihī Fauonius aspirauerit, ego uicissim utriusq; cy-  
gnus fuero, ita canorus, ut ipsa etiam exaudiat posteritas.  
Nihil habeo necesse anigma euoluere, nimirum  
Oedipo scribens, nō Dauo. Tantū alterum illum Bat-  
tum, quem mihi pollicitus es, apud dominā paulisper  
expedi. Bene uale. Datum Lutetiae VII. Calend. Fe-  
bruarias. Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMVVS ARNOLDO.

**S**alue mi Arnolde. Iam sesquimensē grauitē  
laboro febrī nocturna, lenta quidē illa, sed quo-  
tidiana, quæ me penitus extinxit. Nondū sum morbo  
liber, sed tamen aliquanto recreator: nondum uiuo,  
sed affulget aliqua uitæ spes. Petis ut tibi animi mei  
consiliū communicem, hoc unum habeo, mundum mihi  
iamdudum obolare, damno spes meas. Nihil aliud cu-  
pio, quān mihi dari ociū in quo possim totus uni deo  
uiuere, deslere peccata atatis inconsulta, uersari in  
scripturis sacris, aliquid aut legere aut scribere. Id  
in secessu aut collegio nō possum. Nihil enim me te-  
nerius: nec uigilias, nec ieiunia, nec ulla incōmoda fert  
hæc ualetudo, etiā cum est prosperrima. Hic ubi tan-  
tis in delirijs uiuo, subinde in morbum incido: quid fa-  
cerem inter labores collegiales? Deceueram in Ita-  
liam hoc anno concedere, & Bononiæ aliquot menses  
m s Theologicæ

Theologiæ operâ dare, atq; illic doctoris insigne accipere: deinde in anno Iubilæo Româ uisere, quibus confectis ad meos redire, atq; istic uitam componere. Sed uereor ne hæc ut uolumus, conficere nō possimus. Metuo in primis ne tantum iter & regionis astū ualētudo hæc non ferat. Deniq; reputo, nec in Italiam ueniri, nec illic uiui sine summo sumptu. Ad titulum quoq; parandum grandi summa est opus. Et episcopus Cameracensis dat perparce. Omnino benignius amat, quàm largitur, & prolixius omnia pollicetur quàm præstat, ipse propemodū in causa sum, qui non in stem. Et sunt tam multi, qui uel extorqueant. Faciã tamen pro tempore, quod factu uidebitur optimum. Bene uale. Anno M. CCCC. XC.

ERASMVS IACOBO TV.

tori suo S. D.

Narratio.

**S**ic est animatus Abbas, ut Disman & Antonium à sermone nostrate omnino procul abesse uelit. Sic habent res tuæ, ut nolis sine nostratibus uiuere. Quare Antonio Lutzenburgo, qui toto pefflore tibi bene cupit, meq; autoribus, iubet eos in Iacobi Danielis familiam remigrare. Tu tamen mihi Laecobe tuo more uteris, dabisq; operam, ut adolecentes quàm optime, & quàm maxime ex Abbatis sententia,

tentia, quæ te non fugit, collocentur. Idem Augustinum facturum confido. Vtrique gratum facietis ornatisimo humanissimoq; præfult. De meis fatiis scripsi Augustino per Cornelium tabellionē. Posteaquam Battus perijt quis dubitat & Erasmmum perriisse? Præterea autē cateræ res sic habent, ut peius non possint. In una uirtute spes omnis salutis reliqua. Vale cum Augustino nostro, quem audio tecum uicturum. E diui Audomari postridie Cal. Iulij, Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMVS FAVSTO

Poëtæ regio S. D.

**P**er meus tuo iussu tuisq; uerbis formidolosum me appellauit, quod ob nescio cuius pestilentio læ metum, solum uerterim. Non ferendum conuiciū, siquidem militem Eluctium dicatur. At in hominem poëticum ocij umbræq; amantem, neutiquam hæret, Quamq; huiusmodi in rebus nihil formidare, equidē nō strenui hominis, sed stipitis esse duco. Vbi eo cum hoste res est, qui propulsari, qui reseriri, qui uinci cōtra pugnando potest: ibi qui fortis uideri cupit, per me licebit. Lernea illa Hydra, extremus durissimusq; laborum Hercules, ferro quidem domari nō potuit,

at Græco

at Græco tamen igni cōfici potui. Huic malo quid tam dem facies, quod nec cerni queat, nec uinci? Quædam melius fugiuntur quàm superantur. Vir fortis Aeneas non congressus est cum Sirenibus, sed longè à periculo litore proram deflexit. At nihil est, inquires, periculi. At ego interim citra periculum multos interire uideo. Vulpem imitor Horatianam. Quia me ue frigida terrent, Pleraq; te aduersum spectantia, pauca retrorsum. In hac ego rerum facie, non Aureliam modo, sed etiam ad Gades illas Herculeas, uel ad Orchadam extremarum extremam usq; non dubitarim auolare, non quod meticulosus sim, animoq; parum masculino, uerum ne iure metuam: non, ne moriar, cui res nascimur omnes, uerum ne uitio meo moriar. Si Christus suos monuit apostolos, ut mutatis subinde urbibus, persecutorum gladios effugerent, ego tam capitalem hostem, cum commodè queam, non declinabo. Quamquam ad remigrandum iam dudum, tum Musa me hortantur meæ, quæ quidem hic inter Acursium, Bartolum, & Baldum miserè frigent: tum acre hoc seuiumq; gelu, penitus extinguendis huius morbi reliquijs nimisquam opportunum. Sed faciunt adhuc scrupuli nescio quid, illa ingentis incendij ue frigida, fumus, odor, fauilla, & haud scio an etiam igniculi

igniculi suppositi cineri dolofo. Scio quidem humanissime Fauste, operam me omnem ludere, qui quidem id te orem, quod ipse tuapte spontè facere non desinis: orabo tamen, ut Adagia nostra, quæ nuper abortu eieci, quò maturius distrabantur tuo testimonio commendes, atq; exornes: idq; non tam operi quidem ipsi, quàm nostræ necessitudini dones. Neq; enim usq; adeo mihi met assentor, ut cuiusmodi sint non uideam. Verum parum proba merx, quam uelis extrudere, hoc magis laudatore eget, quo minus meretur. Et nos isto tibi nomine non paulò plus debebimus, situum suffragium, non tuo iudicio, sed omne nostræ beneuolentiæ accommodaris. Ne dicam interim, quod nec integrum tibi reliquisti, non laudare nugæ meas, quibus iam semel ascripto epistolæ tuæ elogio, nihil non tribuisti: ut alterutrū iam tibi sit necesse, aut illas constanter laudare, aut te inconstantis hominis non tam incurrere. Deniq; à nobis enixè dabitur operæ: ut illud idem prima manu deformatum opus, non elimetur modo, uerū incudi redditum, totum quantum est, diffingatur: eaq; demum facie exeat, ut neque te testimonij tui pœniteat, neque illud tuæ laudationis tanquam parum conuenientis, suppudeat. Quæ quidem in re Faustum nō modo censorem adhibebimus, uerum

uerum etiam architectum. Bene uale. Postridie Natalis diuæ Elisabeth. Aureliæ. Anno 1499.

ERASMVS AVGVSTI

no suo S. D.

**D**E Fausto, Gaguino, & Aemilio alba feliciâq; sunt, quæ nûcias omnia, neq; noui tamè quicquam: at rursus perinde iucunda, ut si noua. Taliū enim uirorū in me beneuolentiâ, tam graue de te testimonium, quid ni plurimi faciā? Tuū item de me gloria studium, ut uetus libens agnosco, tanquam nouū exosculor: etiâ si Faustina illa ὕπερβολῆς, quæ penes unum me literarum sacrarium esse dicitur, nota nimis me delectauit: cum quod immodicæ laudes, neq; nostro pudori, neq; mediocritati nostræ conueniunt: tum quod huiusmodi sermō figuræ & fide carerent, & inuidiæ plurimū contrahunt: postremo irōniæ quoq; sunt affines, quemadmodū & illa tuis in literis etiam si blandissime scripta, tamen mihi non admodū blandiuntur. Obseruandissime præceptor, tuus deuotus discipulus dedo me tibi, iube quod uis, nihil habeo meum, sed omne tuum: cuius omne ego sermonis genus à sincera beneuolentiâ quàm longissime semotum esse oportere censeo. Nam ubi purè amatur, ita ut nos facimus opinor, ibi quid istis figuris opus?

opus: ubi uero insincera charitas, hæc etiam in male uolentiæ suspicionem rapi solent. Quare pergratum mihi feceris, si gratiosas istas ὑπερβολὰς funditus tuis è literis sustuleris, ut suū habeat simplex amor sermonē, meminerisq; te coniunctissimo amiculo scribere, non tyranno. Fata etiâ nunc tuis uotis atq; adeo uirtutibus malignè respondere, mihi quidem est opinione molestius, mitescere uero gaudeo. Quinetiâ aut insignitè me fallit animus, aut eam tam fatalem tempestatē noua quædā serenitas consequetur. Tu modo obdura mi Augustine, uti soles, cōtraq; ardentior ito, quàm tua te fortuna sinet. Paulum Aemiliū ad nos remigraturū tuis è literis olfacio. At ego multis moris hominem manere malim: nam hic quidem cur diutius hæreā non uideo. Sed tu curabis ut omni de statu tuo mihi perscribas, ecquid nostri conuictus sarcinulam tua fortunula ferat: quandoquidem de uoluntate nec tu uis me diffidere, neq; ego possum, tot iam periculis & argumentis explorata spectatq;. Quare si quid erit quamobrem hospites, uel parum tempestiui, uel minus commodi futuri uideamur, citra omnem fucum aperies, ea uidelicet libertate, quàm tanta postulat necessitudo. Ego ne pilo quidem te minus amauero. Ita me superi omnes bene ament,  
non

non tam huc specto, quo fortunis meis prospiciam: quanquam huc quoq; (cur enim inficier?) quàm ut doctri-  
 nae tuae, mea, ut scribis, opera, deformatæ supre-  
 ma manus imponatur. Quod si eadem tibi mens, imò  
 si fortuna patitur, ut utriq; commoda nostra cum al-  
 terius commoditate coniungamus, accersere sin minus,  
 tamen hoc ipsum scire permagni mea refert, ut pros-  
 perem alijs rationibus mihi consulere, etiam si prius  
 illud potius est. Qui cum enim cupiam potius mea con-  
 summare studia, quàm tecum, quem ego primum bo-  
 nis literis initiaui, qui cum ad iam propè abiecta stu-  
 dia me reuocauit, qui cum tot annos coniunctissime ui-  
 xit: Verum si nō potes quod uis, id uelis quod possis.  
 Ostentatur nescio quæ specula de adeunda Italia; &  
 prurit nonnihil animus, uerum simulatq; tuas literas  
 accepero, meis de rebus statuā. Nicolauū Benseradū,  
 qui me (ut scribis) plurimum ualere cupit, ego uicissim  
 plurimum ualere cupio. Tumultuor in mea com-  
 pia, sed Musis opinor inuitis. Quid enim possum pul-  
 chri omnibus bonis libris destitutus? Et altius sese  
 opus in recessu aperit, quàm in ingressu promitte-  
 bat. Et tamen molior, quid enim aliud agam? Scilicet  
 hoc ago, ne, quod est turpissimum, nihil agam. Cura  
 ut ualeas mi Augustine, meq; quod soles, ama.

tuna

um Aureliæ, postridie Cōceptionis uirginis matris,  
 Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Euricio Cordo Ludimagistro S. D.

**V**Tinam tam facile liceat omnibus mutuis lite-  
 ris, ut amore mutuo respondere, non cōmitte-  
 rem ut quoquā in officio uiderer inferior, nunc quan-  
 do unus à multis laccessor, cogor in altero cedere, præ-  
 fertim cum præter uicissitudines literarū, quæ mihi  
 non minimam temporis adimunt portionem, & tot  
 alioqui studiorum laboribus degrauer, ne quid impu-  
 tem interim, quod operæ refellendis obtrectatorū ca-  
 lumnijs datur. An aliquos (ut scribis) Christo lucrif-  
 fecerim, nescio, quanquam à multis hoc nomine mihi  
 agūtur gratiæ, certe conatus sum, atq; utinam me ip-  
 sum Christo lucrifecissem. Etiam atq; etiā nostræ gra-  
 tular Germaniæ, quam uideo indies magis ac magis  
 melioribus literis mansuescere, ac syluestre ingenium  
 exuere. Quod Erfordiæ ludum literarium aperis, ut  
 felix faustumq; sit precor. Academia multis nomi-  
 bus celebrem, reddes industria tua celebriorem: sed  
 quo alacrius uerferis in isto munere, fac memineris se-  
 cundum principes & episcopos, neminē magnificen-  
 tius posse moreri de Repub. quàm ludi literarij ma-  
 gistrum,

n

gistrum,

gistrum, si rudibus adhuc, & in quemuis habitum se  
quacibus animis mentem instillet Christo dignā, easq;  
litteras, quæ semper optimo cuiq; placuerunt. Quod  
si me audies, plus operæ sumes in propagandis optimis  
disciplinis, quàm in refellendis harum hostibus. Ad  
clarā lucem uel suapte sponte euanescent tenebra-  
rum portenta. Eobaniū eui nostri Nasonē, sed castum  
ac piū, meis uerbis salutabis diligenter. Bene uale  
cordatissime Corde. Louanij decimoquinto Calendæ  
Maias. Anno M. D. XIX

ERASMVS ROTERODAMVS

Theologo cuidam S. D.

**P**Ræceptor eruditissime, uideo uirus hoc obtre-  
tatiōis indies latius serpere, & letalius reddi,  
tam manifesta mēdacia licentissime de me prædicauit  
N. quidam licentiatus, ut uocant, primum Louanij,  
deinde Mechliniæ, mox Antuerpiæ, nec uideo reme-  
dium, nisi tua prudētia atq; autoritas sinem imponat  
huic malo. De modo uiaq; conuenerat tecum, & cum  
Dorpio. Me mea consciētia non remordet, quod scrip-  
tis meis usquā offecerim Christianæ pietati. Dissidiij  
causa nolim esse, cauebo pro uirili, ne sim occasio. La-  
tomus inuitarat, ut rationem rationi opponeremus, id  
fecimus summa lenitate, ut ni morosissimus sit, offen-  
di non

di non debeat. Sed præstat omnia coram, si dignaberis  
coram, præscribere. Christum mihi iratū imprecor,  
si quid affecto, quod Christo displicere sciam. Nullum  
conuiciū non feram, etiam falsissimum, modo ne fal-  
so traducar hæreticus, quod à nonnullis fieri præsens  
docebo. Bene uale. Anno M. D. XV.

ERASMVS ROTERODAMVS

Iacobo suo Hornensi S. D.

**S**anè quàm lubens amplector tuū in nos animum,  
suel ob hoc ipsum quod ultrò nos ad amandū pro-  
uocas, etiam si nō parum apud me ualeret, uel patria  
communis, uel litterarum similitum idem amor. Nam  
quod existimas me tibi Dauentriæ conspectū, uel hoc  
argumento facile deprehendes, te uana ludi mentis  
imaginatione, quod cum ego Dauentria discederem,  
nondum fluuius, qui urbē præterfluit, ponte iunctus  
erat. Nec Dauentria discedens, adij Britanniam: nam  
ante decem & nouem annos demum uidi Britanniam.  
Dauentriam reliqui, quatuordecim natus annos, nūc  
ago annum quinquagesimū tertium. Quæstionem abs-  
te disputatam, nullus adhuc exhibuit. Bene uale mi  
Iacobe. Louanij, decimoquinto Calendæ Maias. An-  
no millesimo quingentesimo decimonono.

GVLIELMO CARDINALI DE

Croy Archiep. Toletano, Erasmus Rot.

**R**euere[n]dissime domine, idēq; princeps clariss[im]e, schedula tua Laconica quidem breuitate, sed sensu arguto, mihi specimē acris uegetiq; ingenij præbuit: nam hic opinor, permittes Erasmo, leonem ex unguiculo aestimare. Felices literæ, si tales habituræ sunt fautores, feliciores si non fauentes modo, uerum etiam cultores habebunt. Probè uerò diuinas libellum hunc reliquorū similem futurum, prorsus illis simillimus est, hoc est, ineptissimus. Mihi uerò nec libuit in huiusmodi mugis seriam operā ponere, & uisum est conuenire, ut dignum haberet patella operculum. Si tua celsitudo dignabitur Erasmus numero clientulorum suorum ascribere, dabimus operam, ne prorsus ignauū aut ingratiū allegisse uideatur, quam Christus Opt. Max. instauradæ ueræ pietati, bonisq; literis euehendis diu tueatur incolumē. Louanij duo decimo Calendas Maias. Anno millesimo quingentesimo decimonono.

IOANNI THVRZONI EPISCO

po Vratislauen[s]i Erasmus Rot. S. D.

**L**iteras tuas ornatissime præsul, non minus bonæ mentis, quàm doctrine, quàm eloquētis, quàm humanæ

humanitatis præ se ferentes, planè dignas iudicabam, quæ in tui nominis gloriam æderentur, ni meam gloriam immodicè prædicarent. Nec ita multum absuit, quin me nitore suo à rescribēdo deterruerint, sed malui famæ detrimentum accipere, quàm parum humanus uideri. Essem autē inhumanissimus, si à tanto præfule talibus literis prouocatus, prorsus obticuissem. Tantū autem abest, ut pudeat me uinci à minoribus, ut uehementer & gaudeam, & glorier, seculum nostrum præfule barbarici ueternum exuere, & in optimis literis feliciter reflorescere. Neq; hic ullam laudis partem mihi uindico, nisi si quos nostræ lucubrationes expergescerunt ad meliora studia, ne me putes agnoscere laudes, quas mihi candidè magis quàm uerè tribuis. Porrò nouum non est, apud Hungaros esse præclara ingenia, quando Ianus ille Pannonius tantum laudis meruit in carmine, ut Italia ultrò herbā illi porrigat. Iacobi Pisonis, cuius memoriam mihi refricas, tam iucunda est recordatio, quàm olim Romæ iucunda fuit consuetudo: quid enim illo doctius, aut quid festiuus? Ego hunc præceptorem magis gratulor serenissimo regi uestro, quàm regnū ipsum. Fuerunt & hic, qui me Ferdinando principi præceptorē dare uellet. Et est adolescens prorsus indole diuina, docilitate in-

credibili, probitati, virtutiq; natus, ad hæc amabili  
 quadã morũ grauitate, sed erat, cur me nollem aula  
 comittere. Is tamen (ut ipse mihi retulit) libellum de  
 Principis institutione semper habet in manibus. Velij  
 carmen legens, quod proximè mihi redditũ est, Luca  
 ni tubam audire uideor: dignus ille qui magnos reges  
 decantet, non Erasmus. Nunquam autor tibi fero,  
 ut quemadmodum scribis, octo dierum itinere, ad ho-  
 muncionis huius spectaculum accurras: nam sat scio  
 & te poeniteret itineris, & ego nõnullã existimatio-  
 nis meæ iacturam apud te facerem. Si quid Erasmi  
 sendum, id in libellis nostris conspicatus es. Ceterum  
 nec ego sum Liuius, nec tu Gaditanus quispiã barba-  
 rus. Quod autem insuper munus adornas? An nõ hæc  
 tua epistola, qua mihi pectus istud tuũ dicas, amplissi-  
 mum est munus: Mihi certe nullum tui pignus exhibe-  
 ri potuit charius, maxime quod non grauata sit tua  
 celsitudo tam prolixam epistolam proprijs digitis de-  
 scribere. Bene uale, Louanij, duodecimo Calendã  
 Maias. Anno M. D. XIX.

GEORGIO SPALATINO ILLU-

strijs. Saxoniæ ducis à sacris Erasmus Rot. S. D.

**M**ibi uero nihil hætenus abs te redditũ est liter-  
 rarũ, neq; tuo, neq; illustrissimi ducis nomi-

ne, eoq; nonnulla ni delictum fuisset. Vides quanto lo-  
 corum interuallo dirimamur, & non secus atque in  
 bello, literis intercipiendis aduigilant hostes meliorũ  
 studiorum: quo magis cauendum, ne cuius commit-  
 tantur epistolæ. Gratissimum mihi fuit nomisma, opti-  
 mi ducis imaginem mihi referens, uiuæ simillimam.  
 Huius epistolam uidere desiderabat reuerendissimus  
 episcopus ac princeps Leodiensis, eam unã cum no-  
 mismate ad illum misi, nec postea licuit hominem con-  
 uenire. Quicquid fauoris, quicquid benignitatis, quic-  
 quid præsidij illustrissimus dux impendit euehendis  
 optimis studijs, id in me peculiariter collatum arbi-  
 tror. Nihil in Iona conspexi, quod non unice me dele-  
 ctarit. Ita me deus bene amet, uideo delectũ organum  
 ad Christi gloriã illustrandã inter crassissimas horum  
 temporum tenebras. Schalbi collegæ dotes magis ex  
 illius literis, quã ex oratione licuit cognoscere. Ego  
 posthac Georgium Spalatinum non solum inter præ-  
 cipuos amicos, uerum etiam inter patronos meos ob-  
 seruandos scripturus sum, non perinde in char-  
 tis, atque ipso in pectore. Bene uale  
 Georgi charissime. Louanij quar-  
 to Calend. Iunias. Anno  
 M. D. XIX.

Erasmus Roterodamus S. D.

**I**llustrissime princeps, pro studio, quo tuae celsitudi-  
ni Caesarum uitas à me recognitas dedicaui, iam  
nūc abunde magnā gratiam relatā existimo, postea q̄  
amantissimis literis sibi non ingratum fuisse testatur.  
Nam cum id operis destinare, nondum mihi perinde  
prædicatū erat atq; nūc est, quāta animi propensio-  
ne faueres bonis literis, adhuc cū ueteris inscitiae pa-  
tronis digladiātibus, sed ita, ut hostes nihil aliud asse-  
quantur reluctando, quā quod & nostrā illustrent  
uictoriam, & suam denobilitent stultitiā. Quicquid  
aut fauoris, quicquid benignitatis, quicquid subsidij  
tua nobilitas in staurandis honestis studijs, & euchen-  
dis tuendisq; studiorum assertoribus impendit, id to-  
tū in me collatū esse duco. Neq; uerò te pœniteat isti-  
us animi, nō erunt ingratae literae, quin magis trilin-  
guae facundia uindicē suū immortalī gloriæ consecra-  
bunt. Erit olim Fridericus adiutis studijs, q̄ stemmatū  
luce nobilior. Ego posthac nō uerebor et alios ingenij  
mei foetus tibi dicare, quando feliciter cessit hæc mihi  
audacia. Celsitudinem tuam patriæ studijs ac pietati  
q̄ diutissime incolumem tueatur Christus Opt. Max.  
Louanij tertio Calendis Iunias. Anno 1519.

Philippus

D. Erasmo Roterodamo.

**S**alutem in Christo Iesu. Dolet mihi uehementer  
Erasine clarissime in eam uenire tibi suspicione,  
nebulonis cuiusdā calumnia, qui notare uelim, & καὶ Id est, uere  
τοῦ δὲ λέγει nobiles illos commentarios tuos sacrorū. ti prænota  
Ridiculum sanè, τοῦ ἐπεὶ βιβλίου διόνοσοῦ uel sum to, quasi iu-  
mo Ioui obstrepere, deinde iniquū, de optime meren- gulari, ac  
te male mereri. Hic uero tuum ipsius animū appello, damnare.  
tānne esse credas malis imbutū moribus? adeo ne sce i. Cicernū  
lerata detrahendi libidine, qui sit tibi antea iudicio bo Bacchum.  
norū uirorū probatus, atq; id dextre. Quæso te per De re uehe-  
pietatem, ita putes & illum δολοῦτε χροῦ quadru- menter con-  
platorum: satis conijcio qui sit, mea simplicitate ini- tempta.  
quiter abusum, & accepta nos tibi ferre studia om-  
nia nostra, si qua sunt, auctori & parētī. Scio rem tibi  
leuiorem uideri, quā ut pluribus agatur: alioqui te  
stes candoris mei allegaro fortasse, quibus fidem ha-  
beas. Quāquam hoc sanè nō pernego, primum uisa  
in Paraphrasi mihi quædam Διὸς ἑορτῆς ἔπεα, sed Latiora.  
altius perpendiculari aliter uidetur. Hinc ille, sat scio,  
Tragediæ argumentū duxit. Verum iudicia studio-  
rum ut recta, ita libera esse decet. Ceterū nullius  
mihi rei conscius sum, ignosce si quid hac parte pec-

n s caui

Ruditer,  
ex tpe &  
impreme-  
ditate agēs.

caui per Iesum  $\chi\rho\iota\varsigma\omicron\upsilon$ . Nec enim tā oscitans Erasmi  
lector sum, ut ex illo ipso nōdū didicerim, quid præce-  
ptori, quid fratri in  $\chi\rho\iota\varsigma\omicron$  debeā. Hæc paucis, nam &  
magno animi mei dolore, et quod aiūt,  $\alpha\upsilon\tau\omicron\chi\epsilon\delta\iota\alpha\zeta\omicron$   
 $\mu\lambda\upsilon\sigma$ , iniquo etiā tempore scripsi. Martinus Luther  
studiosiss. nominis tui, per omnia tibi probari cupit.  
Vale uir clariss. Ex Lypsia Nonis Ianuarij. an. 1599.

ERASMVVS ROT. PHILIPPO

Melanchthoni S. D.

**Q**ui me submonuit de tuo iudicio, neq; nebu-  
lo est, neq; quadruplator, uerum in paucis  
candidus amicus, utriq; nostrum bene uolēs. Nec est,  
quod aduersus illum tantopere stomacheris, cum ipse  
fatearis uerum esse, quod ille non in tui inuidiam, sed  
quod forte sic inter cōfabulandum inciderat, retulit:  
quanquā ille nō aiebat tibi displicuisse quicquā in Pa-  
raphrasi, sed in nouo Testamēto, in quo citius admis-  
sus erā tuū iudiciū, q̄ in Paraphrasi, de qua nemo  
facile pronunciat, nisi qui uigilantissimis oculis ue-  
terum omnū cōmentarios excusserit. Caue uero me  
putes aut anticum tam inconstantē, ut ob quamlibet  
offensam amicus esse desinam, aut tam parum assue-  
tū  $\tau\omicron\upsilon\delta\iota\alpha\chi\epsilon\delta\iota\alpha\zeta\omicron$ , ut huius aut illius liberiore  
iudicio magnopere cōmouear. Neq; obsto, quo minus

Malo audi  
endi.

libera

libera sint studiosorū iudicia, modo recta sint. Proinde  
de rectius tu quidē hoc ordine mihi dicturus fuisse ui-  
deris. Iudicia studiosorum ut libera, ita recta esse de-  
cet. At ipse iudiciū istud tuū rescindis, & calculū re-  
uocas. Ad hæc eruditorū iudicium, horum præsertim  
qui Musarum sacra colunt; non solū rectum, uerū &  
æquū & candidū esse decet. Vides quantis odijs con-  
spirent quidā aduersus bonas literas. Aequum est nos  
quoq;  $\sigma\upsilon\gamma\kappa\rho\alpha\tau\iota\zeta\omicron\upsilon$ . Ingens præsidū est concordia. Vide pue  
Cæterū illud tibi persuadeas uelim, me Philippum ex  
animo diligere, & illius felicissimo ingenio, nō uulga/  
riter fauere. Dicit uix potest, quantum arriserit hym-  
nus, quo tu ueterem illum Orpheum nobis referens,  
angelos celebras. Legi & præfationē, qua ueterē eru-  
ditionem prædicas, fortiter quidem ingentiq; spiritu,  
quemadmodū & iuuenē decet, & Germanum. Verū  
si pateris Erasmi monitorē, malim te plus opera su-  
mere in afferendis bonis literis, quā in insectādis hæ-  
rum hostibus. Digni quidem illi, quos eruditi omnes,  
omni conuiciorum genere discerpant: sed hac, ni fal-  
lor, plus promouerimus. Præterea certandum est no-  
bis, ut non solum eloquentia, uerum etiam modestia  
morumq; lenitate superiores illis uideamur. Martini  
Lutheri uitam apud nos nemo nō probat, de doctrina

biū autor  
Syncretif  
mus.

uariantē

uariant sententiæ. Ipse libros illius nondū legi. *Quædam* admonuit recte, sed utinam tam feliciter, quàm liberè. Scripsi de illo, charissimo duci Friderico, simul gestiens cognoscere, quonam animo acceperit *Casarrum* utas à me sibi dicatas. Bene uale Melanchthon eruditissime, totisq; uiribus adnitere, ut spem, quàm optimam de tuo ingenio, tuaq; pietate concepit Germania, non æques modo, uerum etiam superes. Louanij X. Calend. Maias Anno M. D. XIX.

**M**oderare studiorum labores, quo diu iuandus literis suppetere possis: nam audio tibi ualeitudinē esse nō prorsus adamantinā. Postremò uel in hoc uitam cura, ne gratum facias *τοῖς Βασιλεῦσι τοῖσι*. Rursum uale.

ERASMO ROTERODAMO

Gasspar Schalbus S.

**P**ER tot syluas latrocinio, per tot urbes pestilentia morbo iam infames, ad te grassati sumus Erasme, Ionas & ego: & peruenimus dij boni quàm in tēpore, quàm feliciter. Eius quantumuis longi & molesti itineris, tantum abest, ut nos poenituerit, ut in itinere adhuc incerti, ubi unicum margaritum Christiani orbis delitesceres, sanctè cōiurauerimus, te *extrema India et ultima Thyle* nos quæsituros, nedum

in Bra-

in Bra-

in Brabantia, aut Gallia. Desine tui contemptu laborare, ut cōtra omnes illi Aristotelici Theologi superciliosa *φιλαυτία*. Si tu te ex ea parte nescis, quàm sis *Amore sui* magnum huius seculi ab ipso Christo nobis datū munus: ego te in isto studiorum meorum silentio domi, mecum ex operibus tuis didici: at nunc ex uiuis uultibus, ex sermone tam sine affectatione Zaccæo, tam mellito (quod miraberis Erasme) tantundē penè fructus, quantum alius quis ex aliquo librorum tuorum possit, hausi. Non tibi ingererem has meas ineptias, nisi non minus ardentè, quàm comes meus Ionas epistolam tuam habere optarem. Dispereā enim, si à te, etiam si baculo mineris abigere, auelli possinus, nisi habeamus quod te nobis in itinere iam, & maxime tunc quum in istam nimis longinquā regionē nostram redierimus, præsentem referat. Quid multis uerbis hic explicem, quanti hanc profectiōem nostram faciam? Ut me deus bene amet, nollem eam mihi decem Pactolis aut solidis auri montibus commutatam. Vale magne Erasme, & dignare nobis (ut diu etiam expectandus sis) solum rescribere. Iterum uale. Bruxellæ, à nato CHRISTO Anno M. D. XIX. quinto calend.as Iunias.

Erasmus

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Gaspari Schalbo S. D.

**O**bscuro te doctissime Schalbe, utrum isthuc est rogare, an cogere? uides mihi uix oculū esse, ad tuendam ualeitudinem, uides tot studiorum laboribus obrutum, & tamen efflagitas epistolā? Adeo uiolenta res est, & impotens amor, praesertim Germanicus, cui si coner reluctari, nihil agā. Itaq; respondeo tuis literis, sed ita ut uerear, ne dicas tibi nihil esse responsū. Quod si breuitatem hanc apud te non excusat misericordia nostri, saltem excusabit publicorum studiorū ratio, quorum iactura distrahor in haec officia, quae singulis, quibus praestantur, exigui momenti uidentur, mihi tamen in quem unum agminatim glomerantur, ingentem sarcinam addunt. Quando tu Ionae non cedis in amando, par arbitror, ut te non minus quam illum redanem. Deplorarem tam longinquam profectiōē tuā, totq; periculis obnoxia, nostra causa susceptam, ni tu tibi tantopere gratulareris etiam. Id si iudicio facis, non inuideo fructum: sin imaginatione remedij pars est, non sentire malum: Illud autē quam Germanice? Negas te fustibus depelli posse, ni detur, quod in patriam reuerso praesentem Erasmmum referat. Os impudens, non tibi sat est, oculos, aures & ani-

mum

num expleſſe nostri copia, mellitissima uti scribis, nē me totū tecum auferas? & auferas in tam procul distantam regionem? Quantulū autem Erasmi tecum auferes, si huius corpusculi imaginē pictam aut expressam ad tuos retuleris? Optimam Erasmi partem in libris uidere licet, quoties libet, si quid tamen omnino nostri est, quod sit uisendum. Bene uale Gaspār charissime. Louanij tertio calendae Iunias. Anno M. D. XIX.

ERASMVVS ROT. PETRO ANGLEBERMEO medico S. D.

**E**Moriar, si ullum deorū nectar suauius esse credam optime Petre, quam uillum hoc tuum, plurimū quidē aromatis efficacibus, & Apollinea arte, qua tu non minus q̄ humanitate mortaleis omneis albeis, ut aiunt, equis praecurris, uerum multo multoq; amplius de pectore isto candidissimo, & gratiarum pleno conditum sapidumq; cuius ego niueam simplicitatem, humanitatēq; propē incredibilem iam pridē ex Augustini tui sermone cognitam atq; adamatam, nunc etiam re prius quam oratione experior, donatus uidelicet abs te munusculo tam bello, iam lauto, tam denique apto. Recte enim & hoc Seneca monet, permagni referre, quis cui quid muneris mittas.

Porro

Porrò quum Bacchum ut eloquentiæ ministrum passim celebrant poetarum literæ, & aromata spiritus vitales, uiresq; pectoris resciant instaurantq; quid obsecro poteris hoc mittere aptius, homo medicus homini poetico, tum in literis assiduo, quàm uinum quod à uulgo quidem Hippocraticum, à doctis tum trimma, tum aromatites dicitur, nisi tu uel muri-

**Remune-** num, uel aromaticum maui: cui xenio utinam ced= ratio. *τίσσω* aliquod rependere tam facile possumus, quàm impense cupimus, neq; uoluntatem flagrantis-

**Idonati.** simam destitueret facultas. Verum ne prorusus *ἄδω* uideamur, neue quam duplicatam oportebat reddisse gratiam, nulla reponatur, poetarum more, qui chartarum tantum ut diuites sunt, ita sunt & liberales, literariam gratiam referimus, pro munere epistolam reddentes, quanquam non perinde conditam, nec arte pari concinnatam, uidelicet ut ad Homericum Dio-

Id est, auctoris exemplum, *χρῶσα χαλκείω ἐκέρω* rea pro *ἔννεβοίω* permutemus. Eam compensationē si tu reis, esse, tū non recipis, quippe uehemēter iniquam, uide ecquid bubus emē- hoc etiam auctariū placeat. Hunc homuncionē quanda, pro notulus quantulus est, tibi addico, quem si non poenitentem inuenit bit tuis in bonis scribere, uehemēter erraris, si quic-

quam credas tuis in rebus unquam fuisse tam tuum, quōne

quōne sic pro tuo arbitrato uel uti possis uel abuti. Interea ansam hanc ad te scribendi, id quod diu fuerat in uotis, per te mihi oblatā esse gaudeo, Lutetiam reuersus: nam in crastinū paramus iter: filij tui studia, quibuscunq; potero rationibus lubens adiuuero. Bene uale. Aureliæ. Anno M. D.

## ERASMVVS ROTERODAMVVS

Coletō Suo .S. D.

**D**E reddita quiete dici nō potest, quàm tibi gratuler. Suffraganeum demiror quid sibi uelit: quum has exactiones sciret indicas, iam tum, quum pensionis onus reciperet. Atq; id temporis de cōmunicando onere decimarum, ne uerbum quidem. Sentio te substomachari, quod iterū te in salutato Londinum reliquerim, & impatientiam taxas meam. Equidem non inficias eo morbum meum, uerum nihil tum fuit eiusmodi, cuiusmodi suspicaris. Primum nihil erat, quod tecum agerē, & palam admonuit me tuus Gulielmus, te literis scribendis occupatissimum esse, ne quid obturbarem, quanquam ego nec in hoc ueneram, sed ut literas ad me missas à tuo Gulielmo reciperē. Et adeo me properabam istinc subducere, propter metum pestis, ut ne cubiculum quidem meum fuerim ingressus. Item quum redirem, aucturus libros, solus omnes li-

bro, resq; composui: quo peracto, sero autem perfectam, istinc abduxi me: nec in cubiculo meo cubui: negocium de transferendis sarcinis Iodoco commisi. Hoc animo nō salutavi te. Literas tuas, septimo Octobris die scriptas, pridie calendās Nouemb. accepi: & ego ijsdem de rebus iterum ad te scripseram. Si Matheus non est apud te, apud Rossensem est, id quod magis etiam coniectabam. Sed quia separatim dederam non adiunxit reliquis: quod si perijt, mihi ipsi imputabo, & reperiit laboris tædio, facilitatis poenam à me exigam. Nos hinc passim fugientibus omnibus, & ipsi rus cōcesseramus, sed uini inopia fortasse nos Cantabrigiam rediget. Gratulatus sum proximis literis, & iterum gratulor, quod ad sanctissimos illos ac saluberrimos cōcionandi labores redieris. Arbitror enim cessatiunculam illam, in bonū etiam uersum iri, dum auidius audient, cuius uocem aliquandiu desiderarunt. Incolumem te tueatur Opt. Max. I E S V S. Cantab. Calendas Nouemb. Anno M. D. VII.

ERASMVS ROTERODAMVS

Gulielmo Montioio S. D.

reduplica  
o.

**Q**uidnam sibi uult illa tue salutationis *ἀντιπρωσις*, ὦ salue mi preceptor, salue mi preceptor? Vtrum doloris erat, quod à charissima coniuge

coniuge diuelleris, an gaudij, quod ad æque dilectas literas sis rediturus? Mihi quidem, quanquam hic omnia durissima uidentur, stat tamen sententia, omne tædium amore tui deuorare, omnem exorbere molestiam, ne quum tu in amando constantissimum te praestiteris: ego uicissim in obsequendo parum constans fuisse uidear. Fac eum ad nos animum adferas, ne uel tua sine causa consuetudinem uxoris neglexisse, uel ego frustra tantum tædiorum prætulisse credar. Bene uale. Oxoniae. Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMVS THOMAE

Moro suo S. D.

**V**ix ullis literis consequi queam, quibus diris huius tabellarij caput deuouerim, cuius uel in diligentia, uel perfidia factum arbitror, ut expectatissimis Mori mei literis fuerim frustratus. Nam in officio cessasse te, suspicari nec debeo, nec libet. Tametsi superioribus literis uehementiuscule tecum ex postulauimus. Neq; ueremur, ne quid nostra libertas te commouerit, qui non ignores Lacedæmoniuū illum ad cutem usq; pugnandi morem. Illud extra iocum oramus, mellitissime Thoma, ut aegritudinem, quam ex nimium diuturno tui tuorumq; scriptorum desiderio cepimus, usura aliqua sarcias. Expectamus

Baiulum. omnino non epistolam, sed ingentem literarum sarcinam, quæ uel Aegyptium ἀχθόπορον degraueat. Si qui sint isthic bonarum literarum cultores, tuum erit officium eos ut ad nos scribant extimulare, quo uidelicet amicorum orbem omnibus numeris ab soluamus. Non ausim illos laceffere prior. Nā tibi nihil referre putamus, quomodo scribamus homini facillimo: ad hæc mei, ut mihi persuasi, amantissimo. Vale iucundissime More. Oxoniæ. Anno M. CCCC. XCIX. Natali Simonis & Iudæ.

ANGLORVM REGI HENRICO

eius nominis octauo Erasmus Roterodamus S. D.

**Q**uemadmodū inferior hic mundus serenissime me rex, pēdet à corporibus coelestibus, atq; his præcipue quæ primas tenent inter sydera: ita rerum publicarum ac populi status pendet à principibus, præsertim summis, ac latè dominantibus monarchis, ad quorū ingenia, consilia, mores, affectus, fœdera, dissidia subinde uulgus immutatur, haud aliter quæ ad lunæ cursum mare reciprocis aestibus nūc affluit, nunc defluit, aut ad solis motū terra nunc uernat floribus, nunc aestu funditur, nunc foetibus oneratur, nunc gelu riget. Porro quemadmodum populi uoluntas ac studia

studia pendent à nutu regio, ita, iuxta sapientis Hebraei apophthegma, cor regis in manu dei est, qui quoties irritatus est sceleribus mortalium, nonnunquam iuxta dictū Esaiæ, dat pueros principes, ac iuxta diuini Iob sententiam: sinit hypocritam regni moderari habenas. Hypocritam autem uocat, qui nomine rex, re tyrannum ac prædonem agit. Rursum si quando uisum est animum placatū ac propitium testificari populis, tum principibus mentem immittit regno dignā. Atq; hoc sanè argumento colligi posse uideo, post tot malorum procellas tandem æternū numen nobis esse reconciliatum, quod tales animos immittat horū temporum excellentissimis regibus, ut nihil antiquius habeant quàm ea, quæ pacis sunt ac pietatis, quæq; ad reipublicæ cōmodum faciunt. Quinquam tua quidē maiestati semper hic animus adfuit, tamen hætenus obstitere fatorū procellæ, nunc adiuuantibus & temporum opportunitatibus, non destinas quod optimum est, sed præstas, quod iā olim destinarat animus uerè regius. In hanc uero laudem, quanquā à multis egregijs principib. decertatur, hinc à Leone Romano pontifice, hinc à Francisco rege Gallorum, hinc à Carolo rege catholico, hinc à N. serenissimo rege Scotorum: tua tamē maiestas, mea sententia, uel hoc nomine præcipuam

cipuā huius gloriæ partē meretur, cuius potissimum  
 auspicijs, hortatu, prudentiaq; negotiū hoc & susce-  
 ptū est & tēperatur. Quū enim Rom. pontifex, pa-  
 cis alioqui cupidissimus, de quinquennibus regum ali-  
 quot inducijs duntaxat ageret, tua celsitudo pacem,  
 ut spes est, aeternā inter tam multos principes totius  
 orbis potentissimos arctissimis foederibus conciliauit.  
 O pectus uerē regium, o mentē excelsam, & Christia-  
 no monarcha cum primis dignā. Quū nemo regū ma-  
 gis omnibus præsidijs instructus sit ad bellum, tamen  
 omne studiū omnesq; uires cōfers ad pacem orbis sar-  
 ciendā: prudenter perspiciens nihil esse perniciosius,  
 quā Christianos populos mutuis atrocinijs ac bellis  
 inter sese cōmitti, nec ulla re gentē Christicolā æque  
 formidabilē reddi nostræ religiōis hostibus, atq; prin-  
 cipum ac populorum concordia. Istam uerō mentem  
 tibi nequaquā pro tempore sumptā esse, sed prorsus  
 insitā natura, uel illud sat argumenti est, quod in bel-  
 lo Gallico, quod ut inuitus, ita pro pietate Christiana  
 susceperas, adeo ciuilitate adeoq; clementer te gesse-  
 ris, ut satis liqueret, tibi pacem magis esse cordi, nisi  
 te totius orbis ecclesiæq; Christianæ periculū ad ar-  
 ma uocasset, aut ut melius dicā cōpulisset. Nec his cō-  
 tentus, pacem tua prudentia, tuāq; autoritate partā,

suis

nihil Chris-  
 tianis pri-  
 uis quā  
 illa.

suis artibus ornare studes, ne uel iners aut ociosa ui-  
 deatur, uel luxus ac malarū uoluptatū magistra. La-  
 trocinia, à quibus nihil haecenus usquā tutum erat in  
 Anglia, mira seueritate cōpescis, nocentes profligas,  
 ociosis erroribus ditionē tuam liberās, bonis legibus  
 uigorem suū reuocas, inutiles tollis, salutare sufficis.  
 Optimarum literarum studia prouehis, pietatis disci-  
 plinam, quum apud omnes, tum uerò præcipue apud  
 monachos ac clericos instaurās, haud ignarus ab his  
 potissimū manare in plebē morum uel integritatē, uel  
 corruptelā: uidelicet modis omnibus hoc agens, ut his  
 præcipuus sit honos, qui maxime præcellunt, uel inte-  
 gritate morum, uel eximia doctrina, uel quod ut pul-  
 cherrimum, ita rarissimū est, utroq;. His ornamentis  
 existimas longē melius decorari regnum tuum, quā  
 ullis trophæis aut fornicibus. Nec harum rerum au-  
 tor es solum aut hortator, uerum etiā exemplum. Nō  
 enim edicis modo, uerum etiā exhibes, imò plus præ-  
 stas ipse, quā alij præscribis. Grauis & efficax est  
 regis autoritas iubentis, sed dictū mirum, quanto effi-  
 caciōr præstantis quod iubet, ac legū suarum exem-  
 plar tota uita ponentis ab oculos. Leges tibi non mi-  
 nantur, at quis uel inter priuatos uno te legum obser-  
 uantior? quis incorruptior? quis pastorum tenacior?

In uer-  
 ia Angli-

quis in amicitia constantior? quis æqui iustiq; aman-  
tior? quæ ciuili domus casti, concordisq; coniugij tam  
euidens habet exemplū? ubi reperias optimi mariti  
magis emulā cōiugē? qui priuati penates, imò quod  
collegium, quæ Academia, uiris integritate uitæ, do-  
ctrināq; singulari præstantibus, ornatioꝛ est usquam  
quàm tua sit aula? Veteres illi Poëta, seculū, nescio  
quod, aureum suis fabulis nobis prodiderunt. At qui  
hæc quum agit tua celsitudo, quid aliud quæso, quàm  
seculum uerè aureum, nobis reducit, si tamen unquā  
fuit ullum: ac res tam ardua adeo succedit tuis auspi-  
cijs, ut dubium non sit, quin fauentibus superis gerat-  
tur. Quæ regio terrarum nunc non gratulatur Bri-  
tanniæ, si fauet: non inuidet, si parū bene uult? Quod  
hodie regnum toto terrarum orbe nobilius aut cele-  
brius? Nimirum regis animus est, qui regna nobilitat  
uel obscurat. Quibus libris, quibus linguis olim est ce-  
lebratura posteritas, sub Henrico octauo, tanquā in  
hoc cœlitus emisso principe, sic omni genere uirtutū  
effloruisse Britanniam, ut uideri possit renata: quam  
sic moribus incorruptā reddiderit, ut ab hac uel ipsa  
Massilia discipline ciuilis exemplum petere possit:  
sic pietate pollentem, ut uel ipsi Romæ queat esse pie-  
tatis magistra: sic abundantē eruditis uiris in omni  
doctrinæ

doctrinæ genere, ut huic inuidere possit Italia, nisi stu-  
diorum emulatio nesciret inuidiam: postremò, cui ta-  
lis fuerit princeps, ut omnibus in posterum principi-  
bus imperij gerendi possit esse regula. Deum immor-  
talem, hoc demum est regnum esse, hoc demū est re-  
gem agere, hoc est aulam principalem habere. Olim  
impensò quodā amore literarum, atq; ocij dulcedine,  
non nihil abhorrebam à regū aulis: nunc uerò cum  
animo cōtemplor, quem principē ac moderatorem ha-  
beat aula Britannica, quam reginam, quos proceres,  
quos à consilijs, quos ab officijs, impendio mihi gestit  
animus in talem aulam immigrare: nec puderet ambi-  
tionis, nisi ualetudinis imbecillitas, iam plus etiā quàm  
pro ætatis modo ingrauescens dissuaderet. Etiā si ni-  
hil est, quod hic ambitionis infamiam uerear, qui huc  
et hodie non aspernandis cōditionibus, nec ab uno re-  
ge prouocer. Equidē natiuus non sum, fateor, sed in-  
sitiuus Britannicæ: et tamen ubi mecum reputo quot  
illic annos uixerim, quot illi habeam Mecænatēs, quot  
eximios ac synceros amicos, quantam fortunæ meæ, si  
qua tamen est, portionem, non minus illi felicitatem  
hanc gratulor, quàm si me genuisset. At nihil inte-  
rim mihi dictum est de præclaris corporis animiq;  
tui dotibus, quas deo naturæq; debemus magis, quàm  
o s nostræ

nostræ industrie, & tamē hæc quoq; bona cedunt in  
 felicitatem reipublicæ si in principem probum incide  
 rint. Porro tametsi iam seculis aliquot non ita multū  
 laudis in regibus tulere bonæ literæ, tamen tua maie  
 stas efficiet, ut quemadmodum olim præcipuū decus  
 regū fuit, eruditione præcellere, ita posthac pulcher  
 rimum habeatur, principē scire literas. Tuae uirtutes  
 dispellent ueterem cauillationē, qua dicitant quidā,  
 regij pectoris uigorem languescere studio literarū.  
 Quis enim unquā eorum, qui literas nescierunt, exti  
 tit te uno in ulla regia functione dexterior? quis atten  
 tior ad coercenda flagitia? quis ad consulendum soler  
 tior? quis ad prospiciendum oculatior? quis in obeun  
 dis rebus præsentior? Et tamen in literis quas olim fe  
 licissime degustauit tua maiestas, eod nunc progressa  
 est fortasse nō multo studio, sed inaudita naturæ feli  
 citate, ut eruditissimis etiā theologis miraculo sit sani  
 tas & acumen ingenij tui. Siquidē in disputatione, quā  
 nuper animi causa tua maiestas instituit cum acutissi  
 mo, simul & doctissimo theologo, defendens, à laicis  
 non exigendam precationem, præter eam quæ men  
 tis cogitatione deum alloquitur, deum immortalē,  
 quem artificem præstitit? Quis inuenire poterat ar  
 gutius? quis colligere neruosius? quis explicare uenu  
 stius?

stius? Omnium autem uirtutū & ornamentorū tuorū  
 ceu colophon quidam accedit, quod nemo te uno ad  
 congressum ciuiliū, nemo minus fastus aut supercilij  
 præ se ferens, incolumi tamē interim regia dignitate,  
 quoties res postulat. Olim Olympiacis uictorijs terra  
 rum dominos in deos euehi, scripsit Horatius. Olim  
 solēni ritu: qui cū laude gessissent imperiū, refereban  
 tur in numerum diuorū. Hæc sunt facinora, quæ uerē  
 cōsecrēt immortalitati: sic itur ad astra. Non patietur  
 eruditorum hominū ingenia, quæ tu tot modis ornas  
 ac foues, uirtutum tuarum memoriā ulla temporum  
 uetustate obsolescere. Græca pariter ac Latina facun  
 diā, grata tuis erga se meritis, semp loquetur, apud  
 Britannos fuisse quendā Henricū octauum, qui unus  
 tot heroum dotes ac decora suis retulerit: Ptolemæi  
 Philadelphi studium erga bonas literas, Alexandri  
 Magni felicitatem, Philippi ciuilitatem, Cæsaris in  
 uictam animi uim, Augusti sanitatem, Traiani man  
 suetudinem, Alexandri Seueri integritatem, Mar  
 ci Antonij Pij doctrinam, Theodosij pietatem, & si  
 quid aliud in singulis præscorum insigne fuisse legi  
 tur. Precamur ut deus qui istas dotes largitus est,  
 easdem uelit tibi tuisquē faustas ac felices esse: qui  
 istos dedit impetus, idem suo fauore prouebat,  
 beneq;

benēq; fortunet. Sciebam importunius esse, quod hu-  
iūsmodi nenis tuam maiestatem alioquin occupatissi-  
mam interpellarem, sed uicit ardor animi, in gratula-  
tionem gestientis: quum & multorum & certissima  
prædicatione cognouissem, quod seculum nobis tua  
uirtute foret exoriturum: simulq; uisum est testari me  
memorem esse fauoris erga me tui, iam non oratione  
tantum, sed re quoq; declarati. Patiatur, oro, tua sere-  
nissima maiestas inter tam multos eximios, quorū in-  
genium tua nobilitas illustrat ac fouet, & quorū lite-  
re uicissim tuum familiū exornant, & hunc Eras-  
mum, qualis qualis est, annumerari: quā in columē  
semperq; florentem seruet Christus Opt. Max. Ant-  
uerpie, Idibus Maij Anno M. D. XIX.

VLRICHVS HVTTENVS EQVES

Erasmo Roterodamo S. D.

**T**u licet mutus sis, ego tamen non desinam fre-  
quētib; tibi epistolis obstrepere, et te amabo,  
si tu me cōtempseris etiā. Princeps impatiētissimo tui  
desiderio tenetur. Nuper ex Doringis huc rediens,  
quū illi obuiā processisse, uixdū cōtacta dextera mea,  
ubi nobis Erasmus inquit? Et de libello percōtabatur  
iterū atq; iterū, quo demiratur, quod ego ignore, qd  
sit illud, quo eum ornas. Putat enim omnia tua mihi  
esse

esse cognita: quā tu opinionē eius uide aliqua re fir-  
mes. Amat te mirificē: debetur hoc tuis quidē uirtuti-  
bus, præter uulgare tamen Germanorū principū mo-  
rem est. Atq; hæc de principe, & tuo pertinaciosi-  
lento: nunc de me. Pertæsum est aula: ita nihil mihi  
cōuenit cū purpuratis istis. Impetrasse uideor à prin-  
cipe, ut ubi ubi sim, stipēdio me prosequatur: hoc no-  
mine laudabis eum, magno nostro cōmodo. Valde au-  
xisti animū erga literas illi in Annotationibus tuis,  
ubi eū idcirco quod me foueat, extulisti. Stimulus fuit  
hic illi: iamq; statim in literis tuis esse putat, si quē re-  
cte eruditū amplexetur. Quod mirari posses, in aula  
iocatus sum toto hoc anno: & alias quidā nugas me-  
as accepisti nuper, Febrē autē recens æditā, nūc mitto,  
& Phalarismū: ubi reprehēdes audaciā meam, scio,  
potius q̄ fortitudinē efferes. At ego expeditioni, quæ  
nobis paratur ingens, equestri pariter ac pedestri ac  
exercitu, interero ipse: tantū abest ut metuā latronē  
illum. Breui totam turbati Germaniā uidebis. Si me  
deuorabit illa pugna (sunt enim & suæ illi uires, &  
auxilia sunt) tunc tu fac, ne ignoret uel studium erga  
te meum posteritas, & me tuis immortalibus literis  
uixisse saltem testare. Vale. Moguntia, pridie no-  
nas Martij, raptim irreuise.

Triumphus

Triumphus Capnionis in lucem prodijt, magno theolo-  
gistarum fremitu.

ERASMVVS HVTTENVS S. D.

**T**ot studiorum laboribus obrutus, ut mirum sit  
me cuiquam omnino respondere, sepius tibi re-  
spondi, quam tu ad me scripseris, si modo perferun-  
tur quae mitimus: & tamen pertinax silentium meum  
accusas, mecumque delitigas, quasi parum sit hominum  
qui mecum rixentur. Ingentem uoluptatem mihi nun-  
cias, quod tali animo sit in me Archiepiscopus Mo-  
guntinensis, & tibi talem Meccenatem gratulari non  
desino. Ceterum libellum illi dicatum, iam pridem meo  
sumptu misi per iuuenem quendam, una cum literis  
ad te, simulque praefationem ad Guolphangum Augu-  
stum. Eum ex literis Rhenani, intelligo Basileam usque  
peruenisse: quid egerit Maguntiae, nescio. Demiror si  
non peregit mandata, cum addiderim libellum memo-  
rialem, praefiximus libello epistolam eruditam & ele-  
gantem Archiepiscopi, non perinde ut extaret illius  
erga me fauoris monumentum, atque ut alios tanti prin-  
cipis exemplo, ad bonarum literarum studium accen-  
derem. Et uideor mihi profecisse. Nam clarissimo iu-  
ueni Gulielmo de Croy duci & episcopo Cameracen-  
si, archiepiscopo Toletano, denique Cardinali: quam  
quam

quam aliis satis uideretur ad honesta studia propen-  
sus, tamen ex Maguntinensis epistola lecta, non medio-  
cre calcar additum uidetur. Aulam tuam, cum sepius  
esset in manibus, tamen semper excusit haecenus ali-  
quid negocij, lecturientem interpellans. Quod legi  
perplacuit: quid enim Hutteni non placeat? Febrim ac  
Phalarismum, nescio qui curarunt rursus excuden-  
dam. At febris Louanij uerita est distrahi, quod quos-  
dam nescis nominatim attingere uideretur. Alioqui Id est, semi  
perplacet omnibus. Phalarismus quoniam adhaerebat  
Febrim, una cum Febre exulata, sed Louanio duntaxat:  
neque enim longius se profert huius scholae tyrannis. Homerus  
susceperant & orationem excudendam, nec satis Martem & A  
scio, quo consilio proregent. Sed quid ego audio? Hut  
tenuis totus ferreus, in acie dimicabit? Plane uideo lou  
te bello natum, qui non calamo tantum & lingua, sed lat, uersuta  
& Mauortij armis pugnes. Quamquam quid ma-  
gni, si nunc ausis inter tam multos aduersus unum mutabilem  
pugnare, cum olim Bononiae unus tam multos pro-  
sugaris. Laudo fortem animum, sed tamen si me au-  
dies, seruabis Huttenum Musis. Nam unde nobis ta-  
le ingenium si quid accidat, quod auertant superi? No  
sti Martem & Αλλοτροσάλλου, nec satis propitium nunc illi ad  
bonis ingenij, utpote deorum omnium stolidissimum. haerens.

Bene

Hemistichi  
um Hora/  
rij

Bene sit, sed tamē si quid acciderit, ipse tibi tuis scrip-  
tis extrusisti monumentum ere perhennius. Neq; nos  
tamē defuturi sumus officio nostro. Nā si quid Eras-  
mi scripta ualebunt, Nulla dies unquam memori nos  
eximet æuo. Triumphum nondum uidimus. Gratum  
erat, quod nostro consilio tam diu presserint: nec du-  
bito quin totum argumentū sint moderati. Rixarum  
nullus est finis. Ut ceteris omnibus simus superiores:  
sycophantijs, mēdacijs, cōuicijs longē uincimur. Non  
possum non ingenuē fateri, quod uero uerius est. Sed  
præstat hęc parte ultrò herbam dare, quam turpiter  
depugnare. Neq; enim solum perpendendū nobis est,  
quid dignum sit ijs, in quos scribimus, uerum etiam  
quid nobis dignū sit, qui scribimus. Pulchrius est ali-  
quando modestia quàm causa superiorē esse: & sunt  
quæ nobis potius agenda sunt. Malim ego totum men-  
sem in Paulum, aut in Euangelium explanandum in-  
sumere, quàm diem hu iusmodi rixis conterere. Bene  
uale mortalium charissime. Louanij IX. Calendæ  
Maidis. Anno M. D. XIX.

M. IOANNES BORSALVS DE  
canus Veriensis Erasmo Rot. S. D.

**C**Vpidissimus sum iam pridē cognoscendi, idq;  
ex tuis ipsius literis, humanissime doctissimeq;  
præce

præceptor, quam sis ualetudine, & quid quotidie  
in lucem emittas, quod publicè ad bonos & Christo  
dignos mores conferat, & sacræ scripturæ studiosis  
sit usui futurum. Post absolutū enim iam secundo no-  
uum instrumentum, uideo ædidisse te in omnes Pauli  
epistolas argumenta, uideo in Pauli ad Corinth. duas  
epistolas explanatissimā Paraphrasim: lego item sum-  
ma cum uoluptate, nec minori, ut spero utilitati adau-  
ctam studij theologicæ rationem ac Methodū. Sed hæc  
tametsi alijs maxima, ut sunt, nō immeritò uidentur,  
tamen intra paucos dies scio abs te absoluta esse. Et  
noui infatigabilem tuam in studijs diligentiam: scio  
ociosum esse, & cessare à studijs literarū non posse,  
quamobrē nihil dubito, quin plura multo uel cōscrip-  
seris iam, uel in manibus habeas, quæ publica studia,  
præsertim sacræ, adiuuare ac prouehere possunt. Ve-  
rum est quod te cōmonestandum duxi, ut ubi paulu-  
lum continget à grauioris operæ studijs ocij, aliquot  
dies impendas ad conscribendam Euangelicis præco-  
nibus concionandi rationem. Instituisti enim iam olim  
Christianum militem, instituisti Christianum item  
principem, instituisti præterea & discere & docere  
cupientes, conscriptis hoc argumento ac titulo libris  
elegantissimis: superest ut Euangelicum conciona-

torem recte instituas, quod quidem multo pluribus sit profuturum, tum ijs, qui tua institutione edocli, rectius & maiori fruge sint deinceps concionaturi: tum ijs, qui ea ratione multo maiori efficacia & fructu sint concionantes audituri: ea res mihi & publico omnium, & meo quoq; nomine priuatim erit gratissima. Asscriptus sum enim non ita pridem in pastorum gregis dominici numeru, ut scis: & quo obsecro pabulo uel salubriori uel meliori pascere possim commissum mihi domini mei gregem, quam euangelico & apostolico? siquidem tua institutione formatus, id scite prudenterq; ministrare nouerim. Impetret hanc rem abs te obsecro, primu maxima ac latissime patens utilitas: deinde tua in Christi religionem propensissima charitas, ut cui iuuande tantum studij ac laboris impenderis non sine grauissimo sumptu, & ualetudinis certissima iactura, contemptis etiam tot inuidorum obtreclationibus, & apertissimis conuicijs, ei hoc tantillum operae ne deneges. Postremo eblandiatur istud mea in te perpetua, postquam te primum nosse, simulq; colere & pi, obseruantia. Quod si haec te minus percellere possint, cogita quod id te facturum mihi superiori hyeme, cum tuo semper lateri uel cum importunitate hererem, sis pollicitus. De ualetudine

dine

dine mea cognosces copiose ex eo, qui has tibi reddidit, qui Basileae te astate proxima conuenit. Atq; ut nonihil ex me quoq; cognoscas, nactus sum conditionem hanc ampliorem aliquanto, & in specie splendorum, sed minus quam uelim, praesertim studioru caussa, liberam, nempe aulicam. Scis patronam meam, Annam, Borisalem, ante menses tres uita defuncta, ei successisse filium Adolphum, tantopere olim a te praedicatum, & cum propemodu, aut meliorem etiam praedicant, qui penitus habent perspectum. Ego minime sum ambitiosus, itaq; necdum satis insinuauit me in penitentiorem cum illo noticiam ac familiaritatem, nec fuit idonea satis occasio. Bene uale.

M. Ioannem Neuium communem hospitem, uirum singulari humanitate ac doctrina praeditum, M. Iodocum Gauricum, & Iacobu medicu, ceterosq; conuictores salutandos cura, quaeso, meis uerbis. Ex opido Veriensi. V. Calendas. Apriles. M. D. XIX. Verum quod sermè scribere etiam oblitus, ueniens nuper à Parisijs quispiam ait audisse se ex ore Cancellarij Franciae, uocatum te à Gallorum rege amplissimis conditionibus, & eò profecturum, id quod mihi persuadere nequeo futurum, alij praedicant à Ferdinando regis Catholici fratre annuu stipendium

pendi satis honestū, id quod malim. Optime uale proceptor, omnibus bonarum literarum & Christiane religionis amatoribus unice obseruande.

ERASMVVS IOANNI

Borsalo suo S. D.

.i. Incantationem.

**I**stud uero nō est epistolam mittere, sed etiam in tot nominibus oras, obsecras, obtestaris, actionem etiam minitas ex pacto, si recusem de ratione concionandi cōscribere, perinde quasi ferreus sim, aut adamantinus. Quis est ager usq; adeo ferax, ut immodico cultu non exhauriatur? Ego hunc malignum ac sterilem agellū tot iam annis assidua semēte uexo, nec ulla lectionis stercoracione sarcio, nisi tumultuarie. Post morbos tam graues erat aliquid dandū cōfirmāde ualitudini. Hic adeo nobis nō indulsimus, ut nec egrotare uacauerit: tum hæc quadragesima me penē confecerat, ni mutandi coeli, uictusq; gratia Antuerpiā me contulisset. Quin & dum aulicus esse cogor Mechliniæ, meisq; patronis episcopo Leodiensi, Traiectensibus, cæterisq; proceribus, & in his tuo Adolpho obseruio, mihi dies aliquot perierunt. Postremò tot undiq; missis epistolis obtundor, ut dum his rescribo, maxima pars temporis pereat à studijs. Absoluta Paraphrasi in duas epistolas ad Corinth. institueram in epi-

in epistolam ad Galatas, sed hoc agentem Tragedie quaedam interpellauit, quas hic nouas & hætenus inauditas, nescio quæ Erinnys excitauit. Apologia, qua Latomi dialogo respondeo, uix mihi tridui tempus absumpsit: neq; enim libuit in eiusmodi tricis multum operæ collocare. Quod si illi uacat eiusmodi liberos complures ædere, non deerunt qui respondeant.

Ego Veianius cedo harena. Video Excetrā hanc recedere are pugnando uinci non posse. Itaq; pugnis ualere iussis, na est defini Christiane lenitatis portum me recipio, aduersus stercora ceterorum obtreclationes consolans memetipsum, cum tamine, & bonorum uirorum de me iudicio, tum animo sibi bene uictoriā ulcōscio: certe quod ad hanc rem pertinet. Pecuniæ studium nunquam habuit animum meum: fuma sarcinā relubens, si queā posuerim. Vita nec tædet, nec sum auarus, quandoq; me hinc euocabit imperator Christianus, ipso fretus uolens promptusq; decedam presidio corporis. Tantum molesta est quorundā insignis ingratitude, tantumq; sycophantiarū uirus, ut ni planè comperissem ipsa re, nunquam crediturus fuerim tantum esse mali, non dicam inter eruditos, sed ne inter homines quidem: tametsi uiixerim cum tot nationum hominumq; generibus. Literas tuas suspicor Romanium perlatas esse, atque illinc Antuerpiam re-

missas: nam ibi tum agebam: ita factum est, ut non uiderim qui eas pertulerat. Consiliū est mensē hunc uernum sarcindis corporis animiq; uiriculis insumere, si modo licebit. Mox fauente Christo, Paraphrasim aggrediar, & argumentū quod tu tantopere es flagitas: quod ipsum tamen alijs scribetur, non Borfalo. Noui pectus istud tuum, noui ingenium, noui studium. Domi fontem habes, ut nō necesse sit ex aliena cisterna aquā petere. Non deerunt qui celebrent Pontificum autoritatē, quam fateor esse debere sacrosanctam: non deerunt qui Scoti Thomāq; decreta predicēt, quæ nec ego sanē prorsus improbo. Tu purum illum & syncerum Christum mentibus tuorū instillas, quando id, à paucis fieri uidemus. Gaudeo tibi fortunam obtigisse cum dignitate coniunctam, tum autem materiam ac segetem oblatam benemerendi de grege Christiano. Felix quidem ociū studiorum, sed huc descendat oportet sapiens ille Platonius, non uni sibi natus. Optimus princeps Adolphus uidetur adhuc uerem illum in nos animum obtinere, quem puer habuit. In huius propiorem noticiam cōmodissime temet insinuabis per Petrum Zutpenium Casiletanū, quo uiro nihil adhuc uidi candidius aut amicius. Quod Franciscus Galliarum rex me tentarit satis amplis condia

conditionibus in Galliam euocare, rumor non omnino uanus est. Tentatum est & retentatum quorundam literis: uerum nihil adhuc audio certum uigilans, neque tam rudis sum rerum humanarū, ut meris promissis pellici queam, Vt Ferdinando preceptor essem, actum est sedulo, cum per alios permultos, tum per principē Bergensem, & is est princeps, ut meliorem magisque docilem, nec optare possim. Sed deterrent me quædam quæ tuto literis committi non possunt. Bene uale. Louanij die pasche. Anno M. D. XIX.

ERASMVVS ROT. ERVDITISSIMO M. Petro Viterio suo S. D.

**B**ene cecidit optime Viteri, q; mea, qualis qualis fuit expostulatio, tam amicā tamq; copiosam epistolā abs te extudit. Veterem illum tuū in nos animum, nō sine uoluptate agnosco. Incolūmē esse te labor. Tot molestis occupationibus distrahi te, dolerē, ni tales essent, ut huiusmodi uel immoriciupiat animus uerē Christianus. Gratulor autem uirtuti tuæ, quæ tot laboribus sufficiat: quod corpusculi uiribus deest, pectoris ardore suppeditante. Proximam literas tuas scito, mihi non esse redditas. Si curaris ut sciam, qua de re commendari uelis Ste-

phano Poncherio episcopo Parisiensi, promptissime quod uoles faciam. Eximium uirum Balneum decauum Turonensem, meis uerbis resalutabis diligenter. Vir malus sum, ni amem hominem, literis ac uirtuti cum primis fauentem: ingratus etiam, ni redanem, ultrò prouocantem ad amicitiam. Bene uale Viteri suauissime. Anno M. D. XVII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

clarissimo Ludouico Rusco, Luteciae sup  
praefecto, & Christianissimi regis  
apud Eburones oratori S. D.

**Q**UO magis praeter spem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuae literae, mihi nõ semel uotis ardentissimis exoptatae, praesertim cum nulla Budaei epistola ad me uenerit, quae Rusci non meminisset. Est ille quidem & uir optimae fidei, & artifex pingendi cum primis elegans, sed tamen nescio quid expressius, magisque uiuum tua nobis expressit epistola. Vtrisque gratiam habeo summam Paschasio, qui suo impulsu pudorem tuum uicerit: tibi, qui tuum animum passus sis expugnari. Caue uerò per Musas, ne me scheda fraudes, quam Parisijs, quemadmodum scribis, mihi destinaras. Si tamen expolitas literas scribis ex tempore, si in peregrinatione facile sit diuinare, quale sit

fit quod domi per ocium adornasti. Iam meum esse coepit, quod animo mihi dedicasti. Proinde non desinam esflagitare, donec extorsero, si fors tu graueris exhibere. Quod ad Galliam humanissime nos inuitas: quanquam ea semper animo meo fuit dulcissima, tamen magis isthuc me pelliceret Deloini, Rusci, Budaicque contubernium, quam regis alioqui benignissimi conditiones. Cum eiusmodi monstris mihi res est, ut plene lupum auribus teneam, si quisquam alius. Gratulor Galliae, gratulor optimis studijs, quibus apud uos non modo locus est, uerum etiam dignitas, nimirum eo fauente, quod uos non minus optas. Florēt & apud Anglos principum fauore. Expergitur undique Germania: soli nos adhuc reluctamur: ad quos profligata barbaries, uelut ad extremum praesidium confugisse uidetur. In causa est, partim quod haec aula nondum didicit honorem habere bonis literis: partim hominum paucorum ambitio, qui sibi persuadent, meliora studia splendore, quem haecenus apud uulgus obtinuerunt, officere. Mihi hic nec feritur, nec metitur: ut qui nec fortunam ambiam, mea, qualis qualis est, sorte contentus: nec famam aucuper, cuius iam ad nauseam usque sum satur: attamen uel gratis ex animo bene

Sed hic uer-  
tus neq; ma-  
nere, nequ-  
nauigare  
permittit.  
Cuius pot-  
tia est ma-  
xima.

uolo rectis studijs, & horum cultoribus. Quamquam,  
 quod paucorum malicia committitur, non arbitror  
 esse par uniuersitati imputare. Sed quod audio claris-  
 sime Rusee? egon' lucis aliquid addam uestre Gal-  
 liae? quae tot gemmis, tot stellis illustratur? Quae praeter  
 uos triumuiros, Fabrum habet, Copum habet, Paulum  
 Aemilium habet, Germanum Brixium habet, lo-  
 annem Pinum habet, Nicolaum Beraldum habet. Sed  
 ego ineptus, qui iam plane incipiam arenas numerare.  
 Inter tot egregia lumina, quid ego aliud quam ob-  
 scurari poteram? & tamen iuuerit etiam sic obscura  
 ris, modo frui liceret ijs, qui mihi caliginem offundere  
 uidentur. Gallum esse me, nec asseuero, nec inficior:  
 sic natus ut Gallus ne an Germanus sim, anceps habe-  
 ri possit: quamquam apud studiorum cultores minimum  
 habere momenti, par est, regionum discrimina. Quis-  
 quis communibus Musarum sacris initiatus est, hunc  
 conterra ego  $\delta\mu\omega\pi\alpha\tau\epsilon\tau\sigma\iota\delta\alpha$  duco. Ex amicorum literis au-  
 dium. Budaeum nonnihil succensere nobis ob epistolam  
 quandam meam, ut ipsi uidetur, aliquanto quam par-  
 est, liberiozem. Ego uero illum & uirum iudico pri-  
 uentiozem quam qui grauius commoueatur, si quid  
 etiam intempestiuus, aut licentius scribat. amicus:  
 & firmiore amicum arbitror, quam ut ob huiusmodi  
 leues

leues offensas amicus esse desinat. Nam mea senten-  
 tia, quisquis ob quaslibet causas amicus esse desijt, is  
 nunquam amicus fuit. Equidem non satis uideo, quid  
 habeat illa mea epistola, tam procax aut petulans, ut  
 animum concitare debuerit, primum eruditi, deinde  
 prudentis, postremo amici: & anici, qui sibi modera-  
 tionis ac lenitatis laudem uindictet, mihi crimen ira-  
 cundiae impingens. Sed de epistola uestri arbitrium  
 esto: certe quod ad animum meum attingit, uix apud  
 Gallos esse puto, qui de Budaeo aut sentiant magnifi-  
 centius, aut predicet honorificentius, quam Erasmus.  
 Huius rei testes erunt, Henricus Glareanus, Guliel-  
 mus Neseus, Beatus Rhenanus, apud quos effutire  
 soleo, quicquid esset in animo. Bene uale clarissime  
 Rusee. Mechliniae raptim. XVIII. Calendas  
 Aprilis, Anno M. D. XIX.

ALBERTO CARDINALI ET AR-  
 chiepisc. Moguntinensi Erasmus Rot. S. D.

**R**euereudissime domine, princepsque clarissime,  
 non dubito quin libellus, quem celsitudini tuae  
 dicauimus, redditus sit eidem. Qui an tuo satis faciat  
 animo, nescio: meo certe non satis facit: uerum id tem-  
 poris nihil aliud erat ad manum. Circumspicietur  
 aliud, quod & tuae magnitudini, & meo in te studio  
 magis

magis respondeat. Ricardus Pacæus, qui regis sui nomine legatus ad uos uenit, præter alias innumeras doctes, uir est insigni utriusq; literaturæ peritiâ præditus, apud regiam maiestatem multis nominibus gratiosissimus, fide sincerissima, moribus plusquàm nizeis, totus ad gratiam & amicitiam natus: quem si dignaberis propius nosse, scio, gaudebis te à nobis admonitum fuisse. Apud Anglos triumphant bonæ literæ. Rex ipse cum sua regina, Cardinales ambo, Episcopi firmè omnes toto pectore tuentur, fouent, alunt, ornantq;. Rabulis omnibus per regem impositum est silentium: spero idem fore apud Germanos si tuæ amplissimæ dignitatis, tuiq; similibus fauor aspirarit: quod ut faciat, etiam atq; etiam rogo. Nihil enim non moliantur scyphantæ quidam, præsertim hic, ubi barbaries terris excessura uidetur extrema posuisse uestigia. Quæquam & hi mitescunt, incipiuntq; suam stulticiam agnoscere. Hutteni ingenium indies magis ac magis exosculantur omnes: cui tua celsitudo tam candidè fauens, multum laudis, imò gratiæ sibi parit apud eruditos omnes: quam incoluæ mem diu seruet immortalis CHRISTVS IESVS S. S. Antuerpiæ. XIII. Calendas Iunias. Anno M. D. XIX.

Antonio

ANTONIO DE BERGIS ERAS-  
mus Roterodamus S. D.

**O**Rnatissime iuuenis, antehac uno nomine duntaxat amabam te, quod honestis studijs ac moribus delectareris præter uulgatum morem nobilitatis nunc hoc quoq; debeo nomine, quod expertus sum mirum patris tui in me studium. Eius totam spem in tua indole sitam esse, ex illius sermone perspectum habeo: nec dubito quin optimi patris expectationi sis per omnia responsurus. Bonæ literæ passim efflorescunt, frustra reluctantur ueteres inscitie patroni. Apud Anglos triumphant recta studia, regis, cardinalium, & episcoporum auxilio. Rabulis, qui tantum ad maledicendum linguam habent, impositum est silentium. Hic, quoniam tales patronos non habemus, sæuiunt adhuc, & libris quoque grassantur, sed quibus nihil aliud quàm suam traducunt stulticiam, ac mentis stoliditatem. Mitescunt tamen & hi paulatim, uelut ex grauisima febre resipiscentes: obmutescunt etiam, si principum aspirarit fauor. In FERDINANDO magna spes est: in te quoque non mediocris. CAROLVS abest, Ciuius non mirum si à literis est alienior, quanquàm non aduersatur. Cardinalis Adrianus bonis literis nunquàm admodum fauit, etiam si

aon

non est adeò deuotus hostis, quàm sunt quidam, qui se non putant incolumes fore, nisi oppressis bonis literis. Hunc Ricardum Pacæum, serenissimi regis Anglorum oratorẽ, eiq; gratiosissimum, si propius contempleris, gaudebis hominis consuetudine. Est enim præter mores cãdidissimos, utriusq; literaturæ peritissimus. Bene uale. M. Adriano Barlãdo multã ex me salutẽ dico. Antuerpiæ. 13. Cal. Iunias, An. 1519.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Iacobo Banisio suo S. D.

Gratulato-  
ria.

**V**ir omni decorũ genere cumulatisime, audio, te noua, eaq; eximia dignitate auctum, quo nomine tibi magnopere gratulor: neq; dubito quin fortuna sit aliquando benignius etiam tuis præclaris uirtutibus responsura. Nos hic plusquàm Panicis tumultibus iactati sumus, adeo theologi quidam nouas excitarunt Tragedias: neq; quicquam tamen aperto Marte gestũ est: omnia technis, cuniculis, ac strophis acta sunt. Male habebat istos, negocium linguarum procedere: metuebant, ne si subsisteret Nouum testamentum, labasceret eorum autoritas: nihil itaq; non tentatum, sed respiscunt. Prodiit Nouum testamentum, uenditur, & quidem felicissime. Ausus est quidam & libellũ aduersus me scribere, sed magno suo malo,

malo, mea summa cum uoluptate. Triumpharent bona literæ, si principẽ haberemus domi, qualem habet Anglia. Rex ipse nõ indoctus, tum ingenio acerrimo, palam tuetur bonas literas, rabulis omnibus silentiũ indixit. Cardinalis Eboracensis omnia studia in melius restituit, suaq; benignitate passim oēs inuitat ad amorem studiorũ: nec aliud agit Cardinalis Campegius, uir omnium & optimus, & doctissimus. Aula regis plus habet hominum eruditione præstantium, quàm ulla academia. Video Germanos quoq; principes honorem habere literis, tuo, tuiq; similium hortatu: nos nondum hoc discere possumus. Sereniss. princeps Ferdinandus, adolescens, ita me deus amet, ad omnem uirtutem natus, nos amat, nostrisq; libellis delectatur: ut & ab alijs; accepi, & ipse mihi narrauit, libellum de Principe semper habet in manibus. Huic me præceptorem dare conati sunt, & ipse uidetur id ambire: sed cum alia me deterrent ab aula, tum præcipuè ualetudo tam imbecillis, ut nisi temperetur meo arbitratu, mox periclitetur. Mortuus nec principi sim usui futurus, nunc utcuq; profum calamo. Exijt Paraphrasis in duas epistolas ad Corinthios, & in epistolam ad Galatas. Hac certe parte probor, & doctis & indoctis omnibus. Si inciderit commoditas, commendabis



Id est, osori temerè credas Erasmiomastigibus. Nunc fàto quobus Erasdam suo sauiunt, at breui illos sui morbi pudebit ubi mi. respuerint, quemadmodū euenit Aiaci. Bene uale pater amplissime, & in Erasmiū eum te præbere perge, qui semper fuisti. Antuerpiæ, 8. Cal. Iunias. an. 1519.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Ioanni Rusero Nouientano S. D.

**Q**uod Matthiam Schureriū mihi tam studiose commendas, prorsus iuxta prouerbium, actū agis. Est enim is homo mihi tum ob eximias ingenij dotes, tum ob officia in me nō uulgaria, sic cōmendatus, ut cōmendatior esse non possit. Nihil est, quod in illius gratiam facturus non sim. Sed neq; mihi semper suppetis, quod illius officina suppedite, neq; quod uis argumentū illi cōuenit. Postremò cum Typogra-

phi fermè sint inter sese xepæuēis, uix fieri potest, ut sic obsequar uni, quin alterum offendam: Id quod usu uenit in rursus excudenda Copia. Nam annos aliquid quot mihi succensuerat Badius, priusquam offensio dictum. Finis causam possē olfacere. Quāquam illius indignatio, ut est uir optimus, citra omnē amarulentiam, aut etiam simultatē confritit. Aufer uerò mihi ista uerba, ne eum ex albo tuorum expungas amicorū. Tum ego non inhumanissimus modo sim, uerumetiam in-

gratissimus,

gratissimus, si patiar Schureriū expungi amicorū catalogo. Simulatq; dabitur opportunitas, declarabo, si nihil aliud, certe propensum in illum animum. Demiror, cur tam diu prorogetur Rodolphi Agricola lucubrationum æditio. Quis est, quæso, genius iste malus, qui gloriam hanc nostræ inuidet Germaniæ? Verū ut hactenus ociosa fuit epistola tua, quod ex tua cōmendatione nihil accesserit meæ in Schureriū beneuolentiæ, ita per eam ipse mihi factus es multo cōmendatior. Nam egregias animi tui dotes, quas pridem, è suauissimo colloquio tuo, è uultu, ex ipsis oculis ut unq; conieceram: sic expressit, ut longè quàm ante magis cœperim amare indolem istam tuam lepèdissima festiuitate, ac rara modestia pellicibile: eruditionē haud sanè uulgare, cum utriusq; literaturæ peritia coniunctam, sed ita ut hanc nullum, quod ferè solent, supercilium comitetur. Quare mihi posthac Ruse-

Id est, liber iter describēs. Hac dictione usus est D. Hieronymus in uita beati Pauli.

Ruse-  
rius nō inter famulos, quod tuæ modestiæ satis erat,  
sed inter præcipuos amicos numerabitur. Bene uale,  
Basileæ, Anno M. D. XVII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Eobano Hesso S. D.

**A**deo placuit tuum ὀλοιστοργεδοῦ, ut emendatis quæ cōmiserat Typographi, cur arim hic

rursus formulis excudendum. Iona Schalbiq; conspectus mihi fuit multò gratissimus. Sed interim dum hos huc mittis, parum cōsulis meæ famæ, cuius nunquam nō facio iacturam ex huiusmodi congressibus. At minitaris te plures etiam horum similes huc missurum. Quoniam hi contigerunt, per quos maxime licuit scribere, ideo scribo parcius. Per alios non satis tuto scribitur, per hos frustra, qui melius omnia coram referent quàm ego literis possim. Nollem epistolas meas æditas, quas adiunxisti tuo carmini, breui æditurus eram, sed locupletatas. Carmen ad comitem de Nassau percipio uidere. Fauet ille bonis literis, & harum gratia mihi quoque. Sed nostri principes laudare norunt, numerare non norunt. Quod tamen mea causa non dico, qui nihil ambio sorte mea contentus. Bene uale amicorum sincerissime. Iam nunc circumspecte ac delige tibi argumentum aliud quod fecundum, in quo declares posteritati quantus sis. In hoc conferes paulatim, quicquid egrægiū cotidiana lectio tibi suppeditabit. Sed hæc planè memorem admonéo. Rursum uale,

le, Louanij. Tertio Calendas Iunias,

Anno M. D. XIX,

Henrico

HENRICO GVLDEFORDO EQ;

aurato præfetto rei equestris regis

Angliæ Erasmius S. D.

**V**ir clarissime, multorum sermone cognosco, quod amico sis nos in animo, siue scintillas istius beneuolentiæ ex meis lucubrationibus concepisti, siue ex Ioannis Coleti, ceterorumque amicorum hausisti sermone. Tu me diligis, quod uerè talem esse credas, qualè illi prædicarunt. Ego te uicissim amo, quod toto pectore uirtuti, quod honestis studijs faueas, quando horum gratia mihi quoque faues, non quod his præditus sim, sed quod tibi persuasum sit, his præditus esse me. Certe recta studia præsertim ea quæ ad ueram faciunt pietatem, prouehere semper conatus sum, sed uinam perinde feliciter, ac sedulo. Mundus respicit uelut ex altissimo somno expergiscens: & tamen per tinacibus animi adhuc repugnant quidem, ueterè inscitiam suam manibus pedibusque, ac mordicus etià retinentes. Sed hos pudebit amentie suæ, si uiderint summos reges, ac regum proceres amplecti, foueri, tueri meliores literas. O miras rerum humanarum uicissitudines, olim literarum ardor penes religionis professores erat: nunc illis magna ex parte, uentri, luxui, pecuniæque uacantibus, amor eruditionis ad principes pro-

phanos, ac proceres aulicos demigrat. Nā quæ scho-  
la, quod monasteriū usquā tam multos habet, insigni  
probitate, doctrinaq; præditos, q̄ uestra habet aula?  
An non optimo iure nos nostri pudeat? Sacerdotum  
ac theologorum conuiuia madent uinolentia, scurrili-  
bus opplentur iocis, tumultu parum sobrio perstre-  
punt, uirulentis obrectationibus scatent, & ad prin-  
cipum mensas modeste disputatur, de ijs quæ ad eru-  
ditionem, ac pietatem faciunt. Nimirum ad optimi re-  
gis exemplum properat omnes, cuius ut cæteras illas  
dotes omitam, quas sic habet cum alijs regibus com-  
munes, ut plerisq; præcurrat, nulla sit inferior: quid  
illo ad disputandum argutius? ad inueniendū felicius?  
ad iudicandum sanius, ad eloquendū uenustus? Olim  
ocij literarumq; dulcedine captus, ab aulis regum ab-  
horrebam: at in talem aulam, uel cum tota supellecti-  
le, quæ ferè chartacea est, liberet immigrare, ni uale-  
tudinis imbecillitas, & ætas iam ingræuescens dissua-  
deret. Vbi nunc sunt qui iactitant, principum uigori  
officere literarum cognitionem? Quis HENR I-  
CO octauo, uel in bellicis rebus dexterior, uel in  
condendis legibus cordator, uel in cōsilijs oculator,  
uel in coercenda scelerum licentia uigilantior, uel in  
deligendis magistratibus, atq; officijs diligentior, uel  
in con-

in conciliandis foedere regibus efficacior? Equidē au-  
reum quoddam seculum exoriri uideo, quo mihi for-  
tassis non continget frui, quippe qui iam ad fabulæ  
inæcatastrophæ accedam: gratulor tamē orbi, gra-  
tutor iuuenibus, in quorū animis ob officiorū memo-  
riam utcunq; superstes erit Erasmus. Sed ut finiam  
ornatissime Henrice, redamo te amantem, proq; offi-  
cij in me tuis, nō uulgaribus, hoc maiorē habeo gra-  
tiam q̄ ea præstiteris, nullo unq; à me læcessit offi-  
cio. Generosæ dominæ matris tuæ, mihi uno atq; alte-  
ro colloquio cognita, precor oīa leta prosperaq;. Istū  
animū tibi: te nobis seruet Opt. Max. IESVS. Hunc  
Erasmi p̄gat tua nobilitas inter suos cliētulos pone-  
re, studio certe nulli cessurū. Antwerp. Id. Maij 1519

ERASMVVS ROTERODAMVS

Gonello suo S. D.

**N**ihil est mi Gonelle, quod te inuius aut alterius  
interitus magnoperè territet, nisi passim ua-  
gari malum cœperit, præsertim quum nunc in An-  
glia mutare locum nihil aliud sit, quàm mutare peri-  
culum non effugere. Fuge turbæ colluuiem, quantum  
potes: moderatè uiue, sicuti facis, tuos item à turbæ  
commercio cohibe. Iam instat hyems, quæ solet huius-  
modi mederi malis. Intelligo te nimium grauitè di-

scruciari, ac propemodum despondisse animū, quod tibi crumena cum paucis nummis perierit. Primum quid Musarum alumno cum pecunijs? deinde quid in ueni? deniq; quid est, quod tantule pecuniolæ iactura Gonelli tangat animum? Ego quum ante quindecim annos redire in Galliam pararem, uiginti libras in litore Douariensi perdidit, & nondū ingressus nauim, naufragium feci. Vniuersas opes semel perdideram, & adeo non consternatus sum animo, ut alacrior etiam & ardentior ad libros redirem, moxq; intra paucissimos dies Prouerbiorū opus ædidi. Oblecta te Musis mi Gonelle: pecuniam istam aliqua tibi reddet fortuna, uel cum scenore. Interim sic existimato, Erasmi pecuniolas, quantulæcunq; sint, tibi communes esse. Nostri desiderium non tibi molestius est quàm tui mihi: sed non semper seruiet fortuna. Ioannis mei discessus initio male me habebat, nunc occalluit animus, ut malim non redire. Quorsum enim attinet beneficium in eos conferre, qui non intelligunt? Nihil æque perit atq; id, quod cōfertur ingratis: at longè magis perit, quod præstatur non intelligentibus. Ingratus distinet lat, non intelligens ne sentit quidem. Si quid nouabis, queso facias me certiozem. Quum dabitur colloqui, communicabo tibi, quod spero non ingratum fore,

nec

nec inuile studijs tuis Bene uale. Salutem ex me dicet humanissime matris familiās, ac cæteris omnibus, Demiron Lupsetum nihil scribere: audire gestio, quid agat, quid ualeat. Rursum uale. Londini. Anno M. D. XV.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

THOMAE GREIO SVO.

Scripsit Iunenis.

**S**alue candidissime Thoma. Quod pristinam scribendi consuetudinem dies iam aliquot intermisi, nihil est quod metuas. Vt uere res est, solliciti plena timoris, amor. In amore nihil refrixi: Quid igitur inquires? Scribere dedidici. Quid accidit, quid factum est, ut Erasmus calamū amiserit? Rem oppidò quàm prodigiosam audies, sed ueram. Ego ille uetus theologus, nuper Scotista esse cœpi: quam rem, ut super bene uertant, tu quoq; debes apprecari, si mihi faues. Conterranei tui somnijs (nam Scotū, ut olim fuit Homerus, à diuersis regionibus certatim adoptatum, Angli potissimum sibi uindicant) adeo sumus immergi, ut uix ad Stentoris uocem uideamur experreturi. Itæne, inquires, dormiens ista scribis? οὐ γὰρ βέλτε, tu somnum theologicum haud quaquā sapis. Multi dormientes non modo scribunt, uerū & scor-

q 5 tantur

Sycophātas tantur, & inebriantur, & συκοφαντοῦσι. Multa  
 agunt. fieri re ipsa comperio, quæ inexpertis nulla ratione  
 persuaderi queant. Ego olim Epimenidis somnum,  
 plusquam fabulam esse putavi: nunc nihil miror, quip  
 pe simile expertus. Hic tu, sat scio, dicturus es: Quas  
 (malum) mihi fabulas narras? Quanquā prophanus  
 es, & à sacris theologiæ adytis procul arcendus, ta=  
 men uide, quantum te amem, cui rem tam arcanā aperi  
 am. Olim Epimenides quispiā fuit, is qui scripsit Cre  
 tenses omnes mendaces, ipse Cretensis, neq; quicquam  
 tamē interim menties. Nec satis erat ad multā usq; se  
 nectutē uixisse, quin et extincti pellis post multū tem  
 pus reperta est, literarū formulis notata. Eam quidā  
 affirmant & hodiernis tēporibus adseruari Lutetiæ  
 in sacrosancto theologiæ Scotisticæ templo Sorbona,  
 nec in minori haberi precio, q̄ olim fuerit apud Cre  
 tenses dipthera, aut apud Romanos libri Sibyllini. Si  
 quidē ab hac oracula petere dicuntur, sicubi destitu=  
 untur syllogismis: nec fas obtueri, nisi qui quindecim  
 annos totos M. N. titulum gesserit: si quis alius ausit  
 oculos prophanos intendere, cōtinuo fit talpa cæcior.  
 Quod narro, non esse neniā, uel antiquissimū Græc  
 orum prouerbiū arguit, τοῦ ἐπιμηνίδου δὲ πρῶτος,  
 quo rem abstrusam, neq; uulgò profrendā significā

bant

bant. Quin & libros ædidi theologicos: nam theolo  
 giæ professione potissimū fuit insignis, etiāsi uates idē  
 habitus est, & poëta. In his eiusmodi syllogismorū no  
 dos nexuit, ut nec ipse unquā quīuerit dissoluere: ea  
 mysteria congeffit, quæ nunquā ipse fuerit intellectu=  
 rus, nisi uates fuisset. Is fertur aliquando prodeambu  
 landi gratia urbē egressus, quod domi nihil nō displi  
 ceret. Tandem specum quendā longissimo recessu su  
 biijt, siue frigus captans, iam æstu laborans: siue quietē  
 quærēs, labore fatigatus: siue quod quia uia aberras=  
 set (nam aberrant & Theologi) metueret ne nox in  
 agris deprehēsum feris obijceret: siue quod uero pro  
 ximum est locum captans ad cogitandum idoneum.  
 Illic unguis arrodētī, multaq; cōminiscenti de instan  
 tibus, de quidditatibus, de formalitatibus somnus ob=  
 repisit. Non crediturus es scio, si dixero non fuisse  
 experrectum ante uesteram postridianā, quum diu  
 tius dormiant etiam temulenti. Imò somnus ille theo  
 logicus productus est, ut cōstanter ferunt autores, ad  
 annum usq; quadragesimumseptimum: & hoc negāt  
 uacare mysterio, quod nec citius, nec serius dormire  
 desierit. O hominem mortuum inquires. Imò mihi  
 præclare uidetur actum cum Epimenide, qui uel  
 sero ad sese redierit. At plerique nostri temporis

Theologi

Id est, Epi  
 menidiū co  
 rium. Tra  
 ctū ad Epi  
 menide Cre  
 tensi, qui le  
 gitur ppe=  
 tuo somno  
 dormisse  
 47 annos,  
 neq; pau  
 cos postea  
 superuixit  
 se. Vnde cō  
 sentaneū est  
 huius reliq  
 as, ut mira  
 culi moni=  
 mentū ser=  
 uatas fuisset.

Theologi nunquam expergiscuntur, & quum mandragoræ indormiant, maxime uigilare sibi uidentur. Sed ad Epimenidem expergiscentē reuertamur. Expergiscens igitur, ubi somno coniuuente oculos confricasset: nondum sibi satis fidens, uigilaret ne, aut somniaret, speluncam egressus est: ibi quum cerne-  
ret totam circumiacentis regionis faciem immutatam, uidelicet tanto spatio annorum, fluminum al-  
ueis aliò translatis, syluis alibi recisis, alibi enatis, campis in colles tumefactis, collibus in plana demis-  
sis, quum & ipsum specus aditum muscus obsidēs, ac  
uepreta mutassent, coepit homo de seipso quoq; dubi-  
tare. Adit urbē, & hic noua omnia: non agnoscit mœ-  
nia, non uias, non monetam, non homines ipsos: alius  
cultus, alij ritus, alius sermo. Tanta est rerum huma-  
narum uolubilitas. Vt quisque erat obuius, compellat: heus tu, non tibi uideor Epimenides? Ille se ri-

**Ad coruos** deri putans, ἐς κόρακας, inquit, hospitem quære. Ita ridiculus mensis aliquot obambulabat, donec in com-  
potores aliquot incidere iam admodum senes, ab his  
utcunque est agnitus. Sed age mi Thoma, quid tu Epi-  
menidem tot annos somniasse reris? quid aliud quam  
has subtilissimas subtilitates, quibus nunc se iactitant  
Scotidæ? nam Epimenidem in Scoto renatum, uel  
deierare

deierare non dubitem. Quid si uideres Erasimum in-  
ter sacros illos Scotistas *νεχλωστὰς* sedentem, è subli Id est, hian  
mi folio prælegente Cryllardo? Si cerneres frontem tē & aper  
contractam, oculos stupentes, uultum sollicitum? al- te ore.

terum esse diceres. Negant huius disciplinae mysteria  
percipi posse ab eo, cui quicquam omnino cōmercij  
sit cum Musis, aut cum Gratijs. Dediscendum est, si  
quid bonarum literarum attigeris: reuomendum, si  
quid hauseris ex Helicone. Aditor pro uirili, ne qd  
Latine dicam, ne quid uenuste, aut false: & uidetur  
res procedere: spes est fore, ut ERASMO  
agnoscant aliquando. Quorsum autem hæc, inquires?  
Ne quid posthac expectes ab ERASMO, quod  
pristina studia, morēsue sapiat, memor inter quos  
uerfer, inter quos quotidie sedea: tu tibi aliū cōgerro-  
nem quære. Verū ne quid erres mellitissime Grei, no-  
lim hæc interpreteris in ipsam dicta theologią, quā; In Theolo  
ut scis, unice semper colui: sed in nostræ tempesta- gastros.

tis theologastros quosdam iocari libuit, quorum ce-  
rebellis nihil putidius, lingua nihil barbarius, in-  
genio nihil stupidius, doctrina nihil spinosius, mo-  
ribus nihil asperius, uita nihil fucatus, oratione nihil  
uirulētius, pectore nihil nigrius. Bene uale. Lutetiæ.  
Anno M. CCCC. XCIX.

MARTINVS DORPIVS ERASMO

Roterodamo S. D.

**L**iteras tuas ornatissime ERASME, non dici potest, quàm acceperim cupidè: tum autem, què gestienter audierim uel Iacobum tuum aduentasse. Porro ut iniunxerim Theodorico nostro, Bacchi mystæ, ne quo illum pacto sineret abire, quin colloqueremur, quin pranderemus unà, & illum quidem cibo, me uolui fabulis, nouisq; & letis nuncijs obsaturari. Proinde anxie rogavi ut ualeres, ut ualisses usq;: opus illud insigne quousq; productum foret, ecquid Frobenius adornaret, seu Erasmicum, seu alterius cuiuspiam, deniq; nihil omisi: ad quæ Iacobus commodè profectò respondit. Et ecce dum nos fabulamur maxime, Theodoricus potitat maxime, partesq; agit at suas, haud quaquàm instrennue, ne ipse quidem interim ociosus à fabulis, omnibus penè linguis, loq̄tur dixerim, an obturbat? Germanica, Gallica, Italica, Latina: ut in hoc Apostolicum quempiam renatum credas: ut uel Hieronymum, quamuis multilinguem, si non elegantia, numero tamen linguarum ausit prouocare. Præter ea autem rogavi, ut ualeat eximius ille Berus, eximius ille Fabricius Capito, eximius ille Rhenanus, beatissimus re, Beatus nomine, quorum profectò solis nominibus

minibus exilio mi Erasme. Ab ijs amari, & si ego indignus sim maxime, tamen ipsi, quos ego non amens modo, uerum etiã suspiciam, digni sunt maxime. Atq; utinam hercle illi, quo sim erga eos animo, nouissent. Rhenani in primis sedula in castigandis optimis autoribus uigilantia, omnes sese docti adiutos profitentur. Fabricius accuratissimis Hebraicorum rudimentorum institutionibus, linguam, quam dicunt sanctam, quantum perè illustrauit? Iam uerò Berus, extra aliam est ingeniorum, posteaquam Parisijs omnibus calculis primas tenuit. His quæso, insignibus, ceu triuuiris unicè me Erasme cõmenda. Dic Dorpium esse quendam, magno erga eos studio flagrantem. Fortunatū te mi Erasme, qui cū heroibus istis tam amicè, tam familiariter quotidie uersere: at enim eos contra planè deos quosdam, tua quibus datum est, præsentia frui, qua, male pereã, si quid in uita euenire queat mellitius, festiuius, candidius, simplicius. Aduersam ualeitudinem tuam, ut ægre tuli afflixisse te, ita gaudeo deseruisse. Honorè tibi, quantum audio, à Puccio legato Apostolico optimo iure delatū, impendio gratulor. Quæ scripsisti fuerūt omnia sanè quæ gratissima. Vnū hoc molestū est, nondū sedatū esse (quod maxime oportuit) ortū à Coloniensibus incendiū: quibus sanè miror, qui tam ineptum quicquam

quicquā in mentem uenire quīuit, ut Lamentationes illas ridiculas, stultas, insanas, uel cōponeret, uel euulgarent. Præterea autem, quid minus fuit opus, quā ceu dialogo morologo uulnus effecisse, ut recruduerit, quod callum iam penè obduxerat? Miseram uerò studiorū sortem, sic si pergant eruditi ineptire, à Fabristis nihil dum neq; uidemus neq; audimus. Verum quid tu optime ERASME? an ulla possit esse futura tam acerba studiorum, tamq; inuitabilis cōditio, ut ob eā tibi uileant? Ita natus es, ita institutus, ita te comparasti, ut quicquid subnascatur durum, molestum, perplexū in literis, id tu unus obeas, foras, de uires publicæ studiorū utilitatis respectu. Libellum de Iulio cælis excluso, passim legūt omnes, & haud scio quo pacto pauci damnant: & si tu quidem iusta in autorem ratione stomacheris, qui literas facit esse (si nunquam aliās) hac maxime tempestate inuisas. Cæterum hoc quid esse dixerim mi ERASME? Tu uetas tuis literis responderi? quod uidelicet prope diem huc sis rediturus, ni res postularit, Italiam ut adeas. Quid si isthuc res postularit, quæ erit, obsecro, occasio tecum, quando coram non licebit, per literas colloquendi? quis erit tam certus tabellarius? Quod si prorsus redeas, scriptione quid mihi perit?

Siquidem

Siquidem te scio, quanquam occupatissimum, uel inter prandendum tantum temporis suffuraturū, quo epistolam hanc legas, etsi ineptam atq; incultam. De Angliis recipio me curaturū. Venerabili domino A= tensi, ita, uti iusseras, te q̄ accuratissime cōmendauit. Crede mihi Erasme, homo ilico ad tuum nomen exiliuit gaudio: post longum de te, eumq; honorificum in primis sermonem, iussit ut se uicissim tibi, quantum possim, cōmendarem, ut de se omnia tibi pollicereris. Magnifici domini Cancellarij Burgundiæ mortē, scio ab alijs nunciatam, ut non sit opus dolorem tuum de nouo exhulcerare. Linguarū professio pulchrè apud nos procederet, si stipendia tandem exoluerentur, & doceretur gratis: alioqui scis eo Louaniēses ingenio, ut ægre quicquam dent. Id quidem male habet Mattheum nostrum, hominem usque adeo iratum pecunie, ut ne nocte quidem una annuat hospitium, etsi minime nummis occupatum. Borsalus tuus, aut uerius noster, amicus haud impurus, syncerus, candidus, deseruit nos, designatus Decanus Veriensis. Prouincia, quam ceperat, Latine docendi, mandata est Barlando. Fuit isthic non admodū pridem adolescens Metensis, literarum studiosissimus, iuris utriusque candidatus, & amicus meus summus, cui nomen Claudio Can-

tiuncule=

tiuncula, quem non dubito, si quo tempore tu isthic fuisti, eodem ipse item fuerit, te salutasse. Eram ad eum scripturus, sed Iacobus tuus, rogatus, num nosses, negavit. Ei, queso, si isthic sis, ne graueris plurimam ex me salutem dicere, tum hoc nunciare, rem omnem, de qua ierum atque iterum scripsit, esse in uado, quod dicitur, ne deinceps sit sollicitior. Quae de re scripseras est Colonia (id quod plurimam habeo gratiam) paulatim bene habet, et spero adeo futuram ex sententia. Nihil hic est aliud quicquam quod scio descriptione dignum: neque enim ambigo, quin amici de suo quisque statu, deque rebus alijs huc pertinentibus, diligenter perscripserint. Ceterum mi charissime Erasme, quando non meum hoc est, quod tu uero uerius scripsisti, nempe incundiores esse amicitiam, et cum multis communem, effice, quae so te, per Genium tuum, ut insignibus istis literarum proceribus, quoquo modo innotescam, non quo fame meae studeam, sed ut intelligant, sua se uirtute, atque eruditione promeritos, ut ab omnibus amentur. Porro tibi, charissime Erasme, quum omnes omnia, ego tamen hoc neutiquam concedam, ut mihi in amicitiae studio anteuertas. Verissimum esse re ipsa comperio, quod olim dixisti, etatem, tempus, rerum usum multa afferre hominibus. Quod admiratus sum olim huius

huius nunc poenitet, et pudet. Valetudinem tuam fac cures diligenter, quae frequentibus morborum insultibus est obnoxia. Tum autem hoc caue, ne morbus uel aggrauescat, uel recurrat, ut isti labori (dicerem saxo, dicerem pistrino, nisi honorificentissimus, magnificusque foret labor (diu sufficere possis. Si in Italiam proficiscaris, non est aliam maiorem habenda ratio ualetudinis, quam non tibi modo, sed toti etiam Christiano orbi curabis: quod si ad nos matures iter, candidum diem, qui te Louanio reddet. Sed heus, praeterea ferme, quod minime oportuit, Frobenio omnium principi chalcographorum (pace modo Theodorici nostri dixerim) plurimam ex me salutem uti nuncies, cui omnes debemus studiosi non uulgariter: Largiatur ei dominus deus annos uitae et plurimos, et felicissimos, quo pulcherimae provinciae, in qua Aldum quoque ipsum, meo iudicio post se relinquit, par esse queat. Quid enim is, nisi eximie eruditum, et quanta cura excudit? Bene uale eruditorum phoenix Erasme. Louanij, pridie, idus Iulij. Anno 1528

ERASMVVS ROTERODAMVS

Cornelio Aurotino S. D. Scripsit puer.

**L**vpis et agnis quanta sortito obtigit, tecum mihi discordia est. Heus tu si sapis, aut quam-

primum cum Laurentio meo redibis in gratiam, aut bellum tibi palam indictum intellige. Rogas unde hæc subita turba? quasi uerò exciderit, quæ tu nuper in illum quàm foeda, quàm capitalia dixeris conuicia, quum hic apud nos ageres. Horresco referens. Os impudens. Tūc hominem omnium facundissimū, quem optimo iure Suadæ medullam quis dixerit, audes coruum crocitantem appellare? & cauillatorem, non oratorem? Qui si superesset, uah quas illi poenas dares? Experireris tibi cum homine nequaquam edentulorem esse. Sentires tibi prouocatam esse cornutam bestiam: Quæ tela, quas inuectiuarum sagittas in te uibraret? Nihil te mollius acciperet, quàm infelicem Pogium. At iam sepultum nihil metuis, nimūq; meministi, non mordere mortuos. Hui perquā strenuus es, qui in eum lingua sæuias, qui referire nō possit. Tutum est in illum quiduis tum dicere, tum facere. Verū (ne protinus triumphum adornes) non usque adeo tutum. En tibi me Laurentianæ iniuriæ uindicem: ego illius doctrinā, qua meo iudicio, nulla probatior, tuendam mihi sumpsi. Nunquā cōmittam, ut ea cuiuspiā impudētia, ne dicā inuidentiā, impunē aut lacere tur, aut obliteretur. Has igitur literas fecialium officio functuras istuc ire iussi, quo tecum expostulet. Quas

tu ut

tu ut tractes uide. Nam alterutra res tibi subeunda est, aut placandi feciales nostri, aut arma paranda. Caue uerò ne lenitate mea fretus, tanti facinoris impunitatem tibi promittas. Sum quidem in me ipsum illatarum iniuriarum paulò negligentior: at in tuendis literatis amicis quàm sim pugnax, si libet experi, licet. Quod si uideatur, Engelbertum istum tuum, qui ut scribis, ita castalijs aquis potus est, ut nihil expuat, nihil emungat nisi uersus, accersendum tibi censeo. Et si qui sunt illius similes, qualiū ubiq; non difficilis copia. Neq; uerò mihi militū manum defuturam putes. Non enim ad unum me, uerum ad omnes bonarum artium amicos ista pertinet iniuria. Omnes læsi si literatos, cum unum læderes Laurentium. Verum ego mi Corneli nihil perinde odi, ut bellū ciuile, eoq; pacem uel iniquissimam iudico potiozem. Quare si tu quoq; pacem quàm bellum mauiis, me sat commodo uteris, modo pacis condiciones acceperis: quas treis potissimum tibi nostri feciales offerent, easq; non admodum difficiles, ita ut neque multas præscribi, neq; iniquas, iure queri possis. Sed nunc cōponito te atque audi: In primis ut si quid male dicendo peccasti, bene dicendo corrigas. Laurentium pro coruo crocitantem, Suadæ medullam, & Atticam musam appellabis:

deinde Laurentianas elegatias sic edifcas, ut eas uelut ungues digitosq; tuos teneas: postremò ut codicũ tuorum, quorũ tibi magna copia est, nobis copiã faciãs, quibus haectenus ceu draco quispia Hesperius incubas. Rides et tibi iocari uideor? Age ride quantũ libet: tunc uerò omnia me iocatũ putes: nam de mittendis codicibus, ludũ putari nolim. Præterea Laurentium, quẽ nemo nisi barbarus odit, ne tibi decorũ existimes, lingua spiculo lacerare, cũ sis ipse literarũ mystes religiosissimus. Bene uale. Anno 1489.

ERASMVVS ROTERODAMVS  
CORNELIO SVO S. D.

Scriptit puer.

**P**rimum omnium mi Corneli, tibi etiam atq; etiam persuadeas uelim, me animo esse in te integerimo, quo te itidem erga me esse non modo confido, sed iam innumeris argumētis habeo exploratissimũ, ut neq; si quid blandius dictum nostris in literis offenderis, id Gnathonico potius lepori, quàm uero amorĩ tribuas: neq; si quid pro mea tuenda sentētia, aut qua qua ratione liberius scripserim, meum in te amorem elanguisse suspiceris, ne dicam interisse. Hæc dixerim non quod iam ullis in rebus te à mea abesse sententia uideam, sed quod, si quãdo huiusce rei quicquã

inciderit

inciderit, mutue nostrae beneuolentiae consultum uelim. Si quidem quod de nostro Valla scribis, sic interpretor, ut existimem te non ex animo, sed certo consilio scripsisse, siue ut stili facultatem quod uobis uero In argumēto inglori  
Dei exerceres, siue ut mihi scribendi materiã superpeditares. Et quemadmodum apud Platonem Glauco uituperata iusticia, Socratem ad iusticiae defensionem prouocat, ita tu me ad Vallae defensionem proliferes, recensens quàm indignis conuicijs stolidissimi barbariei mystae, in uirum literatissimum debacchentur. Quod quidem uel hoc argumento facile colligi potest, quod Vallam non lectitasse modo te, uerum etiam imitatum fateris: idq; etiam si tu neges, tamen elegantia stili tui, phrasiq; clamitat. Quisquis igitur ille est, qui ut sus caeno, ita imperitiae amicus, gloriosum ac praeclearum existimat, si ipse rerum omnium bonarum inscius, doctissimos quosq; inuidia, odio conuicijsq; prosequatur: quanto pere desipiat, paucis si uolet, audiat. In primis, suis queneq; uirtutibus, non aliorum opinione metiri decet, nec quãti illum fama, qua nihil fallacius, sed quomodo ipse se gerat, animaduertendum est: alioqui cui non usu uenturum est, ut subinde uelut alius repente factus, à scipso dissideat? Hic me literarum, ille barbarum: hic probum, ille improbum facit: alij

gloriosulus sum, alij rursum putidulus: deniq; huius oculis formosus sum, illius deformis. Quæ ego nõ Protea uicero, aut quid tandem portenti fiam, si is ero, quencunq; me libitũ est facere populo? Imò quemadmodũ suspectũ esse debet, quicquid multitudini ualde probatur, ita uehementer displicere uulgo, præiudicium est ad probitatis cõmendationem. Quin fiet aliquoties, ut eiusdẽ hominis arbitrio, nunc albus, nunc niger fiam. Stefichorus Helenam deformẽ facit: mox orbatu oculis, eandem omnium facit formosissimã: nec interim quicquam accessit aut decessit Helenæ formæ. Nihil igitur agunt, qui hijciunt, quod Laurëtianum nomen apud plerosq; graui flagrat inuidia: nam sena per huic malo uirtus insignis fuit obnoxia. Multis nõ placet Laurentius: at quibus? Nimirũ ijs quibus non placent politiores literæ. Hic dicet quispiam, ut negligamus uulgi rumusculos, qualẽ hũc depinxit Poggius, uir nec inelegans, nec indoctus? Poggio fuit inuisus, sed uni: & Poggius hoc erat animo, ut doctissimus haberi mallet, q̃ reddi doctior. Quæ ego sic inter eruditos poni ferã, ut nõ sit omnino à consortio barbarorum alienus. Siqui dẽ magis ille natura facundus, q̃ eruditioe: & plus habet loquentiæ, quàm eloquentiæ. Postremo uituperat Laurentium Poggius, sed palàm uir im-

probus

probus, palàm inimicus. Sic Cicero displicuit Salustio et Asinio: sic Vergilius ac Liuius Caligule: sic Hieronymus Rufino. Porro quibus rebus Laurëtius tantam sibi cõflarit inuidiã, in promptu est docere. Nam scitè Terentianus ille Sofia dixit, Obsequium amicos, ueritas odium parit. At contra parasitus ille Gnatho, qui sibi imperauerat assentari omnia, negare si quis neget, laudare, si laudet, atq; hæc ipsa rursum in diuersum uertere, si lubeat, quàm facile sibi omnium gratiam cõparauit, ut non sine causa questum eum iudicari omnium esse uberrimum. Ab huius ingenio diuersissimus Demea, dum urbana uitæ nondũ peritus, ueritatis amicus esse contendit, adeo nullos sibi conciliat amicos, ut ipsis etiam liberis fugientibus, desertus atq; orbis uiuere cœperit. Adeo uulgo mordax & inamœna res est ueritas. Proinde Laurentius no ster, si barbarorum imperitiã reticere q̃ proderet maluisset, uenustus & graciosus haberetur: nũc quoniã id effecit, ut quorundã male cõparatæ gloriæ fucus detraberetur, ut putari desinerent, quod non erant, offensi genuinũ in illum acuunt omnes. Ceterum quod eruditos etiam nonnunquam attingit, quem unquam adeo doctũ uiderunt Athenæ aut Athenarũ uictrix Italia, ut nihil illum fugerit? Et ut omnes in errorem

r s      nostrapte

nostrapte natura procliues sumus, ita multò peccamus liberius, si erroris nò desint autores, maxime si hos autoritas & nominis splendor cōmendet. Id autē imperitorū ingenium est, ut autorum, si qua recte dicta sunt, ea prætereant, non aliter quàm, ut est in apologis, Iassidem repertum gallus Aesopicus: contra si quid erratorum, in sui erroris defensione studiose decerpant, quas ob res ne summorum quidem uirorum errata dissimulare fuit opus. Quē uerò prorsus omni liberabimus errore, si Cicero labitur in Romani sermonis elegantia? Quod si Poggius sua uitia ingenue fateri corrigereq; q̄ tueri proteruè maluisset (maluisset autē si uiri prudentis officio fungi uoluisset) profecto dignū iudicasset Laurentiū, cui recte monenti & bonos haberetur & gratia, tantum abest, ut lacerandum existimaret. His rationibus constricti quidā, ad illud uelut extremum presidium confugiunt: Vt iuste reprehenderit, inquit, præclaros uiros, tamē æquo mordacius id fecit. Ego sanè, quid in hos mordacius dixerit, non uideo, nisi fortè eos uiros præclaros appellandos putabunt, quos ego barbariei duces uel præcipuos iudico, Papiā, Huguitiōnē, Ebrardum, Catholicon, Ioannē, Garlandū, Isidorum, cæterosq; indignos etiā qui nominentur: aut certe nisi id ipsum mordacius dixisse

dixisse uocant, quod reprehendisse. Verū esto, mordacior æquo fuerit: num ideo falsum dixit, quia uerū mordacius dixit? Vsq; adeo nobis odio est, ista mordacitas, ut eius odio, tam multa scitu digna, necessariaq; detestemur? Adeo nihil ignoscendum putamus ei, qui tot modis profuit? Venia datur conuiuatori, si inter multa lauta, cibus aliquis intercurrerit, non nihil adustus, aut parū feliciter conditus. Si uicinius imminente mœnibus hoste, totoq; populo dira calamitate ac desperatione salutis enecto, præter spem offerat se quispam, qui sui capitis periculo depellat hostē, patriā restituat libertati, quid non illi gloriæ, quid non bene uolentiæ certatim deferretur ab omnibus? An hunc nobis inuisum reddet, si paulò sit bibacior? tantiq; beneficij memoriā quamuis leue uitium abolebit? Et quis tam exigui animi est, cuius pectus tantis inuidiæ angustijs concluditur, ut Vallā nō & magnificè laudet, & amet q̄ maxime: qui tanta industria, tanto studio, tantis sudoribus barbarorū ineptias refellit, literas penè sepultas ab interitu uindicauit, prisco eloquētiæ splendori reddidit Italiā: doctis etiā id præstitit, ut posthac circumspectius loqui cogatur? Huic itaq; mi Corneli, nisi fortè uereris, ne te mordax homo discerpant, tuto te commiseris, si non sine inuidia, quæ semper arduas magnificasq;

magnificasq; res comitari solet, mea tamen sententia, summa tum utilitate, tum gloria. Id igitur quando scribis, ut magis magisque facias, te etiam rogo. Senties tuis scriptis non parum accedere nitoris, nisi forte Batavis solis ista paras. Bene uale. Anno 1490.

THOMAS MORVSE RAS= mo Roterodamo S. D.

**D**ilatus ac procrastinatus Palgravi nostri, quod idie iturientis discessus effecit, ut et meas literas, et aliorum, serius multo quam aut ego uolebam, aut tu debebas, acciperes. Videbatur enim commodissimi me relaturus ad te meas, qui tuas ad me attulisset: sic necesse fuit, prioribus presentes addere, quibus constare tibi dilatiois ratio possit, simul uti quid nunc agatur apud nos intelligas: qui si unquam alias, nunc maxime in morore et periculo uersamur, multis undique morientibus, omnibus ferè, qui Oxoniae, qui Cantabrigiae, qui Londini sunt, intra paucos dies decumbentibus, amissis plurimis, optimis, atque honestissimis amicis: atque in his (quod tibi quoque dolori esse dolere) Andrea nostro Ammonio, in quo et litera, et oes boni magnam fecere iacturam. Is ualde sibi uidebatur aduersus contagionem, uictus moderatione munitus: quae scilicet eum putauit, ut quum in nullum penè incideret, cu-

ius non tota familia laborauerat, neminem adhuc è suis id malum attigerit, id quod et mihi, et multis praeterea iactauit, non admodum multis horis antequam extinctus est: nam hoc sudore nemo nisi primo die perit. Ego, uxorque; ac liberi adhuc intacti, reliqua familia tota re ualuit. Hoc tibi affirmo, minus periculi in acie, quam in urbe esse. Nunc ut audio, scuire Caleti incipit, quum nos eò extrudimur, legatione functuri, tanquam parum sit, in contagione uixisse, nisi sequamur etiam. Sed quid facias, quod fors feret, ferendum est. Ego animè mihi in omnem euentum composui. Tu uale. Raptim Londini, XIX. die Augusti M. D. XX.

THOMAS MORVSD.

Erasmo S. D.

**A**ccepi mi Erasme, literas ab Ventfordo, quas per eundem tabellarium protinus ad te traſmitto: ex quibus hominem facile deprehendes antiquè adhuc morè obtinere. Non petam ut ignoscas, quod tuas aperui: uides enim ut scripta tibi sic mihi inscripta sunt, nec dubito quin eodè errore ad me contra scripta sint, quae sunt inscripta tibi, quarum ego legendarum tam audius eram, ut resignare non libuerit. Si quid in his uideris, quae me putabis uelle scire (quod ego certe non puto) significa. Opinor ad te perlatas, quibus te certior

re facio de recepta tabula, de qua rursus, ac milies mi  
 Erasme, rursus tibi ago gratias. De Petro tuo postq̄  
 iuit in Angliā nihil audio. Vtinā ibi tuum uere dignū  
 rege munus, aliqd̄ tibi ab rege cōciliet boni. Feliciter  
 Rex et dñij tibi cedat, quod inuinxit *αυτονομία*: nam ipsi succe  
 dit nihil, imò per deū omnia. Tuū consiliū probo, qui  
 nō uis principū negociosis nugis implicari: & me pla  
 nē amas, quū iisdē optas ut extricer, in quibus haud  
 credas quā inuitus uersor: neq; potest quicq̄ esse odio  
 sius, quā hęc est legatio. Nam & relegatus sum in  
 oppidulū maritimū: & solo & cælo inuicundū: tum  
 domi qui meapte natura uehementer ab litibus abhor  
 ream, etiā quum lucrū adferūt, quantū necesse est hic  
 adferant tædiū, quū ueniant comitate damno. Sed do  
 minus benignè pollicetur omnia repensurum regem.  
 Cum recepero, faciā ut scias. Interim uale, tu fortas  
 sis ultrò non optas. Eduardo Leo multā ex me salutē  
 dicit, & Palgrauo nostro, si redijt. Iterum uale. Car  
 leti XXV. die Octobris M. D. XX.

ANDREAS AMMONIUS LVCEN  
 sis Guilhelmo Montioio S. D.

**S**emper optaui clarissime Monioie, ubi gratiā res  
 ferre non possem, saltē nō ingrati animi & esse,  
 & haberi. Quare tum à te altero Meccenate, tum à  
 multis

multis alijs benignissimis li. erarum patronis in hac  
 uestra Britānia, quæ tot annos me fouit, ut iam et meā  
 nō iniuria appellare posse uidear, nullo nō genere hu  
 manitatis affectus, quū paupertas, quæ (ut ille ait) *αυτονομία* multos red  
*υπονομας πολλας ποιεις*, uias alias persoluēdi gratiā dit ingra  
 tos.  
 mihi præcluderet: quā potui, sum ingressus: laudare  
 cepti, quibus me plurimū debere arbitrabar. Quod  
 officū Plinius Iunior ita gratū olim fuisse ait, ut qui  
 singulorū laudes, uel urbū scripserāt, honoribus aut  
 pecunijs moris esset ornare. Siquidē Cherilus ab Ale  
 xandro incultis pro uersibus, & male natis, retulit ac  
 ceptos regale numisma philippos. Et P. Cor. Scipio  
 Africanus, Ennū arte ut cunq; rudē, intimū habere,  
 suum pulcherrimū triumphum laureatum sequi, &  
 Corneliorū monumento demū inferri, nō fuit dedigna  
 tus. Sed mortales prætereo: deus Opt. Max. quam  
 pro suis immensis erga nos beneficijs à nobis gratiam  
 reposcit: nempe laudem. Quæ uicima nos sibi facere  
 iubet: non alia profectō magis quā laude, nimirum  
 quod hæc una nostrum munus est, cætera autem il  
 lius sunt. Hanc ergo ipse gratiam meæ altrici Bri  
 tanniæ, hanc tibi, hanc alijs meis patronis referre  
 sum conatus. Vestra bona, uestras uirtutes non sa  
 tis, sed quod potui, laudauī. Quod si pulcherrimæ  
 materis

materiae parum decoris addidi, scis illud, in magnis  
 & uoluisse satis. Ista uero meas qualescunq; ine-  
 tias, ideo tibi nominatim dicere audeo, quod te ho-  
 minem minime fastidiosum esse noui, & pro tuo illo  
 mirifico candore, meas nugae non omnino nihil exi-  
 stimare perspexi. Proinde quicquid hoc est, ea uelim  
 hilaritate, qua rustica & uilia munuscula soles, acci-  
 pias: & quod facis, non rem, sed animum offerentis  
 expendas. Vale.

ERASMVVS DORPIO SVO. S. D.

**I**N alio studiorum genere fateor uerum esse quod  
 scribis, non laedit, imò sepe numero iuuat qui dis-  
 sentit. Hic qui dissentit, non hoc agit ut ipse uideatur  
 eruditior, sed ne aduersarius sit Christianus. Quod  
 etiam si non agat ille, tamen interim apud imperitam  
 plebeculam traducitur is, cum quo certatur, & ansa  
 datur peruersissimo isti hominum generi, qui malo  
 alieno uel pascentur, uel crescunt. Nec unquam suspe-  
 ctum habui tuum animum, sed fortassis melius noue-  
 ram ingenia mortalium, & causae circumstantias al-  
 tius atq; tu perpendebam. Quod si qui cruciatur in-  
 ter non conuenire, demus operam mi Dorpi, quo ma-  
 gis ac magis doleant, indigni quibus unquam bene sit,  
 qui malis gaudeant alienis. Rumores nihil est quod

metuas

metuas: nemo mortaliū est, qui minus his commouea-  
 tur quàm ego. Qui bene uolunt Erasmo facile ama-  
 bunt & Dorpium, si senserint te mihi ex animo ami-  
 cum. Heri binas à Moro literas accepi, intra biduum  
 ibit, qui meas referet, in quibus asscribam quae cupis,  
 imò iam quaedam de concordia nostra scripseram, non-  
 dum abs te monitus. Multorum literis magnificisq;  
 promissis inuitor in Galliam, idq; regis nomine: sed  
 non libet rursus me theatro committere. Animus se-  
 cessum flagitat: aetas haec, seu potius ualetudo, cogit  
 etiam quietem agere. Petrus Aegidius tuam salutem  
 alacri ter accepit, & suam amanter remittit. Si quid  
 in Angliam uoles, mitte quàm primum, curabitur à  
 nobis. Ioannem Atensem omnibus laudatissimum, &  
 tamen nunquam satis laudatum, meo nomine etiam  
 atq; etiam salutabis. Bene uale. Antuerpiae, nono  
 Calendas Martias.

THOMAE EPISCOPO DVNEL-

mensi, Erasmi Rot. S. D.  
**O**Rnatissime praesul, ex Petro unoculo, per quē  
 nuper scripsi celsitudini tuae, cognoui librum  
 Senecae tibi non fuisse redditum. Franciscus fatetur  
 apud Arnoldum fuisse, à quo reposces, si nondū acce-  
 pisti. Nos gratia superis, cōualuimus, & breui, ut  
 spero,

s

spero,

*Elogio  
 S. Erasmi*

spero, ueteres patronos reuifemus. Faxit Christus Opt. Max. ut uos omnes offendam incolumes. Bene ualeat tua pietas, cui me totum dedo, dedicoq;. Antuerpia. 7. Idus Iul. M. D. XVI.

ERASMVS GONELLO SVO S. D.

**S**emper equus meus ad me redit & habitior, & salacrior mi Gonelle, satis præ se ferens nutritij sui tum diligentiam, tum felicitatem. Quare te maiorem in modum rogo, uti pergas, quemadmodum cæpisti curare baiulum nostrum. Quid ni nostrum appellem, cum amicorum cõmunia sint omnia? Dabo operam ne officium tuum in hominem parum memorem, parumq; gratum collocasse uidearis. Bene uale Gonelle charissime. Cantabrig. 6. Calen. Octob. M. D. VII.

ERASMVS ROTERODAMVS

Petro Aegidio S. D.

**V**Tinam essem sanior animæ tuæ pars, quemadmodum tu uocas. Nunc ipse parum ualens, ægrotato morbo alieno, & tamen ob negocium Noui testamenti non uacat ægrotare. Non uideo spem, nisi primū imperes tibi ipsi: deinde suscipias iter aut huc aut Gandauum. Illic est Clauus medicus maledicus, ei te cõmendabo si uelis, ut te uel conuictijs adigat ad curandam salutem. Abstine à pharmacis deiciendis

naturæ

naturæ uires. Expatiare comite Nicolao aut simili amico fido ac iucundo. Quicquid est litium procul abijce. Prudentis est ante omnia uitæ cõsultare. Bene uale. Ita & ego minus incõmodè ualuerò. Loua. 3. no. Mar. 1516.

ERASMVS ROTERODAMVS

Thomæ Moro S. D.

**C**Aeteris ægrotato, tibi uni bene ualeo. Gratia superis, reuersus sum incolumis Antuerpiam tertio calen. Iunias. Deliberatum erat iter facere per Lothoringiam. Namq; ad montem Casaris, oppidum in alpibus situm, perueneram. Verum ubi uiderem passim militum greges, rusticos passim ex agris in oppida cõmigrare, & rumor esset aduentare manum ingentem, uerti consilium, & periculum non effugi, sed mutauim. Coloniae nactus sum oratores Italos, quibus adiuncti, consecimus ferè equites octoginta. Nec hoc numero sine periculo fecimus iter. Episcopus Basiliensis uir admodum natu grandis, integer, & eruditus, dictu mirum qua me sit humanitate prosecutus, homo alioqui multorum consensu non admodum benignus. Nam hunc Neuum reperiunt in tam formoso corpore. Inuitauit, complexus est, ornauit testimonio uocis suæ, obtulit pecuniã, fortunã, donauit equum, quæ uix portã egressus, statim quinquaginta florenis aureis uendere

uendere potui. Parauerat poculum argenteū, uerum aurifaber illi uerba dederat, id q. indignè tulit. Eloqui uix possum, quātōpere mihi placeat hoc cælū Basiliensē, quātōpere genus hominū: nihil illis amicus, nihil sincerius. Quot me comitantur equis abentem, quibus lachrymis dimiserunt? Quāquā et alii unde conditiones non inhoneſte offerbantur. Vnam epistolam miſi, ex qua poteris conijcere me non omnino fingere. Nouum testamentū et ab ijs probatur, quos arbitrabar maxime calumniaturos: Primarijs Theologis uehementer placet. Enchiridion illud exſculantur omnes. Id episcopus Basiliensis semper circumfert. Vidi margines omnes ipsius manu depictas. Sed desino hęc, ne gloriosulus uidear. Quāquā apud

Tantis one  
tribus pre=  
mor.

Id est, sur=  
sum eleua=  
to capite re=  
ſpicere.  
Sed ubique  
infeliciter  
ago,

Morum non uerear uel ineptire. Sed *τοσοῦτος ὁ ἀρε-*  
*σι πρὸς τοὺς ἀρετῆς.* ut non liceat *ἀνακρίνειν.* Vnā aut al=  
teram fortunā plagā utcūq; ferat aliquis *ἐν δὲ πρὸς*  
*ταχέως ἄνυσυ χῶ.* Quā difficile est sapere, qui=  
bus aduersatur Rhamnusia. Et tamen animo Hercu=  
lano, me fulcio sustineoq;. Placuit epistola quam Ant=  
uerpiā reuerſo reddidit Petrus Aegidius. De Ruffo  
demiror, quid homini uenerit in mentem eiusmodi nu=  
gari nugas, deposui apud hominem centū et uiginti  
angelatos eximios, pro his syngrapham tradidit: ta=  
men

men ea res citra periculū ullum cōfici poterit. Scripsi  
Cantuariensi per hunc tabellionē, mihi redditā eam  
pecuniā opera Ruffi. Is huic tradat chirographū su=  
um, per quod possum in his regionibus accipere pecu=  
niam. Eo apud te deposito, recipiat ab archiepiscopo  
pecuniā. Id si parū probatur, fac ipse recipias eam pe=  
cuniā, et scribe tuis ut hic mihi restituant: simulq;  
mihi syngraphā mittito, per quā eam repositā. Nam  
literas ad Cantuariensem sic temperabo, ut utrunq;  
liceat. Submonuit hic Petrus unoculus, optimum esse  
cōmittere pecuniā negociatori cuipiā Germano, per  
cuius syngraphā Antuerpiā recipiam. Proinde scri=  
bam, ut tibi tradat pecuniā, per me mox ad te uentu=  
ram. Mirè mihi placuit illa tua ad me epistola, testis  
animi in nos tui: præterea declarans te proficere di=  
cendi uirtutibus. Apologiā pro me tuam, nondū to=  
tam legi, ex qua intelligo quid Martinus Dorpius  
scripserat. Admiror quid homini uenerit in mentē,  
Sed tales reddit hęc theologia. Cancellariū salutau.  
Aderat fortē fortuna tū in cœna prepositus ille Cas=  
sileianus, uir iuxta doctus, atq; humanus. Adest et  
episcopus Theatinus. Et dum hęc scriberem expectā=  
batur Tonstallus, quo salutato Montioium cōueniam  
et Abbatē: apud hos tantisper tempus ducā, dum hic

monophthalmus huc se recipiat. Mox cum principē agam. Si sensero frigere negocium, ut est huius regionis erga literas ingenū, rectā Basileam nisi si quid ut dissentis. Scribito de singulis diligenter, si quid est, quod ad rem meā pertinet. Si Pacæus adest, admone ut per hunc remittat omnes cōmētariolos meos, quos apud illū deposui Ferrariæ. Conueni episcopū Theatinū, cumq; eo coenauī. Is toto pectore nos amat ac miratur: agit apud Carolū principē, comitaturus eum in Hispaniā. Hodie coenauī apud Tonstallū, ut cōpendio dicam tui simillimū. Cura ut reuiuiscas, nam audio te periculose laborare. M. D. XVIII.

ERASMVS ROTERODAMVS

Petro Aegidio S. D.

**C**harissime Petre Aegidi, ex aula recepi adhuc centum florenos, reliquum promittunt breuiter. Si certus aliquis tibi contingeret, aut si Iacobus huc uenerit, mitte mihi psalteriū octaplum tuum. Nam hic penes neminem est: & eo opus est, in Apologia quam paro aduersus Fabrū. Medico me unicē cōmendabis. Misissē illi suam grammaticā, sed Apologia nonnihil ab instituto deduxit. Bene uale mi Petre suauissimi. Patri & uxori salutē dices. Nos, gratia superis mediocri ualitudine sumus. Vrge Quintinū ut persiciat.

ciat, quod ubi erit factum, aduolabo consultaturus, quomodo possit commodē tutoq; mitti in Angliam, si mulq; Quintino satisfaciemus. Dum cum Fabro litigo, dies perdidī iam octo. Rursum uale, imō da operā ut quā optime ualeas. Nicolao ludimagistro multam ex me salutē dicito, qui quoniā me sibi obstrictum esse uoluit, circumspice quā in re queā illi uicissim gratificari. Dederā Ioanni tuo negociū de sella Bruxella emenda, quid actū sit scire cupio. 15 2 8

ERASMVS ROTERODAMVS

Thome Moro S. D.

**C**alendis Maij uentis inualescētibus, iamq; etiam aduersis, medio noctis scaphula nautica, non sine periculo in rupes quasdā eieci sumus, in Galliam haud procul à Bologna. Mox uenti asperrimi, quos reliquo itinere luttus uicinum nobis exasperauit. U multos apud nos Cyrāche & pleuretide occiderunt & occidunt. Petrus Aegidius & ego pingimur in eadem tabula, eam tibi dono breui mittemus. Verum incidit incommodē, quod reuersus Petrum offenderim, nescio quo morbo laborantem grauiter, nec citra periculum, unde nec adhuc satis reualuit. Nos belle ualehamus, sed nescio quomodo medico uenit in mentem, ut purgandæ bili iuberet me pilulas aliquot sumere,

& quod ille stultè suafit, ego stultius feci: iam pin-  
 gi coeperam, uerum à pharmaco sumpto cum ad pi-  
 ctorem redirem, negauit eundem esse uultum: dilata  
 est igitur pictura in dies aliquot, donec siā paulò ala-  
 crior. Epigrammata tua & Vtopiam mihi Basileam  
 per proprium ministrum, quem in hoc aliquot men-  
 ses hic alueram, unā cum meis aliquot lucubrationi-  
 bus. Tonstallus bellissime ualet, imò triumphat. Tan-  
 tum hic natus est ueterum nomismatū. Perlegit Copiā  
 meam, ac mirè probat. Panegyricum quo Philippum  
 laudauit, unicè admiratur: Budæi assen totū excusit,  
 & ad eum scripsit. Verum ille nondum quicquā re-  
 spondit. Cardinalis Gurcensis hinc ante dies aliquot  
 abiit, Cæsare, ut audio, nō admodum æquo. Card. Se-  
 dunen. heri discessit, apud quem eo die prandium egi:  
 qui cum mihi longa fuit disputatio de nouo Testamen-  
 to, tum de bello: is palā debacchatur in Gallos, & ut  
 Eluetium decet, ingenuè. Aiebat Germanos eò tende-  
 re, ut omnes reges subsint Imperatori. Cæsar Mogus-  
 tiam adit, nam illic, ut ferunt, consilium futurū proce-  
 rum Germaniæ. Carolus noster Gandauit consiliū agi-  
 tat, quo Cæsar non accessit. Aiunt abire, nondum sa-  
 tis placatum. Dij boni, quis unquam iratus fuit hoc  
 felicius? Pax coitura fuerat etiam cum Ghelrijs, &  
 quidem

quidem conditionibus Cæsari quoq; æquisimis, Ve-  
 rum id ille impediuit, ne nullum usquam esset nobis  
 bellum. Philippus episcopus Vlratraiectinus urbem  
 suam ingressus est, & auspicijs felicissimis, & insigni  
 pompa. Dux Ghelriæ dicitur octo milibus hominum  
 contractis Phrysiam adoriri. Tonstallus gaudet sibi  
 tandem peractam fabulam illam motoriam. Is si redit  
 ad uos, hæc frustra scripsimus. Sin manet, certū est, ubi  
 ubi futurus est, tempus hoc cum illo transigere. Alio-  
 qui consiliū erat Louanij æstiuare, Theologis etiam  
 id magnoperè flagitantibus. Solus N. murmurat ad-  
 huc nescio quid, gloriæ causa, ut ne parum uir con-  
 stās uideatur. Caue fraudes me ista tua epistola, quam  
 inabsolutam mihi ostendisti. Si epistola Iustiniani ora-  
 toris Veneti apud te est (nam mihi periit) fac huc re-  
 deat: sin minus, roga humanissimum Nicolaum secre-  
 tarium illius, ut exemplar rursus huc mittat, unā cum  
 ea, qua ipse Marco Musuro gratulatus est. Scribam  
 fufius intra mensem, cum mittam tabellā. De equo ni-  
 hil adhuc audio, atqui nunc fuisset usui. Bene uale  
 cum suauißima cōiuge, liberisq; dulcissimis. Petrus  
 Aegidius unā cum Corneliola sua te tuamq; plurimū  
 saluere iubet. Anno millesimo quingentesimo deci-  
 mo septimo.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Cornelio Batto S. D.

**C**harissime fili, tuā erga me pietatē lubens am-  
plector, faciamq; pro uirili mea portione, ut  
intelligas defuncti Batti neq; memoriā, neq; charitatē  
apud me intermortuam, tu modo cura, ut optimo do-  
ctissimoq; patri literis ac morib. respōdeas. Ego nunc  
Basileam adeo, sic enim res postulat. Si istic es tolera-  
bili cōditiōne, perdura usq; ad reditū meum. Redibo  
enim uolente Christo, mense Octobri: Sin minus con-  
ueni Louanij Ioannem Hontiscotaniū Liliensis pēda-  
gogij moderatorem, & ex illius cōsilio pete Brugas,  
cōuenturus Marcum Laurinum coadiutorē, ut nunc  
loquuntur, Decani S. Donatiani, cui de te scribam ho-  
die. Optimum, & humanissimum patrem Gosuinum  
meis uerbis saluta diligenter. Optarim te literis Græ-  
cis operam dare, & euoluendis bonis autoribus. Ac-  
cipies his literis inclusum nobilem Flandricū aureū,  
animi in te mei pro tempore qualecunq; pignus. Bene  
uale mi Corneli. Louanij, Tertio Calendā Maias.  
Anno M. D. XVII.

ERASMVVS ANTONIO CLAVAE.

**N**vper uidebaris optare Græcum Herodotū:  
eum ad te dono mitto, Nam facile mihi repe-  
rietur

rietur alius in hoc itinere. Bene uale. Robertum Cæsa-  
rem uix possum salutare, qui nuper nos tam superbē  
destituerit in cœna. Louanij. Tertio calendā Maias.  
Anno M. D. XVII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Marco Laurino S. D.

**S**cripsit ad me Batti synceris. quondā amici mei  
filius Cornelius Battus: iuuenis bene linguax, sa-  
tisq; doctus, sed loripes: is tenetur huius regionis de-  
siderio, nam Gruningæ agit hypodidascalum. Si forsī  
tan te adierit, expende num tibi possit usui esse: sin mi-  
nus, remitte illum Louaniū. Nolim ut mea causa quic-  
quam agas aduersus animi tui sententiam. Bene uale.  
Scribam aliās copiosius. Louanij. Tertio Cal. Maias,  
Anno M. D. XVII.

ERASMO ROTERODAMO

Petrus Aegidius S. D.

**V**ideo te occupatissimū, qui ad quaternas meas  
literas nō responderis. Venit nuper ad nos ta-  
bellio quissiam, cum literis ad Io. Neuium tuis. Abe-  
rat Frācisus in Britannia cū ille adesset: delate sunt  
tandē ad me cum epistola quadā Frobenij, quā sum  
pprimē exosculatus. Borsalus Decanatū ut uocant,  
nactus est, hac proficiscens in Selandiam nos inuisit,  
te Bas

te Basileam peruenisse narrauit, unde uehementissime sum grauisus. Et quid ni gaudeam qui quoties tui fit mētio gestire, tripudiare & subfilire soleo. Quae sote Erasme mi, si quando dabitur occasio, ut Pyladi tuo, sic enim me nō minus ex animo quā uerē nūcupas, aliquid literarū mittere ne graueris. Admiratus sum non parū, quod minime rescripseris, praesertim cum tu interea temporis bis ad Neūū literas miseris. Badius fuit apud nos, uiximus genialiter, super Fabro Stapulensi facta est mentio in conuiuio, poenitet se unquam Erasmiū irritauisse, nec responsurus est, nisi ad *Calendas Graecas*. Paulus Aemilius reliquos *historiarum suarum* libros formulis excudendos Badio tradidit. Intellego item Eudaeum epistolas colligere, nimirum curabit eas adendas, non sine doctorum omnium & admiratiōe & fructu. Est apud nos, si superis placeat, sycophanta ille Hypsistrotus instar ululae inuisus omnibus, is nunc rem agit alienam prorsus à sua sodalitate, uendit libellos illos suos ineptissimos, quibus indidit titulum *Apologiae*, hos minutuli isti libelliones circumforanei, tanquam praecones uendunt: cōpendio autem quantulum est scabiosus & miser accipit *Hypsistrotus*. Hunc nemo dignatur colloquio, nemo uel salutatur, nisi fortassis insanæ quaedam & ueneficæ lenæ,

lenæ, quanquam ne hæ quidem suo nebulonē dignantur cōmercio. Corradit undecunq; potest pecuniā, sed nil praeter aurum Tolosanum. Dialogus nescio cuius auctoris, prorsus tamē eruditi, de Iulio hic passim uenditur: hunc nemo nō emit, nemo nō habet in ore, hunc te uidisse maxime uellem, quanquam non dubiū, quin isthic quoq; uenundetur. Ferdinandus illustrissimus princeps faustis auib; applicuit, paucis ex nostratibus comitatus. Aiunt hunc non falsi auctores, comi & affabili esse ingenio, moribus optimis, & ad miraculum usq; Latine doctū, nec ineloquentē. Marcus Laurinus apud me uersatus est dies aliquot, de te totus noster fuit sermo, tota confabulatio, iussit te oppidō quā saluere. Sixtinus ad me literas misit, de Moro nihil audio. Franciscus ex Britannia Lutetiam petijt. Beatus Rhenanus si bellè ualet, impēdio gratulor. Bene uale mi Erasme. Vxorcula mea iam partui proxima, te plus millies salutatur. Antuerpie. XIX. Iunij. Anno M. D. XIX.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro Aegidio S. D.

Vtinam istam animi impotentia possis uincere, & tuæ ualetudini perniciosam, & ad res gerendas adeo inutilem, ut uehementer etiam officiat.

Quid

Quid opus erat aperire stomachum aduersus medicum? Sciebam illum nihil daturum, tantum lubebat commediam agere. Nunc si faciem perfricauerit, ne tantum lum quidem spei fuerit, et incipiet palam esse hostis. Quod si certa spes fuisset, malim ego centum fraudari cyathis, quam te semel acerbius commoueri. Crede mihi nisi ab his duobus temperaris, animi perturbatione, et intempestiuo coitu, non lubet eloqui quid tibi timeam mi Petre charissime. Quare te maiore in modum oro, omnia postposito tue salutis. De aduentu nostro ad Christi natalem medici gratia scripseram, non serio, ne uel tu frustra speres, uel uxor frustra metuat. Certum est enim hinc non migrare, donec quod est in manibus absoluere. Paraphrasis quam exorsus sum in tabula, iam absoluta, excudi formis coepta est. Adest Ioannes Borfalus huius collegij contubernalis, conuictor omnium festiuissimus. Utinam tibi integrum esse totam hyemem nobiscum agere, et istis negocijs, quae te frustra cruciant, iuberet μακρὰν καὶ αἰεὶν. Placet Mori carmina. Appulit huc Hebraeus quidam Matthaeus, suae linguae egregie peritus: spero fore, ut hic illi salarium decernatur ex Buslidij legato. Si me amas, omnibus posthabitis, da operam ut ualeas. Magna morbi tui pars ab animo pendet. Si commodum est, accersere

Longum  
flere.

cerse ad te Franciscum, et uide utrum uelit facere quod scribit Lachnerus, an non: sed uerbis benignis, ut mihi si nolit, alia uia prospiciam: non enim sinam ut impunè me luserint. Si Linacri Galenus aduectus est, et Lutetia, rogo emas. Bene uale cum tuis omnibus amicorum suauissime. M. D. XVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Petro Aegidio S. D.

DE his quae nobis attulit Iacobus, omnia recte habent: nec diffido quicquam de Nicolao, sed mirabar tibi pecuniam non esse redditam. Doleo te angere in cerore: at ego non ob aliud repetebam meam, nisi ut tibi sollicitudinem adimerem. De sigillo nihil accuso, tantum extimula hominem per famulum tuum. Utinam scissem Pacæum isthic adesse, nam id ex illius intelligo literis, protinus aduolasssem. Epistola ad Dorpium me non ualde cepit: quanquam eam nondum perlegi. Quæso quod officium mihi offerunt Franciscus et Crullus, ut pro me scribant Archiepiscopo? aut quid diffidunt, cum pecunia sit mensura in manibus tuis, te fideiussore? Neque tibi est ullum periculum, nisi ut eandem pecuniam reddas, si quid accideret. O festiuos numones, et bellos amicos futuros, si incideret necessitas.

Olfecit

Oscit Crullus Cantuariensem non esse Cancellarium, alioqui uel donaret opinor. Si grauatur, sine illos: sin facient, facient sine ullo suo periculo rem gratam, sed opus est festinatione. Medicum mi Petre negliges, & fabulam nobiscum age. Extremae literae magis ac magis scurras olent, uerum haec bene erunt. Tu tantum cura, ut suauiter uiuas, teq; rebus melioribus serues, nos satis ualemus. Mitto Paraphrasim unam emendatam. Vxorcule bene precor, ceterisq; tuis omnibus. Louanij, Anno M. D. XVII.

## ERASMVS ROTERODAMVS

Petro Aegidio S. D.

**D**emiror quid illi furcifero meo uenerit in mentem, ut isthinc tam subico discesserit: nam eodem die scripseram, ex Mechlinia, quid fieri uelle. Obambularat animi causa nebula, isthinc Mechliniam, inde Bruxellam, inde Louaniam, illinc demum in Diest, post mensem huc peruenit, perditis uestibus, & consumptis decem aureis, itaq; abiici portentum. Cur autem haec epistola reddatur Cancellario, quam tuae adiunxi. Aedidimus aliquot epistolas, & inter has illam, qua Dorpio satis facimus, & illius epistolam aduocaturam, si ministro commississes, uti iusseram. Libellum adferet bibliopola. Excusum est Enchiridium, additis alijs

alijs quibusdam Nouum Testamentum coeptum erat, sed rursus intermissum ob inopiae castigatoris: simulatq; uel paululum dabitur ocij, tuum ademus epithalamium. Sedebimus hic usq; ad mensem Nouembrem. Bene uale cum tuis omnibus, amicorum optime. Anno M. D. XVIII.

## ERASMVS ROTERODAMVS

Petro Aegidio S. D.

**A**ccipies ab hoc nauta Antonio mea scrinia, unum quadrum ligneum funibus obuinctum, tria Gallica corio suillo superne contexta, repones uel apud te, uel alicubi in tuto, donec ipse aduenero. Nautae, si uidebitur, solues, nisi forsitan hic a me pecuniam exegerit, nondum enim cum illo sum pactus. Salutato Mōtioio, & alijs aliquot amiculis, mox adero, fauentibus superis, & omnibus de rebus coram confabulabimur. Illud demiror, Franciscum bibliopolam huc absq; tuis uenisse literis. Fac ut meae res in tuto sint, quas easdem tuas esse ducito. Bene uale amicorum optime. Londini, Anno M. D. XVIII.

## ERASMVS ROTERODAMVS

Petro Aegidio S. D.

**D**emum mortalem, quid imprecet istis comperendinatoribus? Si Hieronymus nondum est concin-

concinatus, fac modis omnibus extimules Callipides  
 iſſos: ſin eſt, cura ut quàm primum ad me ueniat. Pe-  
 trus Cocles fort. aſſe decumbit, nam audio non modo  
 ſpoliatum, uerum etiam delumbatum: id ſi uerum eſt,  
 doleo uicem hominis. Iam Coletto ſcripſi, ut ſuccurrat  
 homini. Tonſtallus item ex animo dolet. Nolim te huc  
 uocari tuo incōmodo: quod ſi eſt, cur huc te recipias,  
 uenies gratiſſimus Tonſtallo, tum adferes tecum ar-  
 gentum, relaturus aurum. Franciſcus ſoluit, ut ait, ca-  
 terum pro Petro negat ſe fideiſſiſſe. Accepi ſyngra-  
 pham à Maruſſo, qua nonnihil auxit æſtimationē du-  
 catorum. Vtopia in manibus eſt typographi. Bene ua-  
 le cum dulciſſima cōiuge, optimū parentem meis uer-  
 bis ſalutato diligenter. Bruxella decimoquarto Ca-  
 lend. Decemb. Anno M. D. XVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro Aegidio S. D.

**T**E filia auctū gaudeo, tum cōpatrem Tonſtal-  
 lū tibi gratulor, quo uiro nihil habet hæc ætas  
 nec eruditius, nec melius, nec humanius. Age ad iſtum  
 tenōrem uices gignendi fac ſerues, ut æqualis ſit nu-  
 merus filiorum ac filiarum. Mihi iam non uideo ui-  
 uere, adempto Tonſtallo, nec uideo tamen quò fugi-  
 am. Montioius abeſt longius. Louanium, tameſi cum  
 Theolo-

Gratulato-  
 ria.

Theologis utcuq; reſtitum eſt in gratiam, durius ta-  
 men nos acciperet quadrageſima. Hic ſedere diutius,  
 omnino nō eſt animus, ſi citra tuū incommodū cedere  
 potes cubiculū unū, quod habet latrinā, fort. aſſis iſtuc  
 immigrabo, paraturus quæ mittam Baſileam: quod  
 ſupra ſolitā rationē impenderis, mihi uolo imputari:  
 ita nec te magnoperè grauabo, nec tu me. Fac igitur  
 ut ſciam quàm primum, ſed caue ne quid moueas domi-  
 tuæ, donec abs te factus certior, te uiciſſim reddidero  
 certiorē. De pecunia nihil adhuc audio, & tamē mea  
 nonnihil reſert, ne ea diutius ſit in manibus ſcenerato-  
 rū. Vxorcula tuæ ſuauiſſimæ, fauſta omnia precor.  
 Fabulæ rerum noſtrarum prolixiores ſunt, quàm ut  
 literis cōmitti poſſint. Nuper apud Cancellariū pra-  
 dens, honorificam tui ſeci mentionem, & accepit ſatis  
 pronis auribus. Patri optimo, iam bis patri, multam  
 ex me ſalutē dicito. Bene uale, Bruxella pridie Agne-  
 tis, Anno M. D. XVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro Aegidio S. D.

**O**Pto parenti tuo optimo, id quod eſt optimū.  
 Iterum atq; iterum te rogo chariſſime Petre,  
 ut quod mutari non poteſt, ſeras certe moderatè, ne  
 te cōſcias dolore, tibi exitiabili, tuis graui et acerbo,  
 tibi

mibi Moroq; acerbissimo. Serua te tibi, serua te tuis, serua te rebus prosperioribus. Siue pater est incolamis, siue secus, scio te grauiter occupari, nõ luctu solum, uerũ etiã negocijs. Proinde ne quid ex meis etiã accedat, nisi Iacobũ meũ, ut quod habes rerũ mearũ, huc adducat: si quid tibi potest esse usui, tolle et scribe quid sustuleris. Atq; utinã summa omniũ quæ habeo, patris tuãq; salutẽ quæã redimere. Venissem ipse, sed metuo pituitã, & sum in restituendo nouo Testamento totus. A Moro binas accepi literas. Cura ut ualeas, & te fortem uirum præbeas. Si quid erit in quo tibi quæcum facere gratum, facito periculum, an ex animo te diligam. Louanij pridie Martini.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro Aegidio S. D.

**S**oles ultrò me tuis prouocare literis, at nunc nec placebitus respondes. Scripseram de cõmentarijs, de quibus cum Badio pactus eram, habebam Franciscum nonnihil suspectum, quod parũ integra fide rem tractasset, itaq; cupiebã tuis literis certior fieri. Dicã non potest q̃ doleam, nostros paulatim his inuolui bellis, tot iam bellis, uel ut uerius dicam, latrocinijs diuexatos. O Theologos elingues, ò mutos episcopos, qui tales rerũ humanarũ pestes taciti spectãt. Scribito mi Petre, ac uale.

Eras

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Gonello suo S. D.

**L**ondini salutauit Meccenates meos, Archiepiscopum & Montioium, ad hæc amicos aliquot destinaram munusculo adoriri, & in his regiũ Eleemosynarium, nunc episcopum Lincolnensem, sed ofensus Londino, nondum enim illic uersari tutum est ob pestilentia, in aliud tempus distuli. Rex laborabat cum illic essem, hoc est, Richemondie sabato proximo, sed medicus aiebat eum euasisse periculũ. Adest Londini summi Pontificis nuncius, episcopus Theatinus, uir, ut aiũt, undequaq; doctissimus, de pace inter principes tractaturus, sed frustra. Is magis, ni fallor, suum aget negocium, quã nostrum. Proximo Maio rex trahiet, unaq; sororem Mariã secum abducet. nupturam principi nostro. Equum remissi, mone sapius, ut pater eũ bene tractet. Est apud me, quod putem tibi gratum fore, sed mirũ quanta hic scriptorũ inopia. Bene uale charissime Gonelle. D. Greanũ meis uerbis saluta. Anno M. D. XV.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro Aegidio.

**S**alue charissime Petre. Per omnia sacra te oro, ut fortem humana conditionis forti seras animo.

De patre bene spero, sed tamen si quid accidat, caue ne duos simul amittam. Quid iuuat inanis, imò noxius dolor? Mone Nicolaum in primis, ut rem dissimulet, neq; cuiquã effutiat ad quem adeat in Angliam, aut cuius nomine accersitus: & si non eat, tamen taceat: fingat causam à uera alienissimã. Rem ex secretarij literis, & ex Iacobi mei sermone cognosces. Bene uale amicorũ optime, & uirum te præbe, imò meminervis hominem esse te, & uitæ huius fabulam age. Bene precor tuis omnibus, & in primis optimo patri. Scripsi Banyfio. Louanij tertio Nonas Nouemb. Mi anime, post istas procellas, insignem aliquam serenitatem expecta, atq; illi te serua. Rursum uale. Si quid opus erit uel in tuo negotio, uel in negotio Nicolai, ipse aduolabo. Anno M. D. XVI.

ERASMVS AND. AMMONIO S. D.

**B**IS nos exhiberas Andrea suauissime, dum uiuo. Biucundissimo literas addis multò iucundiores, planeq; tuum ingenium, tuosq; mores respicientes, quibus mea quidem sententia, nec fuit unquam, nec erit quicquam mellitius. Quare duplici nomine tibi gratias agimus. De pecuniæ mentione quod succenses, equidem non ignorabam animum tuum, regia fortuna dignum, uerum existimabam te missurum utrem maius  
sculum,

sculum, in menses aliquot duraturum: quanquam hic quoq; maior erat, quàm ut ab homine modesto gratis accipi possit. De Græco epistolio risimus adfatim. Iniquissimus sim, nisi Moro dem ueniam, tam serijs occupato negocijs. Demirror te sic perpetuò nidum premere, nec usquã euolare. Hanc Academiam si quando libeat reuifere, multis gratissimus ueneris, mihi in primis. Quod iubes me isthuc redire si perduret languor, nihil uideo quod mihi blandiatur Londini, præter duorum aut trium amicorum cõsuetudinem. Verum his de rebus alias. Audio Iulium maximum uita defunctum. Vale optime Ammoni. Frequenter ad nos scribas rogo, gratius mihi facere potes nihil. Cantabrigiæ è collegio reginæ. 16. calend. Septembris. Anno M. D. XI.

ERASMVS AMMONIO S. D.

**M**alo quodam genio meo non licuit tecum, cum isthic adessem proxime, congregi mi Andrea: nam cum primum aduenirem, nihil minus suspicabar, quàm te etiam num apud Morum agere, præsertim cum Iodocus bibliopola mihi confirmasset, te iam in collegio diui Thomæ uersari. Postridie mane pulsauis fores cubiculi tui, nec eras domi. Vbi redissem à sacro, sensi strepitum equitum: iussi Linacrum

prospicere: nam ego scribebam, nescio quid: ille nunciat te discedere. Sed postea quam iam abieras, multis modis cupiebam tecum colloqui, uerum id alias licebit. Rogo facias me certiore, quid de aduentu Monte iouij isthic feratur: præterea num pestis tanta, quam tam prædicant: postremo si quid est de rebus Italicis Gallicisque, quod tuto literis committi possit. Bene uale. Cantabrigiæ tertio nonas Octobres M. D. XI.

ERASMVVS AMMONIO S. D.

**N**ihil erat noui quod scriberemus, nisi quod mihi decretum est, neminem, qui modo certior contingat, nostris ad te literis inanem hinc dimittere. Scripseram ante dies pauculos. Cupio scire quid ualeas, num Monioius meus iam redierit: tum quid procedat res Italiae: quid agat inuictissimus Iulius. Sub Brumam ad uos superis uolentibus, remigrabo, si modo rigor hyemis pestem restinxerit, quam audio isthic increbrescere: nec ea quidem longius hinc abest. Hactenus prælegimus Chrysoloræ grammaticen, sed paucis: fortassis frequentiori auditorio Theodori grammaticam auspicabimur: fortassis et theologiam suscipiemus, nam id nunc agitur. Questus minor est, quam ut me moueat, tamen interim et benemeremur de studijs, pro nostra quoque uirili: et menses aliquot, ut Ouidiano utar

uerbo,

uerbo, decipimus. Cura ut recte ualeas mi Andrea, mortaliū omnium mihi charissime. Fac uti frequenter ad nos scribas. Cantabrigiæ postridie Idus Octob. 15 11.

ERASMVVS ANDREAE

Ammonio S. D.

**D**E præfatione carminum quid fieri uelis, quam primum rescribe mi Andrea: nam Monioius omnino non probabat. Prouerbiū quod isthic ostendisti, annota, nam mea hic denuo imprimuntur. Aldina habentur uenalia, et quidem mediocri præcio, hoc est sesquiscutato, cum plures Romæ uenirent. Si qui uolent, petat ab Italo illo, qui solus Aldinos libros distrahit. Reuerendo patri episcopo Dunelmensi modis omnibus me facies commendatum, cui scribam, ubi et octū contigerit, et nuncius paulo certior. Luteciæ 5. Cal. Maias, Anno M. D. X.

ERASMVVS ANDREAE

Ammonio S. D.

**G**Audeo N. ereptum è carcere regio, id si tuo quoque bono factum est, duplici nomine gaudeo. Amo Coleti tam Christianum animum: nam eius unius opera liberatum audio, cum is semper à Coletio inter amicissimos habitus, cum iam amicus urgeretur episcoporum calumnijs, ab illius aduersarijs steterit. Epi-

t s stolae

stolas quas ad Leonem & Cardinales scripserā, adidi, sed locupletatas. Si quid responsum est, aut si quid est, quod mea refert scire, quaeso scribas per hūc unoculum Petrum, quē hac gratia meo sumptu misimus in Angliam, mox hunc rediturum: nam febricula repente oborta uetat, quo minus traiciam: & est quod Carolo sit ad dies aliquot gratificandū. Superior illa Germania sic mihi modis omnibus arrisit, ut uehementer doleam tam sero mihi cognitam. Nihil non detulit honoris Erasmo episcopus Basiliensis, uir omnino frugalis, ut ferunt, alioqui, obtulit pecuniam, obtulit fortunam, equum coëgit ut acciperem, quem mox urbē egressus, aureis quinquaginta reuendere poteram: sed prestat coram hunc Thrasonē agere. Bene uale, ac scribe, saltem quid ualeas. Apud diuum Audomarum, nonis Iunijs M. D. XII.

## ERASMVS ROTERODAMVS

Andrea suo S. D.

Vide quaeso insignem impudentiam meā. Mitto ad te Icaromenippum, ut aut ipse describas, si citra tedum aut incommodum queas, aut agas cum Moro, ut fratri transcribendum cōmittat. Nam escas aliquot paro in Calendas Ianuarias, etiam si frustrā, si fallor. Et hic (ō Academiam) nullus inueniri potest,

testis, qui ullo precio uel mediocriter scribat. Sed omnia potius mi Andrea, quam ut mea gratia tediū ullū capias. Literas oro reddendas cures ijs, ad quos destinatae sunt. Cura ut te quā optime ualentem offendam. Cantabrigiae Quinto Calendas Decembres, Anno M. D. XII.

## ERASMVS ANDREAE

Ammonio S. D.

Remisi tandem cenophorum tuum unā cum uersiculis male natis. Auriga confirmat se reddidisse Moro, quod id temporis aberas. Ad Cal. Ianuarias isthuc remigrabimus, ut uel fotu mutuo minus ageamus: nā hic aestiuare malim, quā hybernare. Postremo non expedit diutius tam procul abesse à Ioue meo: quanq̄ hic locus nō omnino mihi displicet. Tum quæstus uideo nonnihil, si quis ardelionē possit agere. Perquam cupio scire quo animo Vintonien. & Duhelmensis meas acceperint literas, ad hæc si quid aliud est noui. Gratium mihi feceris, si has literas, quas tuis adiunxi, in Italiam perferendas cures: nunc planē est illud Homericum, ἀπὸ τοῦ βοῦ. Opinor auditas à Ioue preces istius, cuius libellum tibi tradidi, qui fontes, flumines, lacus, stagna, ad lachrymis deplorādā Italice calamitatē inuitat. ἡμῶν δὲ λύκος εἶναι ποῖός τε ποσ, sit adēpta.

Multus imber.

Lupus prior nos uidit. In rautas cū dicitur, & cui uox sit adēpta.

ut nūc

ut nitibus sit loquendum. Tanta est raucedo. Bene uale, ac frequenter ad nos scribe. Cantabrigiæ. 4. nonas Nouembris. Anno M. D. XI.

## ANDREAS AMMONIVS

Erasmo suo S. D.

**A**VT egregiè infaustus est minister meus, ut quicquid per eum agatur male cedat, aut uulgus Cantabrigiense barbarie inhospitales illos Britanos nos antecedit. Ita omnium officiorum est ignarum, & omnis prorsus humanitatis expers, cuiusmodi uidere aliquot opto illam longam ex se literam facientes. Nesciunt isti frè quid sit epistolâ suscipere, quid postea non reddere: nesciunt (ut lenissime dicam) quot homines sua uoluptate defraudent, quos ut inofficiosi iudicentur, efficiant: nesciunt porro non unius tantum hominis salutem ex unis quandoq; literis pendere. Conatus sum simul atq; tuas literas accepi, eis q̄ celerissime potui, respondere, ut si non stilo, at saltem officij celeritate placerè. Dedi pro literarū uectura id paucillum quod petiere. Remisi postremò cum epistola Græcanici alterâ lagenâ, unas tamen literas ad te solû perlatas fuisse uideo: & unâ cum officio curâ, si quâ in scribendo adhibui, perisse. O hominū monstra, que (ita me deus amet) iamiam discerpi libetè spectarè.

VNUM

Vnum tamen me solatur, quod ita meum erga te animum perspectum tibi esse puto, ut licet tibi nunquam scriberem, nihilominus tui me studiosum & amantem existimares. Nouissime literas, & alterâ ut dixi Græcanici lagenam, ei qui tuos libros isthuc aduexit, meus Thomas credidisse se ait, aliàs uero quibus dederit nescio. Vinum si epotum est, da operam ut lagenam saltem recuperes. Sed faceat hæc bilis qua profectò totus ferueo. Tuas literas domino Vuintoniensi & Dunelmensi in manū reddidi, ambo uultu sanè quàm hilari exceperè, ambo raras dotes tuas mirifice laudarunt. Vuintoniensis te accusare uidetur, quod exterrum secum agas, nec unquam ad se accedas, respondis ut in buccam tunc uenit, subrustica quadam uerecundia te id agere, ipsi tamen quod sciebam esse deditisimū: nonnullaq; alia pro tempore. Sed hæc antequàm epistolas tuas legerent. Post illa fuerunt ita publicis rebus occupati ut interpellare de te non fuerit uisum. Verum suo tempore non omittâ. Tuus Mecenas, ut audiui, neq; enim adhuc uidi, iam triduo fuit urbanus. Iuppiter est nobis iratissimus, die pluit, nocte pluit, raro cessat. Pestis modū seuitiæ fermè imposuit. Sed fames nisi magistratus remediū aliquod adhibeant, subsequetur, malum nihilo peste mitius. Lignorums precium

precium auctum esse non miror, multi quotidie heretici holocaustum nobis præbent, plures tamen succrescunt, quin & frater germanus noster Thomæ, stipēs uerius quàm homo, sectam (si dijs placet) & ipse instituit & discipulos habet. Sed ad Italica trãseamus. Fœdus Romæ inter pontificem, regem Hispaniarum & Venetos iclum palàm fuit, his legibus: Rex hispaniarum equitibus cataphrattis, quos lanceas uocant, mille & cc. leuis armaturæ itidem mille, peditibus decem M. Pontificem iuuabit. Pontifex uerò equites cataphrattos. D. peditum octo. M. habebit in stipendiis: præterea auxiliariorum aureorum quadraginta M. in singulos menses dabit. Veneti exercitum quem posterunt, cogent. Concilium Pisanum male coit. Ferunt Cardinalem sanctæ crucis autorem schismatis impetrata per regem Arragoniũ, Pontificis uenia in Campaniam se proripuisse. Licet, quod præterierã, intra quadraginta dies cuiusq; Christiano principi idem fœdus inire. Postea arbitrio pontificis admittetur. Nostri quid acturi sint, ut conijcitur, magno renigiti compendio nondum deliberauerunt. Imperator huius rei spectator solũ erit. Rumor est Florentinos à Gallicis defectionem parare. Habes de rebus Italicis quæ hæctenus ferantur. Tuam raucedinẽ si hic fuisses unã potiuſ

potiuſcula extemplo curassem. Doleo spem tuam ad nos reditus ad Calendas usq; Iauarias productam. Gaudio tamen istam tibi prouinciam non male obtigisse, desiderium tuum commodorum tuorum magnitudine solabimur. Reliquæ tuæ literæ in Italiam cras sedulo perferentur: in tempore enim, ac propè in ipso tabellarij discessu aduenere. Cura mi Erasme, ut ualeas: & Bouillum nostrum terq; quaterq; meo nomine saluere iube. Iterum uale. Londini. Sexto Idus Nouembris. Anno M. D. XI.

ANDREAS AMMONIUS ERASMO Roterodamo S. D.

Itane tandem Erasme tuum Ammonium ludos, & delicias facis? queris quid sit, in quo nõ stadijs multis Erasmus præcurrat: infra quem uel centum passangis positum me esse non ignorem. Sed si posent omnia permutari, saxo actutum quod modo ais. neges. Nam extemplo ad permutationem te prouocarem. Iam pontificio & quidem amplissimo dignum me arbitraris? aut tam tu me amas quàm cupio, aut certe ἔρασμαίως iocaris. Quod me & si nihil accesserit fortunatissimum censes, sicutum rhetoricum agnosco, quod uerò bene ominaris, licet id potius à tua uoluntate, quàm à certa aliqua cõiectura proficiatur.

Canos capil-  
los.

Inutiliter.

Oportet q̄  
adeſt boni  
conſulere.

Sed non in  
tempore.

proficiſcatur, pergratum tamen eſt. Sed heu uates dī  
uinasti tandem cur λευκὰς τρίχας deplorē, quaſi  
iſta puella capillos, & non loculos potius inſpicient.  
Aureus hercle nummulus, qui ſummis digitis refulſe-  
rit, p̄ſo me Nireo pulchriorem reddere poteſt: non  
ea de cauſa triſtor, ſed quod uideo me ἀχρεῖον conſe-  
nuiſſe. Bene ruruſus mones, Δεί το πῶρον ἐν τῷ βιβλίῳ  
Sed iter mihi monſtres uelim dum non planē philoſo-  
pheris. Vuintonienſem iterum de te admonui, & ἀνα-  
καίρετος. Verum quum tu aderis, aliqua egregiam  
oportunitatē inueniemus. De cubiculo quid uelis pro-  
pemodum intelligo, ſed non reſpondes an libeat apud  
Griphum diuerſari. Sixtinum conueniam, & de lite-  
ris quod mandas renuntiabo, alloquar & Monioui,  
ac quā poterō ap̄tē, an illi aurei fuerint perſolui  
odorabar. Ac neſcio, an intellexeris Alanum ipſum  
hic eſſe, quod ſepe tibi ſignificare conſtitui, & ſem-  
per tamen excidit: Fuit ſub ſpecie quadam honoris  
reuocatus, re autem uera, quoniā Archiepiſcopi Can-  
tuarienſis negocium Romæ parum, ut audio pruden-  
ter agebat. Opto iſtos octo dies, quibus iſthic te adhuc  
futurū ſcribis, plus quā brumales, noctesq; pares  
diebus, ut unā citius uel inuita Nortia nugemur, &  
ego Eraſmi hilaritate perfruar. Accepi à bibliopola

binas

binas tuas cum Icaromenippo literas, ad quas etiā  
reſpondi. Bouilli epiſtola, lagena, & illæ tuæ breues  
literæ mihi redditæ nondū fuere. da operam ut ualeas.  
Londini, Nonas Decemb. M. D. XI.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Ammonio Suo S. D.

**I**Ta me omnes oderint muſæ, mi Andrea, ſi quid de Inſto.  
tua fortuna φυνκίω, & κενδυμὸς ἀπ' αὐτῶν. Nos die Omnia ex  
conceptæ uirginis Mariæ grauitè parturuiimus, ac  
animo.  
ſcopulos aliquot peperimus. Quin tu igitur inter feli-  
citatis noſtræ calculos, hunc quoque calculum ponis?  
Cum Vuintonienſi uide ne quid ἀκαίροτερον, πῶδ' Importuni  
τῷ τὸ πῶρον ἐν τῷ βιβλίῳ conſilium à me petis. Age us. De eo:  
docebo ſus Mineruam, nec admodum, quod tu uetas, quod adeſt,  
philoſophabor. Principio perfrica frontem, ne quid boni conſu-  
uſquam pudeat. Deinde omnibus omnium negocijs te lere.  
miſce. Protrude quemcumq; potes cubito. Neminem  
nec ames, nec oderis ex animo, ſed omnia tuo compen-  
dio metiare. Ad hunc ſcopū omnis uitæ ratio ſpectet.  
Ne quid des, niſi unde ſperes ſcenus: aſſentare omni-  
bus omnia. At iſta uulgaria ſunt inquis. Age, quando  
ita uis, accipe peculiare conſiliū, ſed heus in aurem. Britanni-  
Noſti τῆν Βριταννικὴν Ζηλοτυπίαν: hac in tuum cam zelo=  
bonum abutere. Duabus ſedeto ſellis. Suborna diuer-  
tipiam

u ſos pro=

Ipsa stulti-  
tia stultior.

fos procos qui te ambient. Minare & appara disces-  
sum Ostende literas, quibus magnis pollicitis auoca-  
ris, subducito te nonnunquam, ut subtracta copia de-  
siderium acuat. Cum N. mihi nihil est negocij. Qui si  
quid prudenter egisset, homo *μαρτίας αὐτῆς μαρτί-  
ατος* mihi ostenti loco fuisset: at successit non multo  
sapentior. Griphus mihi mirè placet per omnia, sed  
magis placet libertas. Auriga affirmat sese literas &  
lagenam reddidisse. Bene uale optime Ammoni. Can-  
tabrig. postri. lie conceptionis. M. D. XII.

## ERASMVVS ROTERODAMVVS

Andreae Ammonio suo S. D.

Epistola familiariter iocosa.

**D**E musis & opibus pulchre sanè philosopha-  
tus es in tuis literis. Ac mihi uidetur Pacatus  
nosster, & ipse data opera bonas dissimulare literas.  
& nescio quod dictionis genus affectare, quod Midis  
placeat potius quàm Musis. Quod si hac iter est ad di-  
uitias, ut ais, si quis sit à Musis alienus, certe non in  
postremis foret Erasmus, uel iudice Carmiliano. Nā  
quod te ipsum in hoc numero ponis, quis non uidet te  
palàm ludere? Porrò splendida illa uocabula, Musarum  
delitiū, atq; id genus alia, sic interpretor, ut existi-  
mē te uel hallucinari amore nostri, uel tuo candore  
largiri

largiri, quod nō promereor: uel quod esse uerissimē  
arbitror, amiculū parum felicē istiusmodi laudatum=  
culis erigere cōsolariq; uelle. Vt cunq; est, uel debeo  
tuo in me studio, uel ingenij benignitatem amplector,  
uel officū amo. Quod serio moues, ut fortunā ambiā,  
agnosco uerum & amicum consiliū, & experiar, ta-  
meti uehementer animo reclamante, nihilq; prosperū  
ac latū præsagiente. Si me fortunæ alea exposuissem, Senecte i li-  
uterer lege lusus, & repulsus boni consulerē, nō igna mine tristi-  
rus hunc esse fortunæ ludū, ut alios erigat, alios refi- Hemistic hē  
ciat, ut cunq; lubitum est. Verū existimabam me id cu um est Ho-  
rassē, ne mihi res esset cū hac heratam procaci, cum meri lliad.  
Montioius nos ad portū ac rem factā accerferet. Nec 10. Senecte  
me uel tantillum cruciat fortunæ benignitas in alios, limen anti-  
quantumuis indignos, ita me deus amet, tui uerò tuiq; quitus ap=  
similiū successus uerā ac non uulgarem adferunt mihi pellabāt ue-  
uoluptatē. Deniq; si ad meritōrū calculū ac rationem lut extre=  
uocandus essem, hanc ipsam fortunā puto supra meri mū autum-  
tum esse. Metior enim ipse me meo pede, nō tuis lau- num etatis  
dibus. Vnum illud male habet animum, quod is uerba humana,  
dedit, cui uni tam unice fidebā. Et rursum licet grauis- cū iam ap=  
simum sit onus paupertas, præsertim *χαλεπὸν ἔσθ* petit hyems  
*ὑπερῶς ὀδῶν*, tamen pudore magis commoueor quàm decrepita  
inopia. Quāq; hic quoq; mihi concoquendus dolor, senectis.

Et perfricanda facies, si his fatis natus sum, non est  
 Id est, cum meum  $\theta\epsilon\iota\sigma\ \mu\epsilon\alpha\ \chi\epsilon\iota\upsilon$ . Quod tuas res mi Ammoni felici  
 deo pugna ter prouehit  $\phi\epsilon\rho\omega\upsilon\ \acute{\alpha}\nu\epsilon\mu\acute{o}\varsigma\ \tau\epsilon\ \nu\acute{o}\tau\epsilon\ \nu\ \sigma\tau\omega\sigma$ , maximo  
 re. perē g audeo, non solum quod ista contingunt amico,  
 Ferens uen uerū etiam quod promerenti. Quāq̄ quid adhuc in  
 tusq;  $\& a=$  te contulit fortuna, uel istis literis, uel istis dignū mo  
 qua. ribus? Subuerer, ne tuæ felicitati blandiri uiderer,  
 ni nossem tibi satis perspectum esse ingenium meum,  
 qui ne satrapis quidem soleam assentari. Verum aut  
 me fallit animus, aut summi honores manent Ammo=  
 Amas mei. niū. Vide, quæso, q̄ sim  $\Theta\iota\lambda\epsilon\upsilon\tau\ \&$  in Adagijs meis,  
 ut nemini putem esse nota, nisi mihi. Si quidem suscipia  
 Nihil ad bar fugere te prouerbium illud  $\acute{\omicron}\upsilon\ \delta\epsilon\upsilon\ \pi\rho\acute{\omicron}\varsigma\ \acute{\epsilon}\pi\ \&$   
 uersum. Huic autem errori meo ansam dedit,  $\sigma\omicron\iota$  pronomen  
 abs te additum,  $\&$  ni memoria labor,  $\pi\rho\acute{\omicron}\varsigma$  omissum.  
 Nam in præsentianon erat ad manum epistola tua:  
 $\nu\omega\acute{\omicron}\kappa\rho\iota\upsilon\epsilon\upsilon$  enim facile coniectabam,  $\acute{\alpha}\pi\ \acute{\epsilon}\kappa\rho\iota\upsilon\epsilon\upsilon$  te  
 uoluisse scribere. Non redditas fuisse nec tuas illas  
 priores, nec Baptistæ literas, hoc certe nomine gau=  
 deo, quod interim curā dolorēq; lucrifecerim, quem  
 moribus illius nunciatus attulisset. Neq; uoluptatis lu=  
 cro frustor, quod reuixerit, simulq; mihi gratulor, q̄  
 domi remanserim. Istos hostes magis metuebā q̄ Gal=  
 los: quanquā anceps bellorū exitus. Quod offert ho=  
 spitijs

spitijs mensaq; cōmunionē,  $\&$  amo  $\&$  habeo gratiā.  
 Video totū illi mutātū esse consiliū, posteaq̄ accersit  
 filios. De Carmiliano nō modo satis facis, sed pietatem  
 etiā laudo, qui neglecto nebulone patriæ consulas ho=  
 nori. Sed utinam omnes hominis mendas possis tolle=  
 re magis cōsuleres patriæ, hoc est,  $\tau\omega\ \acute{\omicron}\lambda\omicron\upsilon\ \acute{\alpha}\nu\epsilon\lambda\epsilon\upsilon$  Totū occi=  
 $\kappa\alpha\tau\epsilon\rho\omega\sigma\upsilon$ . Demiror te posse succensere tuo Tho dere scelus.  
 mæ famulo tam prudenti tamq; uigilati, ut rebus tuis  
 melius cōsulat quā tu ipse. Rogo ne hoc illi, sed meis  
 factis imputemus. Nunc ad Panegyricū tuum accedo,  
 cuius me, si dijs placet, iudicem facis ac censorem, tan=  
 tumq; potestatis permittis, quantū Homerus tribuit  
 Ioui, ut nutu ac renutu probem quæ uelim, iugulem  
 quæ lubeat. Equidem non mihi tantum arrogo uel in=  
 genij, uel eruditionis, ut tua uel emendare possim uel  
 censere. Illud ingenuē fateor, nihil esse quod abs te  
 profisciscatur, quod nō uehementer admirem, siue mi=  
 hi cōtingat hoc iudicio ( quandoquidē de summis ope=  
 ribus iudicant nonnunquam  $\&$  mediocres artifices )  
 siue sensu quodā ingenij. Amore certe non labor, qui  
 hunc amorem ex admiratione scriptorū tuorū haufe=  
 rim. Verum uti diuersis oculis aliæ atq; aliæ placent  
 formæ, diuersa palata, cibus alius atq; alius delectat:  
 sic opinor  $\&$  in ingenij: uarium quendā esse sensum,  
 u 3  $\&$  ar-

Et arcuam quandā cognationem, uel etiam dissidū.  
Ostenderat olim Hault noster, nescio quas schedulas  
de nihili rebus, sic neglectim abs te scriptas. Ex harū  
gustu proinuis conceptam admirationem et amorem  
ingenij tui mecum in Italiam extuli: eamq; rursus ue-  
nam in Montioicis literis agnoui: tametsi manus peni-  
tus exciderat. Habes sententiam meam de tuis omni-  
bus. Iucundum autem est tua non eruditis modo place-  
re, quibus nisi sint inuidiosissimi, nō uehementer pro-  
bari nō possunt, sed summatibus etiā uiris, atq; adeo  
Archiepiscopo Eboracensi. Quod eruditorum calcu-  
lis approbaris, non possum isto nomine te uocare feli-  
cem. Felicissimū autem iure dicam, qui isti tantoperē  
placeas uiro, plurimumq; debes Rhamnusiae. Sed tu  
iamdudum iudicium efflagitas exactius, atq; hanc cla-  
mas laudationē esse non censurā. Age ne parū mori-

**Pelle leonis** geri uideamur amico, cui nihil negare sit fas, *τῷ λε-  
ῖνδω*. Vi *οὐτῷ γῖδ' ὅσ' οὐκ*, simulq; censoris et uirgulā su-  
de prouer. mam et supercilium. Ita rem gestā narras, ut ex nul-  
auctoris: In lius commentarijs potuissē plenius cognoscere. Pri-  
duditis me mum de latronibus interceptis: deinde quemadmodū  
leonis exu frustra regem conati sint hostes intercludere: deinde  
uium, cum reditum esset ad pugnam, quā turpiter fuge-  
rint, ducibus ipsis captis: præterea Morinum cap-

tum, Scotos interim duobus praelijs ad internitionem  
penē cōcisos: ad hæc inuitante scilicet cœli serenitate,  
quasiq; suadentibus superis captum Tornacū. Super  
omnia maiestatis imperatoriae in castra tam familia-  
rem aduentum. Sunt qui poëma non putent, nisi deos  
omneis è cœlo, mari terraq; subinde aduoces, nisi sex-  
tentas infulcias fabulas. Mihi semper placuit carmē,  
quod à prosa, sed optima, nō longè recederet. Quē  
admodū Philoxenus suauissimos iudicauit pisces, qui  
pisces non essent, et iucundissimas carnes quæ carnes  
non essent. Rursus amoenissimā existimauit nauigatio-  
nem iuxta littus, ambulationem iuxta mare: ita me ue-  
hementer delectat poëma rhetoricū, et rhetor poëti-  
cus, ut et in oratione soluta carmen agnoscas, et in  
carmine rhetoricā phrasin. Alijs longius petita pla-  
cēt, at mihi uel præcipue probatur, quod orationē ex  
ipsis rebus sumis, nec tā studiosus es ostētandi ingenij,  
quā ostendendæ rei. In pauculis uersibus desidero  
compositionem paulō molliorē, uerum id accidere so-  
let, aut quoties non uacat sæpius eadem recudere, aut  
cum maioribus intēti uirtutibus, illa negligimus. Vnā  
carmen mihi uisum est humilius: Ut possis oculū gal-  
lis exculpere utrunq;. Hæc iam si nimium libere fa-  
cere uideor, tibi imputabis qui mihi personam hanc

imposuisti. Carmen hoc impendio nobis arrisit: Dum tu absens procul & regno diuisus ab Anglo, Gallorū diffringis opes & uictor oberras: propterea quod mire rem mihi certe subiecerit. Iam enim uidere uidebar Alexandrum illum magnum ultra Indos armis grassantem, & transmissso oceano, alium orbem quærentem quæ uinceret: ac uictoricibus copijs per omnes nationes latè uagantem, passim capi, uinci, dedi, quicquid obuiū. Fuere quos serio uersus hic offēderet: Nostrorum princeps tam re quæ nomine regum. Itaq; qui transscripsit, Vachanus homo doctus & cādidus, mutauerat cunctorum: Dego subiecit, nullorum, non placuit: rursum alius mutauit stultorū: ne id quidē. Rursum Dego: Non re, sed nomine, reiectū est: nec re, nec nomine, abnuerunt. Deniq; quando nec hoc placet, quod abs te positum est, nec quod ab alijs mutatum: ipse uideris, quid scribi uelis. Arrisit & proximus uersus, Angustanuper qui maiestate remissa: aiunt enim, qui rerum arcanas uires scrutantur, hanc esse uim *ἄστρον*, ut astricta laxet ac dilatet. Item ille, In tua felici se contulit omine castra, *ἔστι δὲ αἰὼνός ἐστις* & *ὁ γὰρ σὸς*, præsertim *ἔστω ποικίλ*: sunt & alia permulta digna quæ notentur asteriscis: quæ si scholijs aliquot in carmen tuum additis, indicauero, ecquid erit precij?

Auro.

Vñ augurium est optimum.

Ipſū aurū.

Illud

Illud apprecor, ut quæ erudite, quamq; ingeniose καὶ ἀδουλιῶς, tam idem facias feliciter. Habes Aristarchi de Carmine tuo iudicium, at uicissim huius iudicij te iudicem facio. Ex Pacei literis intelligo te Scotici constitus historiam descripsisse: eam legemus, quum aduenierimus. Pacei tam candidum in te animum esse summo perē gaudeo: nihil est eo uiro nec amantius, nec integrius. Lusimus & nos pridem in fugam Gallorum, sed Musis & Apolline nullo, carmen ad te misimus: non potest nisi semel esse molestum, quum sit breuissimum. Qui te meis onerauit literis, haud fecit ex animi mei sententia: ipse literas ad omnes efflagitat, id est, Etans sese nusquam non iturum, ac tantum non uniuersam lustraturū Angliam. Si dabitur comoditas, redde: sin minus, cōiūcito uel in ignem, potius quam ut eo graueris officio. De literis quas me negabā accepisse, nihil ad dubitabam: tamen lucro fuisse tuam suspicionem gaudeo. Neq; enim mediocre solatiū adferunt tuæ literæ, præsertim in tanto rerum tædio. Includimur pestilentia, obsidemur latrocinijs, pro uino bibimus uappā, & si quid uappa deterius: truncatur census, lo triumphe, sic ouamus orbis uictores. Carmen tuum & hic passim rapitur, transcribitur, ac laudatur ab omnibus ut eruditum & ingeniosum. In ne-

u 5 gocio

gocio prouerbiorū pessime sum acceptus ab istis bibliopolis. Quidam ea formulis excudit Tubingæ, sed ita imitatus additionē Aldinam, ut parū attentis eadē uideri possit. Commiseram exemplar emendatum ac locupletatū Francisco, qui libros fermē omnes solitus est huc importare, ut uel Badio, uel ex illius sententia committeret alij. Is bonus uir, rectā Basileam deportauit, ei in manus dedit, qui iam excuderat, ut hæc tum demū adat, cum sua diuendiderit, hoc est, post decennium. Complures item libellos ex Plutarcho ac Luciano uersos, commiseram Badio tradendos, ut superioribus quos habet, adiungeret, & hos illi, uti suspicor, tradidit, utq; plures mittam rogat. En Sicambricam fidem. Sed est quo me ulciscar: seruatum est Adagiorum exemplar, & quidē aliquāto copiosius eo, quod ille abstulit. Cretissabimus cum Cretensi. A natali statim isthuc aduolabo, nisi Iuppiter nos alligarit domi. Laracum, uirum omnium quos in Anglia nouerim, humanissimum, cādidissimūq; quæso uti meis salutes uerbis. Rogo ne graueris in proximis ad Pacæum literis ascribere, uti tibi significet, quid actum sit de libris meis, quos Ferrarie reliqueram: nonnihil suspexit mihi illius silentium: non quod quicquam de fide illius adlubitem, sed quod uerear, ne quid

acciderit

acciderit commentarijs meis, quod ambo nolimus. Bene uale Ammon. Cantabrig. natali diui Thomæ. Anno M. D. X.

## ERASMVSVS ROTERODAMVS

Andreae Ammonio suo S. D.

**E**Xpecto iam magnifica illa stratagemata, tum quantum in zonis sit allatum. Scripserā ad te in castris agentem, semel & iterum per Ioannem Lothoringū. Nobis interim non minus acre bellum fuit cum mendis Senecæ ac Hieronymi, quā tibi cū Gallicis. Quāquam non fuimus in castris, tamen de Gallicis manubijs decem coronatos dedit Dulnemensis. Sed hæc quum te uidero: interim literas tuas expecto militares. Bene uale amice singularis. Cantabrigiæ, sexto calendas Decembres.

**N**on est necesse rogare te, q̄ semper tua spontē facis, tamen rogo, ut si quando inciderit oportunitas, cōmendatione uocis tuæ iuues res nostras. Certum his mensibus paucis, sacram iacere ancorā: si succedet, imaginabor hanc esse mihi patriam, quā Romæ prætuli, & in qua me senectus deprehendit: sin minus, abrumpam me: nec magni refert, quod: certe alibi moriturus. Superos omnis testes inuocabo, fidei qua me is quem scis, perdidit. Quod si tribus uerbis

essent

esset pollicitus, quod ille toties tam magnificis recepit: scio quid pollicear: summa prestabo fide: dispere am, ni mori malim, quam hominem ex me pendentem destituere. Tibi mi Ammoni gratulor, cui fortuna, sicut audio, feliciter aspirat, non usq; quaq; iniqua qualis qualis in nos est. Rursum uale. An. M. D. IX.

ERASMVS ANDREAE SVO S. D.

**R**emitto lagenam tuam, quam uacua diutius apud me detinuo, quo uel odore uini fruerer Graecanici. Tu pro optimo uino, uersiculos accipies

pesimos, hoc est planè, *ἢ τὸ ὀμνητικὸν ἐκείνο,*  
*ἤλικια χρυσείων.* Porro iambi me autore iam desunt *ἐγκωμιάσειν.* Carmen ascribam.  
 Quicumq; dotes reputet Ammoni tuas,  
 Oculisq; totum lustret admotis propè  
 Oris decus, proceritatem heroicam,  
 Vultuq; toto, & uniuerso corpore  
 Bene temperatam dignitate gratiam,  
 Nitentium blandum uigorem luminum,  
 Linguaeq; plectrum tam suauè tinniens,  
 Mores debine, horas ad omneis commodos,  
 Faciles, amicos, melle melleos magis,  
 Veneres, lepores, gratias, risus, iocos,  
 Mitem indolem, mentisq; candorem nouum,

Mireq;

Mireq; mixtam simplicem prudentiam;

His pectus adde, sordido auersum lucro,

Dextramq; quam pro sorte largiusculam:

Iam quam benigni uena diues ingeni:

Quot animus unus expolitus literis:

Ac rursus his par addita est facundia.

Demum uniuersa hæc rara condit comitas,

Et improbi liuoris arcet fascinum

Modestiae iocunditas, cum dotibus

In tam superbis, nil superbum in moribus.

Hæc quisquis inquam pensitet, tot affatim

Congesta in unum: nonne meritò dixerit,

Soli parentem fuisse naturam tibi,

Contra, nouercam ceteris mortalibus,

Horum ipse quamuis debeas tibi pleraq;

Restant tuæ fortuna iam partes, uti

Dotes ita amplas, opibus exæques tuis,

Nisi uis uideri aut cæca planè, aut inuida.

Rogo ut has literas, quas tuis adiūxi, reddas episcopis ad quos scriptæ sunt, ubi uel ipse uises regiam, uel certum hominè nactus eris. Cura ut recte ualeas. Iubet te saluere Bouillus, candidus, ac tui non dissimilis amicus. Expecto literas tuas: nam unas adhuc duntaxat accepi. Si inciderit opportunitas apud tuos episcopos

scopos, fac is sis, qui semper in Erasmum tuum esse consueuisti. Si tua carmina ueneunt Londini, rogo ut libellum unum huc mittas. M. D. XI.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Ammonio S. D.

**B**ellè haectenus mihi fuit usq; ad nidorem hypocaustorum, quæ nuper incendi cepta sunt. Hieronymus in processu est. Nouum testamentum iam aggressi sunt: ego nec manere possum ob intolerabilem nidorem æstuariorum, nec abire ob opus inceptum, quod sine me nullo pacto possit peragi. Eluetij nostri magnoperè stomachantur aduersus Gallos, quod sibi in acie non cesserint ciuilitè, ut olim cesserant Anglis, sed machinis suis multos dissipauerint. Rediere domum aliquanto pauciores quàm exierant, laceri, mutili, faucij, signis dissectis: proinde pro epimicij celebrant parentalia. Epistolà ad Leonem, cum alijs nonnullis curauimus edendam, sed locupletatam: si quid responsum est, quod ad me uehementer pertinet, significauis tuis literis, sed cautè. Si ualetudo patietur, commorabimur hic usq; ad natalem Christi: sin minus, aut Brabantiam repetemus, aut Romã recta. Eboracensis donauit me præbenda Tornacensi, sed ἀδωρα δωρα, si quid nouetur res. Huius commissariuss

sarius, schedis publicitus affixis, fuit excommunicatus in Flandria, tanta illic Eboracensis reuerentia. Uiuat, ualet, ac triumphat episcopus eius loci, uir nobilis, doctus ac potens. Accepimus tamen: nihil enim facilius quàm amittere. Optarim Epigrammata tua si fieri possit, quod & ante hac scripsi. His literis facile ignoscet, si scias, quibus eiusdem generis obruar laboribus Bene uale doctissime Ammonio, & Erasmo fac sis, qui fuisti semper. Basileæ, postridie Calendæ Octobres. Anno M. D. XIII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Andræ Ammonio suo S. D.

**V**in' ridere ubi Bruxellam reuersus, Cancellarium Meccenatem meum salutassem: ille ad consiliarios adstantes uersus. Iste, inquit, nondum nouit, quãtus sit. Rursum ad me, Princeps, inquit, conatur te episcopum facere, & iam cõtulerat episcopum haud aspernandam, ea est in Sicilia: uerum post cognitum est, illam è reseruatârũ, ut uocant, catalogo non esse: proinde scripsit pro te summo Pontifici, ut patiatu te potiri. His auditis, non potui tenere risum: & tamen placet animus principis erga me, uel potius Cancellarij, qui re ipsa princeps est. Utinã œconomia huius comœdiæ feliciter cedat: nam eodem

fermã



peruclit: at de alieno potius quàm de suo. Scripsi ad eum, & episcopum Vuigorniensem, haud multò post quò discesseras. Quod Bruxellæ sis hyematurus, consilium probo, tum ut Louanienfium scholasticorum molestias effugas, tum ut frequēs in aulica ista luce conspiciaris, tuosque tui coràm submoneas, & suspiratis fortunæ statum concipias: poteris & tibi, & patriæ esse utilis, si propius uestrum Iouem accedere non grauaberis, non longus erit labor, & aliquid ferendum, & studijs non nihil detrahendum esse censeo, ut reliquæ uitæ comodis & dignitati cõsulas. Habes aulicã sententiã. Lupum istum si dimiseris, quod citra ullum periculum meo iudicio facere potes, Euripideus omnino exitus cum manet, querit hanc famã, ut dicatur cum Erasmo contendisse. Sed tu ab ea scabie ungues abstineto, quã hoc magis foueris, quo magis scalpseris, *Bene*

Mitte hunc  
lupum ad  
comos aut  
ad canes.

*τὸ τῶν δὲ λυκῶν δὲ ὑποκαὶς ἢ πρὸς τὸς κύνες.*  
De tuo Hieronymo gaudeo isthuc esse allatum: breui enim ad nos transuectum iri scio. Proinde fac, ut ne paginam quidem ad me mittas, nihil propero: siquidem haud tantum ocij mihi est, ut uel Ciceronem bis uno mense legere queã. Vis noui aliquid? aduenit huc Cardinalis Sedunensis ille Heluetius, quẽ sum allocutus, & uidetur mihi homo ingeniosus, impiger, acer, facundus,

cundus, strenuus, & admodum theologus. Morus tuus bellissime habet. Tonstallo diligenter me comendabis, cui gaudeo te esse tam familiarem. Beatus mihi uiderer, si uestris colloctionibus liceret interesse. Cura mi Erasme ut ualeas. Ex Vuestmon. XIII. Calendas Nouembres. Anno M. D. XIII

ERASMVVS VRSEVVICO S. D.

**E**qui tui genius mihi fuit magnoperè felix, nam bis iam Basileam usque uexit ac reuexit incolu- mem, itinere licet periculosisimo, non solum longo. Sa- pit iam non minus quam Homericus Vlisses: siquidem mo- res hominum multorum uidit, & urbes: tot adijt uniuersitates. Dum Basilea meipsum penè laboribus eneco mensibus decem, ille interim ociosus ita pinguit, ut uix ingredi possit. Superior illa Germania, dictum mirum terano de quã tantoperè mihi arriserit: idque modis omnibus, & quam impense faueat Erasmo. Nouum testamentum non dubito quin uideris. Hieronymus totus propeditum prodibit in lucem, unã cum libello de Principis institutione Christiani. Quatuor Hieronymi uolumina nisi archiepiscopo Cantuariensi per hunc Petrum uolumen, tuum alumnũ, quem offendi sic incumbentem scribendis libris, ut se laboribus propemodum confecerit. Opinor homini fatum instare, qui tam sui discipuli

milis sit factus. Quin & abstemius propemodum est redditus, & uini osor. atq; hinc pallor insolitus. Tuorum in me beneficiorum semper meminero, quicumq; me terrarum angulus est habiturus. Bene uale. Apud diuum Audomarum Nonis Iunijs, Anno 1517

ERASMVVS ROTERODAMVS

Ludouico Suo S. D.

Epist. man  
latoria.

**M**itto ad te tres preces, unā ad Iesum filium uirginis, duas ad uirginem matrem, quas facito ut diligenter perscribas, quantum potes. Prima est perturbator, sed errare non poteris, si lineas iudices sequare. Semel quāprimum describi omnes cupio, propterea quod is cui sum donaturus, intra quadriduum, aut etiam fortasse maturius, Parisios iturus est, de reliquo consultabimus, ubi nos uiseris. Aut si tibi est ociū, ut sæpius perscribas. Utere charta quā potes optima nitidissimis lineis deformata, marginibus spaciosioribus quā meæ sint, & uersus inter se latiusculè distent. Scribe quā potes politissime, non feceris gratis. De Francisci libro, si parum tibi spatij est, cura ut sciat, qui possit alium notarium sibi comparare: nam à me posthac non deerit quod scribas, si tibi quidem ociū non defuerit. Si tibi per tuos licebit, post biduum aut triduum, ubi semel transcripseris, nos uisito

uisito ut colloquamur. Pileū meū uelim adferas, nam pileum Adriani quod est apud me, saluum est & intactū. Nam simul atq; hic recepi, nunquam sum usus: deinde adito N. fac ut scias quanti possit emi tale capiteale linteum, quale perijt, à diuo Bertino, ut aut emptum recipiat: aut si malit pecuniam qua emat: adito hominem, rogatoq; utrū malit, aut potius ipse emitto consilio uiri, ut planè illi satisfiat, reddam tibi ubi ad nos ueneris. Humanissimo Adriano patrono tuo si mulq; Edmondo mihi fratris loco dilecto, multis modis facies me commendatum. Vale. Si quid à Parisijs ab Antonio noui est, fac ut sciam. Medico, ubi commo dum erit, salutē multam dices meis uerbis: & Guardiano, si iam redijt. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimonono.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Batto S. D.

**S**I tu tuiq; recte ualetis Batte iucundissime, est ut Commendatoriam, quod uehementer gaudeamus. Quāquam de amore nostro tibi perspectum arbitror, tamen etiam atq; etiam tibi per suadeas uelim, nihil esse uino me Bati amantius, nihil illi deuotius. Quod si tu me amas, aut bonas literas miraris, hunc hominem tuo more, id est, perbenignè & comiter accipe: quod

neq; charius mihi, neq; literatius quicquam. Et quod his temporibus perquam est rarum, summæ eruditioni summam modestiam adiunxit. Hunc domina Veriana, hominis & ingenio & pudore delectata, unice complectitur: quare & tua humanitate dignum, & nobis omnibus uehementer gratū feceris, si hic ostenderis quanti nos facias. De nostro statu nihil erat quod scriberem. Sibilant, ut solent nonnulli quos tu non ignoras Zoili, sed spero nos aliquando ex his sculpulis euoluturos. Te cum uniuersa familia quàm rectissime ualere cupio. Anno M. D. CXIX

IACOBVS BATTVS GVLIEL-

mo Montioio S. D.

**E**xpectatissimus optatissimusq; mihi erat Erasmus mei reditus, non quod eum tibi inuiderem, sed quod sine modo amarem. Non potui tamen non grauiter excruciarī, ubi ille mihi acerbissimam illam suam Tragœdiam denarrauit, quam ego multò ante animo presagieram. Quid illi nō metueram? quoties grauiora etiam somniaueram? & iam tum de illius fortunis anxie cogitabam, quū mihi eius epistola redderetur. Ut cunq; euenit, gaudeo gaudeo humanissime comes, quod tam dulcem animæ meæ partem, uel mutilam atq; uexatam receperim: tamen si non ita im-

probe

probe illum amo, quin maluerim integrū apud tere mansisse, q̄ sic spoliatū, & tam insigni cōtumelia spoliatum, ad nos redisse. Deū immortalē, ne Musas quidem ac literas ab Harpyis illis tutas esse posse: Plato ni apud Aeginetas profuit in crimine capitali, quod esset philosophus. Phalaris immanissimus ille, erga medicū suū Pythagorā philosophū, & Stesichorum poëtam, summa usus legitur tum humanitate, tum liberalitate. Verum quid in re desperata seræ profunt querimoniæ: Ferendū, nō culpandū, quod mutari non potest: præsertim quod pudendū existimem, cum ipse suam calamitatē tam infracto, tamq; præsentī animo ferat, me fractiore esse animo. O rem præclarā philosophiam, quam ille semper & coluit & prædicauit. Meū erat officiū, illius ægritudine oratione lenire: at ille ridens, meas lachrymas reprehēdit, bonoq; animo esse iussit. Nihil se pœnitere etiā dicebat, q̄ Angliam petisset, nō perisse illā pecuniā sine maximo questu, propterea q̄ istic eiusmodi esset amicos nactus, quos uel Croæsis opibus anteponeret. Duas noctes unā pernoctauimus. Bone deus, quāto ille affectu prioris Richardi humanitatē, Coleti eruditionē, Mōri suauitatē, oratione facūdissima representauit: ut si mihi liberū esset, cuperē & ipse tā doctā, tā cādida pectora

x 4 uisere

uisere. Te autem totum optime Montioie, ita à capi-  
te, ut aiunt, ad calcem usq; depinxit, ut quanquã an-  
tea tui amore uehementer flagrarim, nunc in te aman-  
do nec Erasmo quidẽ ipsi cedã, qui te tamen plus suis  
oculis amat. Tibi adeo nihil imputat, ut tuam quoq;  
uicem apud me deplorauerit, qui ad tantos tum sump-  
tus, tum labores sua causa fueris adactus. Postremo  
cum à nobis digrederetur, hoc mihi etiam atq; etiam  
mandauit, ut tibi quã sepiissime scriberẽ: quod quan-  
quam pro tua singulari doctrina, meaq; imperitia fa-  
cere uererer, tamen ne officio defuisse uiderer, has  
qualescunq; literas ad te dedi: quibus si te non offendi  
animaduertero, agam tecum sepius. Et utinam id  
faxint superi, cuius spem nonnullam Erasmus osten-  
dit, ut te propius paulò fruere mur. Pro summa tua  
in Erasmus meum tum humanitate, tum benignita-  
te, immensam gratiam & habeo, & dum uiuam ha-  
bebo. Plus enim me illi debere puto, si quis quid de  
illo bene mereatur, quã si in me ipsum conferat.  
Generosissimam dominam coniugem tuam, socerum  
optimum, reliquamq; familiam bene ualere pre-  
sor. Ex arce Tornensi. Anno M. CCCC.

XCIX.

Erasmus.

ERASMVS ROTERODAMVS

Guilhelmo Montioio S. D.

Qvod locupletiorẽ quandã, absolutioremq;  
de conscribendis epistolis rationem à nobis  
efflaguasti Guilhelme adolescens ornatissime, puden-  
tius tu quidem pro tua modestia, sed tamen ut facile  
intelligerem quantoperẽ eius rei studio arderes: tum  
animus iste tuus nos haud mediocriter delectauit, tũ  
iudicium etiam non uehementer probare non potui-  
nam & agnosco in te perlibenter, quod repente tot  
priuatis publicisq; negocijs implicitus, tum nouis ne-  
ptijs ut par est, occupatissimus, ueterem tamen illum  
tuum erga bonas literas amorem nõ mutaueris. Siue  
ut his de rebus cõscriberemus, tua ipsius interesse pu-  
tabas, uidelicet ut ueterum principum exemplo, si  
quod uel absolutis negocijs, aut etiam inter ipsa con-  
tigisset ocij, id totum non nugis, quod uulgò faciunt,  
sed honestis studijs impartires: siue hoc nostro labo-  
re, qui tibi totus desudat, Angliã tuã studia pro tua  
uirili iuuares, in qua uideres Latinas literas indies  
magis magisq; efflorescere. Mentem istam tuam mi  
Guilhelme, & te dignam, & omnibus bonarum lite-  
rarum studiosis, cum uoluptati, tum præsidio futurã  
& laudo, ut debeo, & agnosco, ut dixi libenter. Nec

x s minua

minus iudicio tuo, prudenti sanè & acri gratulor, quò utrunq; recte perspexeris, & nondū antehac ex multis, qui de scribendis epistolis præceperunt, huic tantæ rei fuisse satisfactum, & nullam esse ex omni studiorum genere partem hac una, uel quæ latius præteat, uel quæ tantundè habeat aut usus, aut uoluptatis: quo magis sunt reprehendendi, qui de re tam ubere, tamq; necessaria, tam ieiunè indiligerentq; ut ne dicam ineruditè, conscripserunt. Vt enim interim de his taceam libellis, qui iam diu in ludis literarijs soliti circumferri nuper politiore literatura & florescente, tanquam nebula, sole emergente, propemodum euasuerunt: quo tandem consilio legitur à pueris Franciscus Niger, cuius nò modo præceptiões triuiales sunt, neq; ex intimis (ut oportebat) rhetorum fontibus petite, sed nulla etiam extat epistola, non dicam elegans & uenusta, sed ne Latina quidem. Tum illud quod Marij Philelphi nomine circumfertur opus, confusaneum mihi planè perturbatumq; uidetur: & si dicendum liberius est, parum tum eruditū, tum ad id quod promittit, accomodatū. Nā præterq; quod synonyma habet nimium puerilia, dicendi genera in singulis epistolarum generibus ferendum erat quod odiose inculcāt, ni id & imperitè faceret, qui eam grauiissimā epistolam

stolam iudicari, quæ uerbosissima esset, & quàm maxime alieno repetita principio. Tum in ipso operis limine, quorsum attinuit rhetorices præcepta toties per scripta repetere? An ut reiectis Cicerōis & Fabij libris, huius nugæ pueri lectitarent? Nec Sulpitij Perottiq; doctrinam contemno, quibus in eis libris, quos grammaticos ipsi uocant, haud rhetoricos, facultatis huius degustamēta quædā præbere, consiliū erat, etc. Bene uale. Anno M. CCCC. XCVIII.

ERASMVVS ROT. EDMVNDO

Sacerdoti optimo S. D.

**A**bdidi me in ullā humanissimi principis à Comadatoria urtenburne, hybernis his mensibus in arcanis literis mussaturus: & utinam id te comite mi charissime Edmonde, Gardiano duce, licuisset. Sed hac in re, itidem ut in cæteris uulgato præcepto libèter utemur. Quando non potes quod uis, id uelis quod possis. Cæterū tuæ fuerit charitatis, Adrianū extimulare, ut me libris aliquot instruat. Mittat oro in Paulum Augustinum, Ambrosium, Origenem à Bertinici in tēpore petat, certaq; fiducia pro me fideiubeat: nō enim fallatur. Præterea percipiā, si fieri possit, ut Origenis homilia unā mittuntur, quas habet Gardianus. Tyrannū, aut si quis alius in Paulū scripsit, & eie ad nos

ad nos uenire uelim. Mittetur sabbato uehiculū, quod omnia huc perferantur: interim curabitis, ut libri sint in eum diē parati. Si quādo uel Adrianus, uel Gardianus dignabitur nos inuisere, cupidē uidebimus utrum libet. Vale mi optime Edmonde, & hac in re quæso diligenter operā tuā naues. Ex arce Courtenburnēsi. Anno M. D.

ERASMVVS D. ADRIANO IN

Christo amicissimo S. P. D.

*Comenda-  
toria.*

**H**Vnc Ludouicum puerū hactenus Iacobus Battus mei respectu aluit in arce Tornehenſi: nūc ita libitū ijs, qui in præſentia tyrannidē obtinēt, ut aliō concedat, qui Battū fratrem expulerunt, ipſum etiam Battū expellere conati. Quare monui adoleſcentē, ut te primū uiſeret, quem ſi in familiā tuam receperis, rem feceris & mihi uehementer gratam, & erga iū uenem officioſam, & erga deum piam: poſtremō tuiſ cōmoditatibus non inutilem. Eſt enim iuuenis medio-cri doctrina: ſcribendī artiſex egregius: moribus & fide integerrima: id quod ipſe facile comperies, & ipſe meo periculo non dubitem affirmare. Vale De libris cōmunicatis habeo gratiam: referet autem is qui pietatis officia multo cū ſcenore ſolet remetiri, deus. Ex arce Cortenburgen. M. D.

Erasmus

ERASMVVS EDMVNDO VT

Fratri dilecto S. D.

**C**Ertior per te fieri cupio, num iam redierit noſter Gardianus, aut quāam mox expectetur ad futurus. Adrianum orabis meis uerbis, ut de libris ſuis patienter agat: nam poſt paucos dies aliō me conſeram, ſed non prius quāam codices multa cum gratia reſtituero. Mirum quāam mihi gratuler, qui hunc laborē ſuſceperim: conſido enim me poſthac toto peſto re in arcanis literis libenter uerſaturum. Meus Frater ciſcus intra dies ferme octo in patriam redit, quare Ludouicus recte fecerit, ſi paginas, ſi quas habet, de Laurentio miſerit: de mercede nulla fuerit contatio. Præterea de tabellione ecquid cognorit, ut ſciam, ſciat: tum de ſudario quod perierat, quid egerit. Exemplar precationum mearum, ſi deſijt uti, iube remittat. Vos omnes iam dudum expecto, ſed fruſtra. Cum primis pio, mihi quē plurimis nominibus obſeruando uiro Adriano ſalutem meis uerbis annunciabis. Ipſe recte ualebis, ac nos tui amantiſſimos uiciſſim amabis, noſ quē pro mutua charitate, mutuis apud deum precibus adiuuemus. Ex arce in qua diuerſor, raptim M. D.

Erasmus

ERASMVVS ROT. R. P. HENRICO

à Bergis Epif. cameracensi S. D.

**C**VM hominis coniunctissimi dignum immortalitate ingenium quàm celebratissimū efficere cuperem ornatissime præsul, id ita demū fore existimavi, si celeberrimi tui nominis titulus operi nouo uelut fax quædam præluccret: non quod hoc muneris tuæ præstantiæ aut aptū, aut magnoperè dignū iudicasset, uerū ut nouo auctori tuis è laudibus nonnihil tum gratiæ, tum auctoritatis accederet: id quod mihi ab uideor assequutus. Tanto enim ardore meus Guilielmus ab uniuersis huius Academiae alūnis legitur, rapitur, tenetur, ut dictū propè sit incredibile: iā passim in publicis auditorijs, in collegijs Guilielmi mei nomē perstrepat. Hoc munere si te nihil offendi senserof, sat pulchrè procedo: sin gratiā etiā in eo, planè triumpho. Donamus enim aliena: nihil enim ipsi excudere potuimus, theologiæ studijs occupati: & Hieronymi monita sequuti, discimus quod doceamus. Breui tamē aliquam studiorum nostrorum frugem expecta, quā tuo nomini propriam faciemus. Me morbus prorsus exhaustit, & cutis & oculi laxissimi sunt: illa carnes, hi nūmis sarcienti: tu pro tua consuetudine facito, ac bene uale. Parisijs M. CCCC. XCVII.

Erasmus

ERASMVVS ROT. CHRISTIANO

suo qui opera Augustini scripserat fucatius.

**S**ALUETO quantum uoles. Ita me deus amet, haud expectaram abs te tantum elegantiae, uel potius eloquentiae: nam elegantē futurū facile prospexi. Quare tuæ literæ uoluptati mihi in primis fuerunt. Proinde te hortor, ut isto cursu pergas, propediē tui præceptoris simillimus euasurus, sed genus aliquod dicendi, tanq̄ signū tibi proponas, censeo, ne uaria suisq̄ dissimilis nascatur oratio. Id autem genus potissimum eligendum, ad quod te potissimū natura composuit, de te coniecturam sumere licet. Videris ad Timonis propius quàm ad Ciceronis formam accedere: equidem malim Ciceronis, Atticum erat præstantissimum. Ab Asiatico longè abes Rhodiū nihil est quod petas. Punicum referre uideris, uel Allobrogicū potius: quod quidem longè temperatissimū esse cōstat, uidelicet ex Arabico & Iberico medio mixtū, Caleno interim rubetam dissimulante. Verum ineptè hæc te doceo, suscum tibi Minerua sit domi. Verū is, ut est noua quadam humanitate, dabit ueniam, si meā falcem in ipsius messem misero: mittam enim sapius. Non displicet istud discēdi genus, ut ille materiā tu uerba ministres.

Idem

Idem olim Crassius factitauit orator haud uulgaris sed hic ex priscis. Vidi ipse corniculā Horatianam, cuius te similem esse nolim. Eris autem, si praecepto ris quā simillimus esse studueris. Quod me antea nihil scribis noui: sciebam enim antea. De nostro certamine Christiane, nihil est quod labores: tu tanti es nisi mihi Augustinus mentitus est, quod non solet. Bene uale cum tuo Dædalo. Lutetiae. Anno 1497.

## ERASMVS GAGVINO.

**C**ereales & Anabasi qui sint apud Hieronimum in Ruffinū, non satis intelligo. De cerealibus somnio, nescio quid. Vtroque uerbo uestigatores quoquo uersus dimissi, significari uidentur, tu me doceas uelim. Dialectica Laurentij iam pridē desidero: quae si tibi sint, obsecro commodes: sin minus, commonstres à quo mihi sint petenda. Bene uale. Anno M. CCCC. XCVIII.

## GAGVINVS ERASMO.

**N**ec Cerealium, nec Anabasiōrum permittit me Nacerbissimus morbus meminisse, tam sum doloris impatiens. Dialecticē tibi demitto, quam remitti aliquando prouideas cum oratiunculis, quas à me habes. Vale melius Roberto tuo. 1498.

Eras

## ERASMVS EVANGELISTAE

**V**erbum illud, accensos, quod nos offendebat, apud Vegetium repperi: cuius haec sunt uerba. Ad obsequia tamen iudicum uel tribunorum, nec non etiam principalium deputabantur milites, qui uocabantur accensi, hoc est postea additi, quā fuisset electio completa, quos supernumerarios uocant: Haec ille. Manifestissimū igitur est, accensos ab accensendo dictos, hoc enim communicatū uolui. Vale 1497.

Accēsi qui  
& unde dē  
cantur.

## ERASMVS ROBERTO

Piscatori S. D.

**V**ide quā sit auidū & querulum foeminarum genus. Nudiustertius puer meus ab hospite nostra ueteri plurimum rettulit querelarum. De nostrum utroque nescio quid maritus murmurabat. Mater ne Normana planē nō esset, querebatur se pro laboribus, quos mea causa cepisset, nihil gratiae recepisse. Filia te permalignē soluisse aiebat, & pristinae tuae consuetudinis oblitum fuisse. Ego decuplo beneficium emo: redimo enim cumulatisima mercede officium, & nihilominus beneficium debeo. Hos mulierum mores cum mecum reputo, tum gaudeo me in hoc uitae genus incidisse: si casu, feliciter: sin iudicio, sapienter. Habes ieiunam epistolam, argumentum mihi

y

ieiuna

ieiuna illa mulier ministravit. Tu si bona uoletudine fueris gaudemus: nos optamus quidem, imò iam speramus: coepit enim morbus paulatim remitti. Lutetiae. Anno M. D. XCVIII.

ERASMVS ROTERODAMVS

Thomæ Greio S. D.

**S**I quid unquam tibi gratū aut feci, aut uolui, quod ut hoc mihi gratie referre non graueris. Huic iuueni, quas ad te literas scripsi, tradito, ubi meis uehementer efflagitantibus copiam fecero, remittam. Bene uale. M. CCCC. XCVIII.

ERASMVS THOMAE GREIO

**T**amet si essem occupatior suauissime Thomae, tamen ut intelligeres, quoties ad te scribendum erit: nullam prorsus excusationem me mihi permissurum esse, uel interpellantibus negocijs tecum per literas loqui libuit. Caue post hac à me expectes, ut in singulis epistolis, uel meam in te beneuolentiam testificer, uel ingenium tuum praedicem. Semel hoc tibi persuasum uelim, tuo isto in me animo, tam propenso, tam candido, tam modesto, tam ardenti, tam amico non esse mihi neque charius quicquam, neque iucundius: meque plane sic affectū esse, ut tam dulce bonum nolim uel cum uniuersis Arabum opibus commutare. Porro de meo

uicissim

uicissim in te amore, hoc perinde ut Apollinis oraculum accipias uelim, dum tu et uirtutem et bonas literas (id quod facis) amplecti perges, nulla consuetudinis intermissio, nullus casus hunc in te animū mutabit. Solidus enim amor à uirtute profectus, tam finem nescit, quam uirtus ipsa. Etenim quos cupiditas amicos facit, necesse est, ut idem amoris lucrique sit finis. Quos uero uoluptas ad amandum allicit, ibi finem amandi faciunt, ubi satietas subierit. Qui denique uerili impetu animorum sese beneuolentia prosequuntur, pari leuitate ab amicitia desciscunt qua accesserant. Nostra necessitudo longè melioribus initijs profecta, non paulò solidioribus columnis innititur, quippe quos non commodi ratio, non uoluptas, non iuuenilis affectus, sed honestus literarum et communium studiorum amor copulauit. Est enim inter bonos studiososque uiros uel publica quaedam, sed constantissima Bonorum uicissitudo, è similibus rerum admiratione conflata. Et quoniam uirtutis studiū nec satietatem nouit, nec casibus fortuitis subiacet, non potest bonorum beneuolentia non esse perpetua. Hoc igitur amoris genere cum simus iuncti, uereri non debes, ne quid in nostram amicitiam incidat, qualia uulgaribus amicis multa passim euenire uidemus. Quanto tu innocentia

Autores ꝛ  
legendi aut  
non.

Et literarum eris amantior, tanto mihi charior es futurus. Equidem abunde magnū amoris in te mei fructum tulisse uidebor, si præclarā uirtutis indolem, quam in te primus animaduerti, mea opera ad fructum peruenisse uidero. Ad quod ut manibus pedibusq; enitaris, te mi Thoma etiam atq; etiam hortor. Id facies, si optimos quosq; autores tibi legēdos propones, lasciuos et obscenos non scus ac pestē quamdam fugeris, præsertim ista adhuc ætate, quæ suā spontē lubrica, non tam ad recta capiēda propensā, quam ad nequitiam procliuius est. Quorsum autē attinet istos cum morum detrimento legere, cum neutiquam desint qui doctrina non paulō plus profint, obæscenitate nihil noceant? In quorū numero Vergiliū in primis leges, Lucanum, Ciceronem, Lactantium, Hieronymum, Salustium, Titum Liuium. Inuitus faciem facio, ita mihi uideor dum hæc scribo iucundē tecum fabulari. Et uide, quaeso, quantulū id sit quod de nostra familiaritate corporū disiunctio detraxit. Animo te uideo, literis colloquor, fortassis etiā iucundius, q̄ lingua. Quare gaude, ac uale. Ne literarū nouum colorē diutius mireris, amantiū sanguinē scriptas esse noueris. Atramenti penuria, mori succo scripsimus. Parisijs. Anno M. CCCC. XC VII.

Erasmus

Iacobo tutori S. D.

PRidie quā hanc scriberē, iam alium quendam Narratoliteris ad te datis onerauerā: uerum certius exiuria. Stimauis, si qd forte fortuna accidisset, alteras per hunc addere, non iisdem quidem uerbis, sed eodē fermē argumento. In Hollandia plus sesquimensē nō sine maximo sumptu contriuimus, contriuimus, inquam, nihil enim æque perijt. Rursus in Selandia pueri mei morbus cōplures me dies remoratus est, non modo summo cum tædio, quod aliō properarem, uerum etiam non mediocri periculo ualetudinis. Nihil enim adhuc ex celo sensi asperius, meoq; corpusculo inimicius. Cetera mi suauissime Tutor, sic euenerunt, ut Erasmi tui res cōsueuerunt. Aristes Cameracensis sui simillimus est. Veriana duris fatis premitur, ut subleuanda potius quā oneranda uideatur. Nunc ego in Batti mei complexibus, et in literis acquiesco: neq; tamen omnino sine te, ad eō multus in sermone nobis est Tutor: neq; ego fabulor quicquam libentius, neq; rem ullam audit Battus auidius. Iam te deamat, iam ardet, iam uidere gestit. Mihi crede, si quid omnino credis, tantū ego fucorum, tantum perfidie in hominum amicitijs reperio, non his modo uulgaribus, uerum his quoq;

ꝛ 3 quæ

quas pyladeas uocant, ut mihi iam nō libeat nouarum  
periculum facere. In Batto uno mortalium omnium  
beneuolentiam perspexi, uti syncerā, ita constantem.  
Hunc ego amicum fortunæ non debeo, quippe quem  
mihi uirtus unā conciliaui: hunc item non uereor, ne  
mihi fortuna præripiat. Cur enim afflictū amare de-  
sinat, qui amare cœpit uel afflictissimū? Hunc tu do-  
lissime Iacobe, quemadmodum prænominē, ita can-  
dore mirāq; simplicitate refers. Itaq; de uestro duo-  
rum animo ita sentio, ut si (quod omni auertant supe-  
ri) uestra me fides sefellerit, ne ipsi quidē fidei fidem  
sim habiturus. Valetudine sumus, gratia superis, me-  
diocri, & firmissima quā isthic eramus. A Roma-  
nis musis ad Græcicas penē descuiimus, neq; con-  
quiescimus donec ad mediocritatis metam aliquā per-  
uenerimus. Ardebat supra quā dici possit animus,  
in tuam remigrare familiam: uidebar enim iam citra  
tuum sumptū posse & te frui homine, hominū qui ui-  
uunt, suauissimo, & mei uicissim copiam facere, sed  
absterrebat pestilentia, quæ Lutetia me eiecit, & hoc  
in exiliū protrusit. Quid enim hic usquā quod me ca-  
piat, præter unū Battū, quo ne ipso quidē toto fruor,  
quod magnā sui partē impendere cogitur aulicæ ser-  
uituti. Dismam tibi cōmendo, etiamsi tibi pluribus no-

minibus

minibus quā commendatissimū esse scio, uel quod  
ingenio moribusq; suis tibi iucūdisimū est, uel quod  
incredibilem es gratiā reportaturus, si quā optime  
finxeris adolescentē, dignumq; omnium expectatio-  
ne reddideris. Est enim penē totius generis Bergen-  
sis publica de isto expectatio, tamen nostro quoq; no-  
mine calculus aliquis charitatis atq; diligentie uelut  
accedat. Probam nactus es materiam, tu facito pro-  
bum artificē præstes. Si quid istuc opus erit, tu quod  
soles optime Iacobe, Erasmi tui famam summa ui de-  
fende, & lupū illum quā clarissimo audacissimoq;  
latratu deterre. Grammaticen Græcam summo stu-  
dio uestigauī, ut emptā tibi mitterem, sed iam utraq;  
diuendita fuerat, & Constantini quæ dicitur, quæq;  
Vrbani: Testis erit huius rei Nicolaus Benseradus  
certissimus, cui uel iniurato tuto credas. In reliquum  
quid statuerim, iam accipe. Nōnunq; de repetēda Bri-  
tannia cogito, ut meo cum Coletō mensem unum aut  
alterū in Theologiæ sacris uerser: neq; enim ignoro,  
quātus ex ea re fructus mihi capi possit, sed terrēt in-  
fames scopuli adhuc, ad quos olim naufragiū feci. Ita-  
lie uisendæ nunc nos habet ardor, qui semper: sed ut  
ait Plautus, sine pēnis uolare haud facile est. A Gal-  
lia pestis nos arcet. In Hollādia cœlo quidē iuuor, sed

Plauti di-  
ctum in Po-  
nulo.

Epicureis illis comestationibus offendor: adde hominum genus sordidum, incultum, studiorum contemptum prestrenuum, nullum eruditionis fructum, inuidia sunt ma: maxime quod id taciti omnes mei flagitare uidentur, ut autoritate confirmatus, et tanquam contra indoctissimorum hominum arrogantiam armatus redeam. Nullo itaque certo consilio pendemus adhuc, quod uenti secundi uocabant, in eam partem cursum flexuri. Tu si quid in amici negotio aut perspicis acutius, aut prospicis sagacius, consilio inua. Quicquid erit apud uos, quod me scire oportere putabis, id scribito diligenter. Vale cum familia. Bredanis adolescentibus optimis ac festiuissimis, meis uerbis salutem annunciabitis. Ex arce Tornehenfi. Anno M. CCCC. XCXVIII.

ERASMVS ROTERODAMVS

Benserado suo S. D.

**S**cripsimus heri de rebus omnibus humanissime doctissimeque Benserade, sed quoniam alter datur ta bellio, rei summam modo repetam. Ex Hollandia reuersus, apud Battum totus in literis uiuo, maxime Graecanicis. Misimus ad te Euripidem et Isocratem, missuri plura, sed metus erat, ne pestis istinc te iam aliquid propulisset. Si quid est nouae Graecanitatis, uestem citius oppignerauerimus, quam non potiamur: maxime

xime si qua Christiana, ut *Ἰαλαμοί*, ut Euangelia. Opes meas apud te depositas, tibi commendo. Scripsimus et Augustino, de quo quid sit, cupio discere: nihil enim adhuc inaudiuimus. Utinam mi Benserade nostras Musas liceret coniungere, sed hac de re, alijsque omnibus scribes copiose. Summam tuam in me humanitatem optime Nicolaë, neque apud me patiar intercedere, neque dissimulabo. Enitar pro uiribus, ut si grati nomen non possum assequi, saltem ingrati hominis notam uidear effugisse. Vale. Salutatur te ex animo Battus, toto pectore tuus. Ex arce Tornehenfi de cimoquinto Calendas Augusti. Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMVS ROTERODAMVS

Antonio Lutzenburgo S. P. D.

**Q**uasi parum fuerit, quod cum istic essemus, tam improbe tibi negotium fecimus, absentique quoque faciemus. Verum istud Antoni festiuissime, non impudentiae nostrae, sed tuae singulari facilitati imputes oportet. Scripsimus Iacobo Tutori, partim ut ueterem hospitem nostrum hoc tanquam Xenio donaremus, partim ut illi ueluti stimulos subiceremus: quo magis curando, summa ui, studio, ingenio, fideque annitatur, ut talis redeat adolescens, qui possit Bergenstirpi

stirpi facile omnium ornatissimæ tum eruditione, tum moribus, splendoris accessionem aliquam adiungere. Ad eâ rem tamen nihil ambigo, quin ille suapte sponte summo nisu incumbat, tamen meas parteis esse putato, meoq; in omne istud genus amore, illiusq; in me beneficij dignum, ut subinde uel currenti (quod aiunt) calcari addere curem. Eas literas Antonio tabellioni studiose trades, commendabisq; ut qua solet cura, si deq; Aureliam perferat, profecturû enim audio. Cæterum humanissime mi Antoni, si quid etiam ualeamus, libet cognoscere, agimus certe feliciter atq; suauiter, uel quod Batto fruimur, cuius ego animo certissimo candidissimoq; sic me oblecto, sic pascor, ut non lim uel uniuersas Arabum gazas cum hac una felicitate cõmutare: uel quod toto pectore in literis sumus, et tanquam ab omni negotiorum strepitu longè se moti, in intimis Musarum recessibus abditi latemus. Deorum planè uita, si plusculum adesset librorum, Hunc igitur animû cum literulis meis debeam mi Antoni: nonne tibi uidear ingratisissimus, si studiorum meorum me capiat poenitudo, tanquam quæ nullam frugem attulerint. Inaurentur alij, in fastigium euehantur, mihi Musæ meæ nihil præter uigilias, et inuidiam reportent, nunquam tamen harû poenitebit, dum

hic

hic mihi perseuerabit animus, fortunæ uolubilis con= temptor. Neq; uerò me clam est, hoc quod sum sequutus studiorû genus, alijs alienû, alijs infinitû, alijs infrugiferum, alijs etiâ parû pium uideri: nempe uulgo omnium qui nunc literas profitetur. At ego tanto magis accedor, cum utrunq; cognitû habeâ, neq; uulgo unq; optima placuisse: et hoc studij genus, paucissimis quidem, sed tamẽ eruditissimis probari maxime. Si Hieronymus insanus fuit, si indoctus, iuuat cû huiusmodi uiro desipere: iuuat huic indoctorum gregi potius, q̃ istorum deorû choris annumerari. Quod si etiâ huius cursus nostri metâ non cõtingemus, contendisse certe ad res longè pulcherrimas, nõ illaudabile fuerit. Hanc meâ mentẽ si non approbabant homines, deus opinor, et probabit, et iuuabit. Restabit fortuna, at ille quod antehac fecit, aspirabit. Probabunt olim et homines, certe posterî. Sed ut ultra metas epistolâ porrigo, dũ tuo amore uelut amabili quodâ furore debacchâs, mei oblitus, rapior. A deo mihi nõ epistolâ scribere, sed te cû fabulari uideor. Quod humanissimo amplissimoq; præsuli patrono tuo non scripsi, id neq; ignauia, neq; ocij inopia factum est: sed neq; argumentum erat illo heroë dignum, simulq; uerebar patri benignissimo quidem illi, sed omnino plurimis maximisq; negocijs

occurra

occupatissimo, scholicis nugamentis (qualia ferè nota sunt) obstrepere. Caterum mi Antoni scito, mihi nihil perinde in uotis esse, quàm ut liceat illius amplitudini quocunq; officio meo gratificari. Sed aliud est amiculo quicquid in buccã uenerit, scribere: aliud summorum uirorũ heroicis mentes epistola compellere, quas religiose etiam à salutantibus adiri debere Plinius scripsit. In presenti igitur tute mihi apud augustum patrem, epistola uice fungeris: deinde summa humanitate uiro Georgio priori meq; Battumq; summo studio commendabis. Medico, ac Iacobo Plumioni Canonico, uiris amplissimis deq; nostrum utroq; optime meritis, plurimã salutẽ annunciabis uerbis utriusq;. Valebis optime Antoni. Ex Tornehen X V Calendã Augusti. D. M. CCCC. XCIX.

ERASMVS BATTU SVO S. D.

Epistola familiariter iocosa, & Ironijs plena.

**V**ideo literas meas stomachum tibi fecisse, quas tuo morosius scriptas, ais: ego iocosus puto, aut si quid erat aloës, id non in te, sed apud te iustissimus animi dolor effudit. Etiam si peccatum agnosco, neq; id simplex, quippe cui neq; mea conditio perditissima, neq; tua felicitas in mentẽ uenerit. Neq; enim cõuenit hominẽ afflictissimũ facetum uideri uelle, sed supplicem

supplicem, dicacem & petulantem multò minus, maxime apud eum quẽ fortuna secundis uentis rapiat, cuiq; sis aliquot nominibus oberatus. Tũ id propriè quodammodo aulicum esse scio, ut ab ijs quos abiecit beata fortuna, quosq; beneficiolo quoquam seruos fecerunt, non modo contumeliam nullam pati queant, uerum uix etiam supplicẽ uocem ac timidam ferre, gratiam ultrò expetentes, ubi miseros ipsi plagis occiderint. Verum quod in magnis morbis solet euenire, ut homines sui sensum amittant, id accidit mihi in acerbissima animi molestia, ut cum essem afflictissimus, miserũ tamen esse me non meminero. Et credebã apud Battum Erasmo omnia impunè licere. Nam amaui te hactenus tantum, cur enim non fatear, non timui, nec ignoras ardentissimum amorem cum metu non coherere. Verum euexit me paulò longius amor uere cæcus, & peccatum uideo, neq; pœnam deprecor atrocem, nisi uitũ mutaro. Posthac ita Battũ meum amaibo, ut amicum, ut bene meritum, ut eruditum. Ita reuebor, ut præceptorem, ut regem meũ, cui in manu sit me uel perdere uel beare. Vel fistigari nõ recuso, si post hac uerbum ullum meis in literis deprehenderit, non dicam procax, aut licentiosum, sed omnino non blandum, non supplex: non quod seruum non dedecet,

dedebeat, qui modo crucem metuat. Quin insuper habeo gratiam mi patrone, quod me mihi in memoriam redegeris, fortunæq; admonueris. Nunc ad humanissimam tuam epistolam ordine respondebo, quæ te oro, ut placidus propiciusq; audire ne graueris. Primum morem illum meum morose scribendi prorsus abijciant. Et si parum putas poenituisse erroris, nullum ego supplicium deprecor, modo me in gratiam recipias, non eam qua fuimus olim, non sum tam impudens ut id rogare audeam: maximū fuerit, si uel extrema parte hærebimus. Quod præpositus ex animo mihi benè cupit, meritum quidem meum nullum agnosco. Tuum erga me studium quo tanto me uiro commendasti, adoro exosculorq;. Quod apud dominam nostro nomine gnauum, fidumq; patronum te fore polliceris, quid ego tibi uicissim ornatissime Batte pro ista tua in me pietate pollicear? Quid aliud quàm me ipsum? At iam olim sum in tuis mancipijs. Quod autem Gulielmi epistolam ad me misisti, uisus es mihi mandare, ut quæ primū arborem suspensio deligan. Actum de me iam dudū intelligo, siquidē ille successit. Sed quid ego malū meū tam impotenter fero quod mea mihi stulticia accersuerim ipse. Iam me etiam si in crucem sustuleris, feram: quanquā id quoq; leuius duco, quam Gulielm-

Gulielmum mihi prælatum conspiciere. Hoc unum te supplicem, et per tuam felicitatem, et per deos mihi iratos oro, si tibi decretum est me perdere, ne longo differas cruciatu. Quod Abbati non scripsi, quaeso, ne ignauiam meam in causa fuisse putes. Neq; enim argumentum ullum excogitare quiui, et tarditatem meam non ignoras, damnandam quidem, sed quid facias asino? Tum ita cogitabā, illū in Brabātia diutius absuturū. Antonio scripsimus, ne nos omnino in officio cessare putes. Ne nunc quidē occurrebat argumentum quale oportebat. Scio enim perniciosum esse scribere quibus curiositatis est plurimum, doctrinæ non perinde multum. Sed urgebant me obiurgationū tuarū stimuli, scripsiq; illi, si non ut uolui, certe ut potui. Malui enim illum male scribendo offendere, quàm nō scribendo te iratum habere. Quod elapsus est quem hereticū faciebant, primum filie gratulor, cuius piæ lachrymæ mentem meam excruciabant: deinde tibi quod non irrita uota filie nomine susceperis: postremo uiro etiam ipsi, si quidem mentem mutauit. Quanto magis eo supplicio dignus, scelestus ille suffraganeus dominicanus quo nihil cōtaminatus, nihil auidius, nihil arrogantius? In huius etiam odium, diligentiū homini sum patrocinator apud Abbatem. Quod

Quod Terentios aliquot emi iubes unà cum Guliel-  
manis odis, faciam ut me frugi mancipiū dixeris. Sed  
ignosces quod ipse non Parisios emendi gratia recur-  
rerim, cupiebā quidem, sed ingens pluuia repente co-  
orta impediēbat. Et est iter, simulatq; cōmaduit, uix  
etiam caballis superabile. Tum tabellarius sibi stan-  
neum abs te nummum datum affirmabat, eumq; se do-  
mi reliquisse. Mihi neq; erat aliquid quod dare, neq;  
erat à quo mutuum peterem, & meipsum in ignota  
urbe oppignorare non quīui. Experiar tamen, si quis  
me deus seruatum uelit, ut quæ petis possim mittere.  
Quod me in arcem inuitas, si pestis hinc nos exigat,  
uite spem reddidisti. Bate clementissime. Cur ego hic  
non genibus aduoluar tuis, non pedes pronus exoscu-  
ler? Seruatū me uis uideo, nō uis inedia perire. Quod  
enim supplicium aut acerbius, aut turpius? Mi patro-  
ne iam nos hic pestis premit, iam in istam beatam at-  
cem gestio aduolare: ita ut non in cœlum æquē. Ve-  
rum ignosces timori meo, metuo adhuc nescio quid,  
ne nondū ira ista tua in me deflagarit: id ubi certum  
fensero, tum demū aram ego hanc relinqū. Inter im-  
sine me pudoris causa aliquandiu abesse: deinde adhi-  
bitis prelatoribus rediero. Quod Gulielmi tui carmē  
tantopere scribis placuisse, rursus ego me concidisse  
intelligo.

intelligo: nec habeo, quem inferum aut superum im-  
plorem, præter te unum qui mihi cuiusuis numinis  
es loco. Camynadus maximas tibi gratias agit, quod  
in ornatissima tua epistola sui mentionem dignatus sis  
facere, is simul atque edictum accepit tuum, uniuersam  
euerrit supellectilem, quærens quod tibi mitte-  
ret. Is mihi crede nihil habet, quod idem tibi non  
sit, præter sermones quosdam quotidianos, quibus  
in congressibus & conuiujs utimur. Eos si tibi mitti  
imperas, mittentur, ubi erunt tū emendati tum aucti.  
De epistolis scribendis opus ad limam uocabo, & id  
quoque si iubebis, mittam. Præterea si qua iube-  
bis, parati operiemur. Hactenus ad tuam episto-  
lam, nunc extra epistolam pauca. Emiseramus iu-  
uenem libris oneratum, is antequam ad te perue-  
nisset, tuam epistolam iam scriptam fuisse conij-  
cio. Scripsi deinde per Adrianum, sed ò me mi-  
serum qui scripserim. Scripsi enim (quod pœnitet  
pudetq;) morosius: nondum tuam epistolam acce-  
peram. Sed ignosce obsecro, ita te semper in ista  
aula beatum ac diuitem uiuere contingat. Bene ualeat.  
Nos hic ut digni sumus esuriemus satis. Audomari,  
Anno M. CCCC. XCIX.

Erasmus

ERASMVVS BATTO SVO S. D.

Epistola iocosa.

**N**ihil opus ut te gaudere iubeā, cum iam dudū te abunde gaudere sciam, qui quidē me molestam sarcinā humeris tuis excusseris. Adrianus etiā nū ad se inuitat. Gardianus palā suadet, ut apud Abbatem potius uerser, si cōmode queam: Medicus contra, ut apud Adrianū. Vterq; facit opinor, quod canes solent, qui focū in culina nullū amant. De Gardiano an per omnia sincerus futurus sit, subhæsito. Nam subarrogantiē esse sentio. Neq; de Adriano unquam uerbū apud te fecit, cum per illū res hęc potius cōfici debuerit. Nos quicumq; erit exitus magno animo excipiemus. Tu cura ut ualeas mi Batte. Mitte ut primū cōmoditas dabitur, nostra omnia, nostrosq; Dialogos omnes (si libeat forte perficere) Ludouico insta, ut quantum potest omnes meas epistolas transcribat. Vale. Non remoror Ludouicum dehortante medico, ne magis in me murmurent isti cucullati. Audomaris  
Anno M. CCCC. XCIX.

ERASMVVS ROT. BATTO SVO.

**S**alue plurimum suauissime Batte. Res nostrę sic habent, ut iam uel amantius blandiri, uel iocose iust stomachari neq; libeat, neq; liceat. Res meas accipies:  
quare

quare te queeso, ut Batticum illum animum adhibeas. Iuuenis ille quem ad te libris onustum miseramus, intra quatuor hebdomadas reditū pollicitus, iam octo hebdomadas desideratur. Neque ego nescio plura solere iter facientibus præter opinionem obtingere, morbum, latrones, noua negocia, mille deniq; rararum causas. Verū non temere mihi summus incesit metus, ne quid ista in re magnę subsit fraudis. Principio Augustini ingenium, & uetera facinora nostri: deinde audio iuuenem apud nos non paucis obertatū, tum neq; sapientem admodum, neq; certum, ad hęc Augustino intimis consilijs coniunctissimum: ea nunc demū emerferūt: ita ut sit, post festum, ut aiunt. Equidem sepe numero mecū sum admiratus, quod illud esset, tam repentinum in Augustino proluuium? quę subita hominis metamorphosis, ut qui semper aliena furari consueuerit, nunc sua largiretur. Nam nunc demum paulo plus insumpsit, quā a me acceperat. Suborta est nonnunquam animo suspiciuncula, me inescari, ut semel captus omnem rem soluam aucupi. Ea suspicio nisi planē fallor, me nunc neutiquam faller. Id ut ita esse intelligas, quid acciderit cognosce. Concessimus pestis metu Aureliam. Ibi statim post dies complusculos iuuenem alter quos alit Augustinus.

gustinus in morbum incidit, haud scio an contagio-  
sum, necdū certum scimus. Nihil enim difficilius, q̄ loli-  
ginem illā suis se tenebris inuoluentē deprehendere.  
Verum cum puer iam quatrīduū & amplius assidue  
uomisset, aluoq; assidue cita uteretur, ueritus ne qd  
ex his foetoribus ualetudinis contraherem, Augusti-  
no exposui, cōmodius esse, si quinq; aut sex dies ali-  
quod concederē, ipsi locum facerem, & naribus meis  
cōsulerem: deinde redirem. Statim Augustinus uelut  
ansa arrepta, inimice id tulit, etiam si magnopere dis-  
simulabat. Negauit sibi esse quod mihi suaderet, face-  
re iussit quod uideretur, sibi neq; mentem esse, neque  
consiliū. Id eo spectabat, quod mihi tum temporis ne  
obolum quidē esse putaret, & citra pecuniam nihil  
posse, ut aut manerem inuitus, aut in magnum inci-  
derem malum. Adiunxi me Antuerpiensi cuidā M.  
Iacobo Tutori iuris Pontificij professori, iuueni per  
humano, nostriq; cupientissimo, literarum nostra-  
rum studiosissimo & admiratori & praedicatori, sed  
ita adiunxi ut ad Augustinū iuuenē recreato redirē.  
Hic Augustinus non modo irasci, sed etiam inuidere  
huic coepit: planeq; partim obticēdo, partim enigma-  
ticis illis suis figuris significare, mihi reditū ad se in-  
terclusum fore. Id tamen si pridē senseram, libebat ma-

gis

gis magisq; expiscari. Simulabat ille multa, ut est ho-  
mo, uerum qui multa mentiuntur, non queunt semper  
sui memores esse. Quid multa? deprehendi animū ho-  
stis, proditoris, latronis, & ut uerbo absoluā omnia  
Augustini, ueteris, inquam, illius Augustini quē tibi  
ex parte descripsi. Olfacio illum amara, perfida, sub-  
dola, deniq; se digna cogitare: illudq; in primis quod  
dissimulat maxime, ut iuuenem in Angliam quem mi-  
simus, me clā excipiat, pecunias literasue si quas adse-  
rat, auferat. Quid tum postea? Deinde eundē aliō able-  
get, multas scio causas quibus id facillime possit. Mihi  
uerba dabuntur, profugisse iuuenē, nusq; cōparere.  
Interea fiet aliquid. Aut ipse Augustinus aliquo se  
in fugam conijcet, aut certe nos aliquo pacto perdet.  
Mibi crede Batte, nihil ab eo expecto, nisi quod à per-  
fidissimo sicario soleat expectari. At misere uereor,  
ne iam redierit iuuenis, ac praedam praedo possideat:  
captatā certo scio, uel hoc argumento. Nam ipsi Au-  
gustino nuper exciderat multa mentienti, ut solet, se  
nescio quid de iuuenis aduentu inaudisse, illum iam in  
itinere esse, nec Parisijs, sed alia uia rediturum. Id cō-  
spectabat, ne nos occurreremus, redeuntēq; interci-  
peremus. Ego continuo urgere coepi, à quibus nam id  
accepiisset. Primum homo nugabatur, alias res interij-

2 3 ciebat;

ciebat: deinde ubi nō desisto sciscitari ac premere, ait se ex quodam accepisse eumq; nominat. Ego protinus ad eum mitto, ecquid de Ioāne audisset. Ait nihil, nisi quod ab ipso Augustino instructus uidebatur. Expostulo cum Augustino, quid mihi eum nuncij autorem commonstrasset, cui narrasset ipse. Variat homo colorem, mutat sermonē, tandem premente me, ait, ebrum fuisse qui id dixisset: nam se quicquid esset illi dixisse. Huiusmodi technas permultas possem cōmemorare. Verum hoc habe mi Iacobe, nihil unquam mihi fuisse exploratius, quā Augustinū, si clā possit perniciem mihi moliturum, in primis his pecunijs insidiaturum. Quare si me saluū uis, neq; indormisceas hac in re, neq; ulli labori aut sumptui parces. Nā si hunc scopulum præternavigaro, cætera tuta fore confido. Hoc igitur est quod te uolo scire, aut si quid habes melius. Si iuuenis nondum redijt ex Anglia, potest fieri, ut ille alio littore transmiserit in Galliam, uidelicet à magistro suo admonitus. Quare si libros aut pecunias ex libris collectas penes te habes, caue è manu emittas: serua quod habes; sin eum in Selandiam, aut aliò emisisti, isq; nondum redijt, enitere omni cura, ut iuuenem ad te reuoces, & quicquid habet eripias, maxime quod ad me pertinebit, ne nummulum quidem

quidem commiseris. Dic te certum habere, me isthic inter pauculos dies adfuturū. Et si honesto prætextu potes: etiam Augustinū res detine, nondum enim res omnes meas ab illo recepi. Si iuuenis iam redijt, & apud te fuit, tu continuo per certissimos tabellarios transcribe, & quo die à te discesserit, & quid pecuniarum, & quo nomine, & quas literas habuerit, ut Augustino lupo possim negocium exhibere. Adde in epistola eiusmodi stimulos, qui possint hominē etiam confidentissimum, ut hic est terrere: aut Adrianū mitte, qui si uidebitur, nos salutet, & omnia fugitiui iuuenis uestigia odoretur. Hac in re mi Batte quicquid in te est doli, quicquid opis, quicquid diligentie, id totum effundas oro. Iam si iuuenis ad te ex Anglia redeat, omnibus rebus bona fide peractis, nihilominus omnia quæ mea sunt apud te serua, ne plumā quidem credideris, hoc quidē quo dixi prætextu. Tum si iuuenis pridem isthic dicebat, & pecuniarum aliquid attulit nec dubium uidetur, quin Augustinus artem exercuerit suam, tu continuo in Angliam mitte, qui rem olfactet. Quicquid autem à iuuenē receperis, id per tabellionē diui Audomari mitto, & quidē probe instructū & præmonitum ne ad Augustinū diuertat, sed aut ad Dismā abbatis fratrem aut ad Iacobum

Antuerpiensem, qui cum uiuo, aut si causa uidebitur  
Adrianū mittito. Vale mi Batte optime ac suauissime.  
Per hunc iuuenem qui prætoris filium huc adduxit,  
nihil scripsisse demiror, cum tanta esset scribēdi cau-  
sa. Bene uale. Salutat te Iacobus meus familiaris. Libe-  
ra me quàm primū hoc metu, si fallor, malo: si recte  
suspitor. Aureliæ, Annō 1499.

CLARISSIMÆ ANNAE BERSAE  
Le principi Verianæ, Erasmus Ro-  
terodanus S. P. D.

De tribus  
Annis.

**T**Res Annas ueterum literæ prodiderunt poste-  
ritati: eam, cui cognomen Perenna, quā ob egre-  
giam in Didonem sororē pietatem, in cœlitum nume-  
rum relata antiquitas credidit: alterā Helcane uxore,  
cuius ad laudem abunde satis est, quod & anus,  
& auspice deo, Samuelem peperit, non utiq; sibi, sed  
deo quidem sacerdotem religiosissimum, populo uero  
iudicem incorruptissimū: tertiam uirginis matris pa-  
rentem, ac IESV dei & hominis auiam, ut ne hæc  
quidem iam alijs egeat præconijs. Et primam quidem  
Romanæ Musæ immortalitati consecrarunt. Secun-  
dam Hebræorum annales multa laude nobilitant.  
Tertiam Christiana pietas adorat, Rodolphi Agri-  
colæ, Baptistæq; Mantuani facundissimis literis cele-  
bratam.

bratam. Nunc ò si meæ quoq; tantum literæ ualeant,  
ut tuum istud tam pium, tam niueum, tam castum pe-  
ctus posteritas norit, & tribus Annis quartam te an-  
numeret: & fiet profecto, modo tuæ uirtuti nostrum  
ingeniolū respondeat. Equidē adducor, ut credam no-  
men istud non sine mente, ut ait Maro, nec sine numi-  
ne diuū tibi contigisse, adeò multa uideo tibi cum il-  
lis esse communia. Nobilissimæ illæ, tuis uerò im-  
gibus quid habet nostrum hoc regnū illustrius? illæ  
pietate insignes, & tua gratissima cœlo pietas: illarū  
afflictissimis rebus multum iactata, multum specta-  
ta patientia, quod tibi cum illis cōmunius etiam quàm  
uellem. Erat enim tua ista integritas & uirginea sim-  
plicitas, fateor, perpetua prosperitate dignissima. Ve-  
rum quid facias? Hic est uetus ille fortunæ ludus, indi-  
gnos in altū euehere, & innocentie negocium facef-  
sere. Tu uerò mea patrona, palmæ arboris exemplo,  
ne cedo malis, sed contra audentior ito, quàm tua te  
fortuna smat. Ego uerò quanquā pro incredibili mea  
in te charitate, uel pietate potius (salutē enim illi om-  
nē debeo, cuius beneficio mihi cōtingit in literis uiue-  
re, sine qbus ne uiuere quidē possim) casus tuos acer  
be omnino fero, tamē hoc me nō mediocriter recreat,  
quod istiusmodi procellæ nonnunquā à superis propitijs

De natura  
palmæ ar-  
boris cōsu-  
le A. Gel.  
lib. 3. Ca. 6  
Pli. lib. 13  
Cap. 4

ꝛ ꝛ immitun-

**Ab exēplo**

immittuntur, nō ut obruāt, sed ut uirtuti segetē quam  
dam & materiam suppeditent, quō uidelicet magis  
magisq; splēdescat. Sic Hercules & Aeneā Vlysisq;  
uirtus effulsit: sic Iobi probata tolerantia. Nō igitur  
tantum capio dolorem, quod ista obijciuntur, quantū  
uoluptatis, quod obiecta sic feras: feras autem, id quod  
ego non semel sum admiratus, adeō nō dicam toleran-  
ter, sed omnino alacriter, ut ego me tam tuo exemplo  
(dicam enim simpliciter) cōfirmem magis quā uulgo  
ueterum, homo pene ad infortunia natus: quippe qui  
iam annum solidum aduersis uentis, aduerso flumine,  
irato cœlo nauigem. Fit etiam, nescio quo modo (nam  
cur non audeā tibi fateri) ut te hoc quoq; nomine pe-  
culiarius diligam, quod Rhamnusiā illam, quam ego

**Iuxta illud  
Conciliant  
hoies mala.**

semper iniquissimam tuli, ne tibi quidem satis æquam  
esse uideo, ut inter mortales, & malorum societas ali-  
quod conciliat beneuolentiam: quanquam quid hoc  
simile? Nam tua quidem dignitas iam prope extra for-  
tunæ est aleam, & te quidem nonnunquam uellicat:  
at in me sic constanter debacchatur, scilicet hoc uno  
sui dissimilis, ut possit in literas meas coniurasse uide-  
ri. Succurrit has literas exaranti. Cui enim potius  
infelicitatem meam aperiam, quā quæ sola & possi-  
bit & uelit mederi? Succurrit, inquam, hunc ipsum  
solem

solem iam anniuersarium illuxisse, quod in Britanni-  
co littore pecuniola mea, studiorum meorum alimo-  
nia, naufragiū fecit: à quo quidē die, ut memini, perpe-  
tuam malorum cathenam, trahentibus inuicem ansis,  
in hanc usq; lucē fortuna porrexit: etenim simulatq;  
nudum me Britannica Charybdis orbi nostro reuo-  
misset, seu a tempestas, atq; ob eā iter longe duris-  
simum, deinde in iugulos nostros acutæ latronum si-  
cæ exceperunt, tum febris, postea pestis, quæ tamen  
fugauit tantum, non afflauit. Adde his domesticas cu-  
ras, quas non parum multas quotidie mortalium uita  
paritat. Sed partim pudet, ita me deus amet, me ui-  
rum utcunq; literarum præsidio munitum, ac philo-  
sophiæ præceptis armatum, animo consternari: cum  
tu, quam & natura sceminam finxit, quam fortunæ  
indulgentia summo loco genuit, maximis delicijs  
educauit, non nihil habes quod feras, & feras tam  
non muliebriter: partim quod quantumuis in me de-  
tonaret fortuna, nullam esse causam statuerem cur  
literas deseram, animoq; frangar, dum tu mihi ceu Ouidius.  
certissima quædam Cynosura præluxeris. Siqui-  
dem literas fortuna ne potest quidem nobis eripe-  
re, pecuniolam uerò, quantulam hoc ocium desi-  
derat, opes tuæ animo scilicet tuo pares, facile pos-  
sunt uocatus  
sint

Sidonij  
Helicen,  
Graia ca=  
eruanotat.

De Mœce  
natibus  
multis do=  
florum ui=  
rorum.

sint suppeditare. Et fortunæ quidem tuæ debes, quod  
uales: animo tuo ego debeo, quod uis, & uis eti=  
am libenter Musas meas alere, ex te nimirum unâ  
pendentes, te unam respicientes, tibi uni consecratas.  
Aluit Cherylum malum ferreumq; , ut ait Lucilius,  
scriptorē Alexander Magnus. Maronis & Flacci te  
nuitatem Mecœnatis inexhausta benignitas fouit. Pli  
nianas lucubrationes Vespasiani studium acuit. Semi  
greculas Aufonij musas Gratiani Caesaris humanitas  
etiam consulatu Romano decorauit. Hieronymi piam  
facundiã Paulæ & Eustochij nobilitas ornauit. Nus  
per etiam Politianum seculi nostri delicias, Lauren  
tius Medices tanquam gremio suo educatum, extulit.  
Et ne iuxta Græcorū dictum harenas numerem, suis  
cuiq; ingenio contigit Mecœnas. Neq; gratiam adeo  
pœnitendam ij mihi uidentur suis patronis retulisse,  
quorū memoriam eternitati libris suis consecrarunt.  
Ego uerò mea nutricia ne Mecœnatem quidem ullum  
aut Casarē tecum sanus permutauerim, & quod ad  
reponendam uicem attinet, quantum hoc ingeniolo po  
tero contendere, pro mea quoq; uirili enitar, ut &  
meam Mecœnatē postera secula nouerint, mirēturq;  
unam extremo orbe sceminam exstitisse, quæ bonas li  
teras partim imperitorum inscitia corruptas, partim  
princi=

principum uitio iacentes, partim hominum desidia  
neglectas, sua beneficentia studuerit excitare, quæ  
Erasmi literulas à splendidis pollicitatoribus destitu  
tas, à tyranno spoliatas, omnibus fortunæ casibus op=  
pugnatas, passa non sit egestate concidere. Quod uti  
instituiisti, ita pergas, supplices tibi manus tendunt li  
teræ meæ, alumne tuæ, teq; & per tuam obtestantur  
fortunam, quam & secundam summa cum laude con  
temnis, & aduersam fortissime tulisti, per suas itē for  
tunas semper iratas, cōtra quas tuo unius patrocinio  
consistunt, & per excellentis illius regimæ, nempe ue  
teris theologiæ amorem, quam  $\Psi\alpha\lambda\mu\omicron\gamma\rho\acute{\alpha}\phi\omicron\varsigma$  ille Psal. 44.  
diminitus afflatus, eterno regi dextram astitisse scri  
bit, interprete Hieronymo, non sordidatâ, non panno  
sam, qualis nunc uisitur in ludis sophistarū, sed in ue  
sfitu deaurato, circumamictâ uarietate, cui ab situ re  
cipiendæ uigiliolæ nostræ omnes desudant. Quam ad  
rem duo quædã perneccessaria iam dudū sentio, alterū  
ut Italiã adeã, quò scilicet ex loci celebritate doctrinu  
læ nostræ nōnihil autoritatis acqratur, alterū ut Do  
floris nomē mihi imponã, ineptū quidē utrūq;. Neq;  
enim, ut inquit Horatius, statim animum mutant, qui  
trans mare currunt, neq; me uel pilo doctiorē magni  
nominis umbra fecerit: uerū ut nunc tempora sunt,  
ita

De gradu ita morè geras, quando nunc non dicà uulgo, sed etiā  
 quē uocant ijs, qui doctrinæ principatum tenent, nemo doctus uis-  
 doctorat9. deri potest, nisi Magister noster appelletur, etiam ue-  
 tante Christo theologorum principe: cum antiquitus  
 nō idē quis pro docto haberetur, quod Doctoris no-  
 men esset mercatus, sed ij doctores dicebantur, qui li-  
 bris æditis, manifestum doctrinæ specimen dedissent.  
 Verum, ut diximus, frustra bonā fabulam egerimus,  
 quam nemo non explodat. Quare leoninā pellē indua-  
 mur oportet, quo fides fiat, & nos literas didicisse,  
 istis qui de uocabulo non de libris (quippe quos non  
 intelligunt) hominem censent. Ii sunt homines quidam  
 præposteris literis imbuti, magna nimirū mercede do-  
 cti nihil scire, crassa Minerua, sensu uix etiam cōmu-  
 ni, sed deū immortalem, q̄ ceruicosa arrogantiā, quam  
 to supercalio, quippe qui sibi unā cū inani nomine con-  
 summatæ doctrinæ falsissimā persuasionē induerunt.  
 Ii Philoxenum & Gnathonem turpissimos gulones  
 referentes, disciplinas omnes culinarij sermonis sordē-  
 bus, & tanq̄ emuncto mucco fœdāt, quō generosis in-  
 genijs nausea deterritis, ipsi soli rerū potiantur. Cum  
 his quoq; monstris mihi decertandū est, & Hercules  
 alter præstandus: quare si tu Erasmum tuum arma-  
 neris, ut possit cum his portētis paritum animo, tum  
 auctoritate

autoritate cōtendere, non nos modo, uerum etiam ip-  
 sæ literæ se tibi debebunt. Armandus autē, mea prin- Vide chi-  
 ceps, Homerici Glauci armis, sed quæ dedit, non quæ liades auto  
 recepit. Hoc enigma quid sibi uelit, ex Batti mei lite ris in, puer  
 ris cognosces, cui citra fucum omnē sortem meā ape- bio, Diome  
 rui. Perfricui faciē contra morem meum, contraq; dis et Glas  
 ingenium, contra uirginē illum literarum pudorem, ci permuta  
 sed ut ait ille, durum telum necessitas. Misi te tibi, An tio.  
 nam Annæ, carnē uel ritmos potus à me puero ad Liuius pri-  
 modum lufos, nam iam inde à tenellis unguiculis eius mæ decadis  
 diuæ pio studio flagraui. Misi præterea obsecratio= lib. 4 de re  
 nes quasdam, quibus ceu magicis præcaminibus possis inuitabili-  
 non lunam illam, sed eam quæ iusticiæ solem genuit,  
 celo uel inuitam, ut ita loquar, deuocare: quanquā  
 ea quidem solet esse facillima. si uirgo uirginis uotis  
 uocetur: nam te quidē non tam in uidiuis, quā in uir  
 gimibus pono, siquidē quod olim puella admodū nupsi  
 sti, id quidem partim parentum auctoritati, partim ge-  
 neri propagando datum: & eiusmodi fuit coniugi-  
 um, ut non tam sit imputanda uoluptas, quā pati-  
 entia spectata. Quod autem nunc ista adhuc ætate ui-  
 renti, & penē puellari, nulla procorū instantia pos-  
 sis à continentie proposito diuelli, quod in fortuna tā  
 affluenti, tam nihil indulges tibi, id ego nō uidiuitē,  
 sed

sed uirginitatem existimo: in quo si, ut cōfido, perse-  
uerabis, ego te, mihi crede audacter, non in adulescen-  
tularum choro, quarum, ut ait scriptura, non est nu-  
Cantico. 6. merus, non in octoginta Salomonis concubinis, sed in  
quinquaginta reginis, et Hieronymo quidē, ut spero,  
approbante annumerauero. Est iam dudū in manibus  
de epistolis, & itē de uarianda oratiōe opus, Adolphi  
filij tui studijs adiuuandis destinatum, tum præterea  
de literis, tuo uidelicet nomini consecrandum. Quæ si  
forte serius uoto prodibunt, non meam tarditatē, sed  
fortunam accusabis, aut si maui operis difficultati im-  
putabis: nam malos quidem libros emitte, insanissi-  
mum: bonos ædere, longe difficillimum. Bene uale, &  
Musas nostras tibi commendatas habe, Datum Lutet-  
ciae VI. calendas Februarias. Anno M. D.

ERASMVVS CHRISTIANO

Lubecensi S. D.

Cum te incredibili quodam ardore literarū fla-  
grare minime dubitarem Christiane non uul-  
garis amice, hortatore nihil opus esse putauī, sed eius  
quam ingressus esses uia duce modo ac tanquam in-  
dice, id quod mei officij esse iudicauī, uidelicet ut ti-  
bi homini non modo copulatisimo, uerum etiam in-  
cūctissimo, uestigia quibus ipse à puero effem ingres-  
sus

sus cōmonstrarē. Quæ si tu pari cura accipies, atq;  
ego dicturus sum, futurū confido, ut neq; me monuis-  
se, neq; te paruisse poenituerit. Prima igitur cura sit,  
ut præceptorem tibi deligas quàm eruditissimū. Neq; De ratione  
enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat, qui sit studendi.  
ipse ineruditus: quem simulatq; nactus eris, sic omnia  
bus modis efficias, ut ille patris in te tu filij uicissim in  
illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa ho-  
nesti ratio nos debet adhortari (quod non minus de-  
beamus his, à quibus recte uiuendi rationem, quàm à  
quibus uiuendi initia sumpsimus: tū mutua ista bene-  
uolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frus-  
stra sis literarū præceptorem habiturus & amicum.  
Deinde ut te illi & attentum & assiduū præbeas.  
Contentione enim immodica nonnunquam obruuntur  
ingenia discuntium. Assiduitas uero & mediocritate  
sua perdurat, & quotidianis incrementis maiorem  
opinionem ac eruum accumulatur. Satieta cum omnibus  
in rebus, tum in literis nihil periculosius. Laxanda est  
igitur aliquoties illa literarū contentio. Intermiscendi  
lusus, sed liberales, sed literis digni, & ab ijs non ni-  
mis abhorrētes, imò medijs ipsis studijs perpetua quæ-  
dam uoluptas est intermiscenda, ut ludum potius dis-  
cendi quàm laborem existimemus. Nihil enim perdie  
A ferré

ferri potest, quod non agentem aliqua uoluptate remoretur.

**O**ptima quæq; statim ac primū discere. Extremā est dementiæ discere dediscenda. Quod in curando stomacho solent præcipere medici, idem tibi in ingenijs seruandū puta. Caue aut noxio aut immo dico cibo ingenium obruas: utroq; enim iuxta offenditur. Ebrardon, Catholicon, Brachylogū ceterosq; id genus, quos percensere neq; possum neq; operæ precium est, ijs relinquito, quos barbariem immenso labore discere iuuat. Initio nō quā multa, sed quā bona percipias refert. Sed iam rationē accipe qua possis nō solum rectius, sed etiam facilius discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, ut tantumdem operis, cum rectius expeditiusq; tum leuius etiā efficiat. Diem tanquā in operas partire, id quod & à Plinio Secūdo & à Pio pontifice maximo, uiris omni memoria præstantissimis, facilitatum legimus. Principio quod caput est, præceptorem interpretantē nō attentus modo, sed & auidus auscultato: non contentus impigre sequi differentem, aliquoties præuolare contendere. Omnia illius dicta memoria, præcipua etiā literis mandabis, fidelissimis uocum custodibus: quibus rursus ita cōfidas caue, ut diuesille ridiculus apud

Senecam

Senecam, qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid seruorum quisquā meminisset. Noli cōmittere ut codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne effluat, aut apud te aut cum alijs retracta. Nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento, quam unam diuus Au relius tum ingenio, tum memoriæ imprimis conducere scripsit. Conflictatio quoq; & tanquā palestra ingeniorum nervos animi præcipue tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari si quid dubitas, nec castigari si quid errabis, sit pudor. Nocturnas lucubrations atque intempestiua studia fugito: nam & ingenium extinguunt & ualetudinem uehementer offēdunt. Aurora Musis amica est, apta studijs. Pransus aut lude aut deambula, aut hilaris confabulare. Quid quod inter ista quoq; studijs locus esse potest? Cibi non quantum libidini, sed quantum ualetudini satis sit, sumito. Sub cœnam paulisper inambula: cœnatus idem facito. Sub somnum exquisitè quippiam ac dignum memoria legito, de eo cogitantē sopor opprimat, id experrectus à teipso reposcas. Plinianum illud semper animo insedeat tuo: omne perire tempus quod studio nō impartias. Cogita iuuenta nihil esse fugacius, quæ ubi auolarit semel redit nunq̄

A 2

Sed

Ratio discere  
li.

Sed iam hortator esse incipio indicē pollicitus. Tu sua  
uisime Christiane hanc formam, aut si quam poteris  
meliozem, sequere, ac bene uale. Lutetiae Anno M.  
CCCC. XCIX.

ERARDO A MARCA EPISCO  
po Leodiensi Erasmus S. D.

**R**euere[n]de p[re]sul, mitto celsitudini tuæ quale-  
cunq[ue] animi in te mei documentum, Paraphra-  
sin in duas epistolas ad Corinthios. Opus modis omni-  
bus nouū est, si non meretur alio titulo commendari.  
Certamen erat inter typographum ac me, utrum ille  
plus excuderet singulis diebus suis formulis, an ego  
meo calamo describerem. Opinor opus uicturum, uel  
inuitis misoglottis. Tu pro tua humanitate boni con-  
sules. Qui codicē reddit, iuuenis est eruditus ingeniq[ue];  
candidissim[us], ab actis oppidi Antuerpiensis, melior  
animæ meæ pars: hunc quæso, pro tua humanitate cō-  
plectere: Ac bene uale Louanij Vndecimo calend[is]  
Martias. Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROT. COLLEGIO  
Canonicorum Metensium S. D.

**O**rnatissimi patres ac domini, ut quisq[ue] uena-  
tur quod amat, nonnullorū p[re]dicatione di-  
dici apud uos esse bibliothecam non uulgaribus, sed  
eximijs

eximijs ac uenerandæ uetustatis codicibus differtam.  
Et quoniam ex Euangelica lege iubemur suum quisq[ue]  
talentum sic in usum publicū conferre, ut usuram ap-  
probet, qui sortem credidit, ego studiū meum ad hoc  
appuli, ut uetustissimos autores aut in lucem eruan,  
et à blattis tineisq[ue] uindicem, aut deprauatos emen-  
dem. Etenim ut grauis est iactura nobis interire, quod  
tantis uigilijs summi uiri prodiderunt, ita non extare  
uidetur, quod extat, sic mendis undiq[ue] conspurcatum  
ut nec legi possit, nec intelligi. Nec dubito quin uestra  
quoq[ue] pietas publicæ faueat utilitati, nihilq[ue] minus  
probet, quàm canem illū p[re]sepi incubantem, de quo  
est in Grecorū prouerbijs, p[re]sertim cum ita liceat  
istam utilitatem alijs communem facere, ut uobis ni-  
hil deteratur. Proinde uos oro ne grauemini biblio-  
thecæ uestræ indicem ad nos mittere, potissimum eos  
libros recensentem, qui uulgo non habentur, aut ha-  
bentur deprauati, id quod usu uenit in omnibus pro-  
pè uetustioribus. Ex eo deligam, quos existimem ma-  
xime profuturos. Hac in re si nostros conatus uestra  
pietas adiuuabit, primum rem faciet Christo gratif-  
simam, deinde splendidissimo collegio uestro cum pri-  
mis gloriosam. Neque enim commitemus, ut uestrū  
officiū ignoret posteritas. Incolumes seruet uos om-

nes Christus optimus maximus, domini in Christo plurimum obseruandi. Louanij pridie idus Iulias. Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROTERODAMVS

Lodouico Viueti S. D.

**A** Pud illustrissimū Ferdinandum in medio colloquio episcopus Leodiēsis exposulauit mecum, quod à Cardinali Croiio non retulerim responsum. Vix occurrebat, quò me purgarem. Nam scripor eam epistolam illi non fuisse redditam. Ego in culpa, qui eam ipse non reddiderim. Literæ quas tu mihi reddidisti planè fuerant resignatæ. Quò sepius colloqui datur cum illustrissimo Ferdinando, hoc mihi indoles illius magis ac magis arridet. O uti nam hæc regio sub tali principe centum annos florere possit. Nunc ut apparet, relegatur in Germaniam, cuius lenta consilia nobis magno constabunt. Sed hæc fatis relinquamus. Admone tuum patronum, si quid lubeat rescribere præsuli Leodiniensi, quem opinor hic ad quadriduum commoraturum. Bene uale. Mechliniæ, natali diuæ Ghertrudis, Anno M. D. XIX.

Erasmus

ERASMVS ROTERODAMVS

Thomæ Linacro S. D.

**L** Vt etiam peruenimus, cætera quidem incolumes, uerum nauigatio ne quadriduana molestum quoddam malum contraximus collecto frigore, quod etiam nunc synciput meum male discruciat. Tument utrinque sub auribus glandes, palpitant tempora, tinniunt aures ambæ. Atque interim nullus adest Linacer qui me arte sua liberet. Tanti iam nunc constitit nobis σωδύκην ἰταλικήν. Nam mihi nihil unquam æque fuerat decretum in uita, quam ne quando fluctibus & uentis me committerem, ubi terra pateret iter. Gallijs reuiximus, nam hic constans perpetuaq; fama dissipat Erasmus ad superos abiisse. Eum rumorem auguror è Milonis illius Galli morte per errorem natum fuisse: siquidem & ille è Gallia profectus, in Montioij familiam concesserat, paucisq; post diebus pestilentia correptus, interijt. Huic aut error: nã omine nihil moueor: illud certe de beo, q. iam nũc uiuus prægustarim, quid sint superstites dicturi de mortuo. Sic mihi arridet reuerso Gallia ut dubiũ sit, utrũ magis animo meo blanditur Britannia, quæ tot, talesq; mihi pepererit amicos an Gallia,

A 4

ueterè

ueterere familiaritate, tum libertate, postremo pro-  
penso quodam in me fauore ac studio, dulcissima.  
Quò sit ut duplici quadà uoluptate perfundar, dum  
pariter iuuat, & Britannicæ consuetudinis memi-  
nisse, præsertim quam breui sperem mihi repeten-  
dam, & Gallicos amicos reuisere. Non potius non  
ridere, si scias quàm auide meus Græculus δῶρον  
illud à me pro calamis Cyprijs promissum expecta-  
rit, quoties δῶρον meminerit, quoties incusarit, quod  
non mitteretur. Iuuat profecto sic coruum delusisse  
hiantē. At homo stupidus non animaduertit me scri-  
psisse ad hunc modum: πῆμφο δῶρον ἀξιόγρον,  
id est, rem malam. Prouinciam susceptam de Ba-  
pistæ libris instituendis, spero feliciter cessuram.  
Video enim pueros bene ingeniatos, modestos, tra-  
stabilis, & qui iam nunc plusquàm pro sua etate sat-  
pant. Clystone illo eorum curatore nihil candidius, ni-  
hil amantius, nihil officiosius. Vale doctissime atq; hu-  
manissime præceptor, & crebrius ad nos scribe, uel  
paucis, modo scribas. Lutetiæ, Anno 156.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Coletio suo S. D.

**I**Am nunc subodoror genus hoc hominum, de quo  
memineras: qua de re plura coràm. Quum pro-  
xime

xime essem Londini, non adij te, ne quid tibi mole-  
stus essem: nam erat statim à prandio equitandum.  
Petrus unoculus, casu mihi factus obuius, indicauit  
te proximis literis meis respondisse, uerum eas non-  
dum accepi. Nisi me deterreret pestilentia, sub De-  
cembrem me ad uos reciperem, præsertim si redeat  
Montioius, ut liceat mihi domo illius uti, quod nunc  
per Cerberum illum non licet. Bene uale præceptor  
unice. Cantabrigiæ tertio nonas Octobris, Anno  
M. D. XI,

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Thomæ Moro S. D.

**V**T nusquam cessant sycophantæ mei, ut nullū  
non mouent lapidē, quò noceant Erasmo, per  
suaserant Coloniae uni atq; alteri libellum illum rudi-  
culum de Iulio cælis excluso, à me conscriptū fuisse,  
persuasuri pluribus, ni præsens impudentissimam ca-  
lumniam retudissem. Quod si quid huius suspicio-  
nis apud uos quoque subortum est, ut solet in huius-  
modi negocijs per multos obambulare diuinatio: mit-  
to ad te exemplar literarum mearum ad Paulū Bonn-  
basium; nam perlongum sit, eadem pluribus scribe-  
re. Nihil pudet istos sycophantas, & nescio quo-  
modo quæ falsissima sunt, libentius credit uulgus.

A 5 Pridem

Pridem erat in animo submonere, Pontificem summū,  
 ut huiusmodi licētiæ Indies magis ac magis gliscenti fi-  
 nē imponeret, sed nōdum incidit cōmoditas, Antonū  
 tamen Puccium oratorem admonui Basileæ, & rece-  
 pit se curaturum: nam illi quoq; res non dissimulan-  
 da uidebatur. Cū tu duodecim Angelatos mittis pro-  
 nouem, nō uideo quid lucri facias. Video futurum, ut  
 fortune secundus status te nobis auferat: sed hoc mo-  
 deratus fero, quod tu interim felix es, qualiacunq; no-  
 stra sunt fāta. Vetus est, amicis conualescentibus sote-  
 ria mittere: at isthinc nec literæ mittuntur, cum à tot  
 morbis reuixerim. De Theologorum quorundam su-  
 catissimis technis perlongū sit scribere: ex literis meis  
 ad Rossensem, fabulæ partem intelliges: nam harum  
 exemplar ad te mitto. Bene uale. Calendas Ianuarias  
 Basileæ, M. D. XV.

## ERASMVS ROTERODAMVS

Guilhelmo Nefeno S. D.

**O** Te terq; quaterq; felicem optime Nefene, cui  
 cōtigerit, sub Cypriano Taleo, uiro nō literis  
 solū ac morum integritate, uerum etiam rara pruden-  
 tia, miroq; rerum usu insigni, merere Musis: cui cum  
 Græcitas etiam accesserit, non uideo quid hominis do-  
 tibus possit adiungi. Nam in omnibus honestis discipli-  
 nis

nis ille iam olim sic est absolutus, citra professionis su-  
 percilium, ut non uideam, quem cum eo conferre  
 queam: proinde etiam atq; etiā uide, ne ipse tuæ de-  
 sis felicitati, fac nunc Germanum agas, uince, spolia,  
 nuda Galliam bonis literis: ita futurum est, ut nec illā  
 relinquas pauperiorem, & tu pulcherrimis merci-  
 bus locuples in patriam redeas. Hic hic nos fortes &  
 inuictos præstemus, neq; cōmittamus, ut Germani Gal-  
 lis ingenio cessisse uideamur. Maiorem in modum te  
 rogo, adeas meo nomine Petrum Viterium, is agit in  
 collegio Nauarræ, ut sciam quid ualeat, quid rerum  
 agat: nam iādiu scribit nihil. Tum fac sciam, quid agat  
 Thomas Greius, mutus & ipse. De Fabri Apologia  
 quam quidam aiunt eum adornare, nihil sanē formi-  
 do: tantum molestum est bonas horas in talibus nugis  
 collocare, cum melioribus rebus uix sufficiam: tum  
 uideo literarum hostes hoc studio moliri, ut nos com-  
 mittant, arte plane tyrannica: siquidem tyrannis  
 nihil formidabilius bonorum concordia. Quid ue-  
 lit ipse uiderit, pro uetere nostra cōsuetudine doleo,  
 quod me prouocans non optime consuluerit fame  
 suæ. Quod si cuius instinctu denuo prouocabit o-  
 diosius, fortassis non quibo imperare animo meo si-  
 milem moderationem. Quid cum huiusmodi rixis,

ijs qui

is qui Gratijs ac Musis sacra faciūt? imò qui Christi mystas profitentur? Quanto satius est, certare tuis officijs? Sed nemo pugnat acrius, quàm qui nolēs & inuitus ad pugnam pertrahitur. Vtinam mihi semper in uagina conditum pereat rubigine ferrum, aut si stringendum est, ne cogar in amicum exerere. Penè rursus absolui nouū Testamētū, in quo quoties quàm honorifice Fabri facio mentionem: nisi prorsus contumelia est illi dissentire, cum ille dissentiat etiam ab omnibus. Tu fac hominem ames ac suspicias, nec pilo tibi sit ingrator ob hanc inter nos consistat iuncula. Bene uale amice singularis. Ioannes Smithus meus iubet te saluere, scripturus, sed non licuit nec per negotia, quibus nullis distringitur, nec per ocium, quo abundat. Louanij M. D. XVII. XV. Calendae Februarias. Ex Lilio.

ANTONIUS PAPINIUS ABBAS

Gemblacensis Erasmo Roterodamo S. D.

**E**Rasme multis modis amāde, per quā lubens mitto uolumina Cypriani, quæcūq; reperimus in nostra bibliotheca, toto pectore fauens & gloriæ satissimi uiri, & tuis irrequietis studijs ac laboribus, quos eruendis & castigandis sacris libris impendis.

Christus

Christus tuam industriam nunquam satis laudatam, bene fortunet ac prouehat: nam ut isti qui codices excudunt adeò corruptos, ut nec intelligi, nec legi possint, multorum animos alienant à sanctissimis studijs, ita tui labores cōplures inflammabunt ad eorundem lectionem. Proinde doctissime pater, si qua sunt apud nos tuo laudabili proposito conducibilia, nostra omnia tua sunt. Quin si uoles, uniuersa nostra bibliotheca semel ad te commigrabit, tota tue fidei committetur. Bene ualeat tua dilectio, mihi lōge charissima. Ex Gemblaco, tertio calendae Iunij.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Christophoro Haco S. D.

**A**llatum est huc carmen elegiacū, à quo scriptum, incertum, certe titulus ad te scriptum arguit: eò quisquis est mortem meam deplorat, meq; tandem inter diuos collocat. Agerem gratias homini pro suo officio, si nossem: nunc tuum est illi meo nomine gratias agere, cuius animus sic in Erasmiū pensus hoc mihi gratior est, quod hæc tribuit sepulto. Nam uiuū qui laudat, non solet abesse prorsus ab assentandi suspiciōe. Sed quid imprecemur rabulis istis, qui me quotannis ferè bis efferūt, idq; quò crudelius sit, uiuum, coguntq; toties me mihi superstitem esse? Quid

Quid imprecentur miseris, nisi mentem illis meliorem dari, ne semper, quod hactenus faciunt, uiuant mortui. Etenim quum deus sit charitas: atque is uita sit anima: qui possunt haberi uiui, qui sic odere proximum ad eum non ledentem, ut studeat de omnibus benemere: ut quem uiuere doleant, falsissimi istiusmodi uis moribus subinde sepeliant: interim imaginatione fruantes, dum re non licet: tum ex eorum dolore, quos tristibus fabulis exanimant, crudelissimam uoluptatem capientes. Nos siue uiuimus, siue morimur, domino uiuimus ac morimur. Bene uale uir optime. Antuerpiæ idus Augusti. Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROT. LODOVICO

Carino suo S. D.

**Q**uod tam amicas literas ad me dederis suavissime Carine, gratia habeo, quod tam erudititas, tibi gratulor. Vix enim mihi persuasit Neseenus, tuo Marte, quod aiunt, fuisse conditas: sed persuasit tamen, uel quia uir minime uanus, uel quia mihi iam pridem nota ingenij tui felicitas. Perge mihi Carine tibi solidam parare felicitatem. Id facies, si ueram eruditionem cum morum integritate coniunxeris. Cetera uel non ambienti dabunt coelites. Bene uale.

uale. Louanij. Anno M. D. XIX. tertio calendæ Martias.

ERASMVS ROTERODAMVS

Vlricho Zasio S.

**V**ix licuit tuas legere literas mi Zasie, quibus alioqui nihil accidere poterat iucundius. Quid ego librum tuum collaudem? compendio dicam. Zafianus est, hoc est, absolutissimus: dignus qui fiat orbi communis. Ad id adiuuabimus simul atque uacabit: uacabit autem intra bimestre: quanquam Aquinate tam subinde citato, non nihil inquinasti splendorem tuæ dictionis. Verum id scio quibus tribueris, et fero: mallem alioqui perpetuum illum Zafiane dictionis cursum ac tenorem dicendi. Erasmus nimis amanter citas, hoc est, longe supra meritum. Bene uale. Bonifacium non uno nomine unice diligo, de quo sane summam spem concepi. Mitto et alterum epistololum olim ad te scriptum, sed obliuione ministri relictum apud me. Probat et Beatus librum tuum, tu cura ut absoluatur: et si fieri potest, uelim ea quoque quæ citas ex parum expolitis autoribus, tamen Zafiano lepore conuestiri. Rursum uale.

Erasmus

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Zasio Svo S. D.

**S**I quo pacto liceret ex hoc euolare pistrino, quod quidem facerem cupidissime: malim extra nuptiarum tempus te uisere, quò totus toto te frui possem: nunc in tanta hominum turba, quantula tui portio re diret ad nos? Mitto Enchiridion nuperrime excusum. Beatus pari diligentia te resalutat: adest & Gerbellius & Oecolampadius. Bene uale uir eruditissime. precor ut nuptiæ filiaæ tuæ tibi tuisq; sint uoluptati pariter ac bono.

VDALRICVS ZASIVS

Erasmo Rot. S. D.

**N**oli mirari Erasme ter maxime heros, si rati-  
us ad te literas dederò: imò magis miraberis  
& aliquas usquã dedi, ita ad augusta illa tua nomina  
& oculos præstringor & mentem. Quem enim Pla-  
tones ipsi, Cicerones, Fabij, suorũ ordini inseruissent,  
suis fuissent sedibus dignati, nos elingues, infantes bar-  
bari, quo loco quo honore, qua uenerantia prosequer-  
mur? Profecto nisi tua me animasset admirabilis hu-  
manitas, quam noster ille Bonifacius Amorbachius  
adulescens uirtute & doctrina clarus, prædicare non  
cessat, nisi optatissimi tui muneris, quo me ornasti,  
beneficia

beneficentia inuitaret, quin potius perurgeret, ma-  
num calamo (quod boni consulas) prorsus abstinuif-  
sem. Mediocris enim ista mea literatio, si in optimis  
doctrinis perquam exigua mihi contulit, eam certe  
discretione instruxit, ut noscam homo infans non ita  
magnorum heroum auribus esse coram obstrepen-  
dum, sicut absentium laudes prædicandæ, quod hoc  
omnibus licuerit, illud nõ nisi doctrinæ politioris gra-  
du receptis. Proinde si fileo, ueneratio me tui clinguat  
nulla abstulit ingratitude. Equidem ubiubi gentium  
degam: quoquò proficiscar, multus mihi in ore mul-  
tus fando Erasmus uersatur, Huius eminentiam cir-  
cumfero: hunc mea quamlibet exigua prædicatione  
celebro: eius ueoerandã & omni ætati admirabilem  
doctrinam extollo, pro numine adorandã iubeo: non  
hominem esse terrenum, sed ignem de coelo sumptum  
defendo: hoc doctissimus nostra ætate iuriconsultus  
Pius Hieronimus Balduginus, Cesareæ maiestatis cõ-  
siliarius principalis consistorij, prouinciæ nostræ Re-  
gens testabitur: ad cuius ut ueteris amic' cœnam cum  
hoc dierum in oppido Enfishem (ibi enim moratur)  
uocatus adessẽ, tuas incomparabiles dotes (quod sem-  
per facio) in partem epularum citauì: atq; ita citauì,  
ut cum ipsa ultro cœna omne genus ferculis splende-  
ret,

ret, tua tamen nomina splendori auctarium & quidē  
memorable adderent. Ignorauit Hieronymus te tam  
uicinū nobis agere, imprecariq; fortune uidebatur,  
quod ea res tam diu eum (quod minime decebat) la-  
tuisset. Is cupit tibi esse notior, amicus esse desiderat:  
in tuas ardet literas, quibus ut eū impertias & rogo  
& hortor. Vir est & Iuris peritissimus, & insuper  
omnibus humanitatis studijs ex pari doctus: & ut  
uerbo dicam, eum comperies Hieronymum, quo pro  
ratione etatis (necdum enim tricesimū annum agit)  
uix aliū Germania nostra superior exhibebit. Quod  
ad me attinet, ita Zasio utitor, ut seruo à pedibus. Iā  
enim me candidiori hostia litasse putabo, si me dignū  
haberi sensero, ut uel inter calunculos tuos dinume-  
rer. Glossæ, quas in certas Iuris ciuilibus partes medi-  
tor: Summa digesti ueteris, cui iam propè summa ma-  
nus imposita est: intellectuū iuris ciuilibus ueritas, que  
contra cōmunia doctorum sensa propediē prodetur:  
de Aduocatis opus nō poenitendum que omnia pari  
sub incude sudant: ea de te prædicabūt, que ne coram  
scribā, & modestia prohibet, & terret pudor. Vale  
decus doctrinarū, quod simile uix aliqua uidebit pos-  
steritas. Ex Friburgo undecimo calendæ Ianuarij.  
Anno M. D. XIII.

Erasmus

Paulo Voltzio S. D.

**D**ifficile mihi sit tibi dare consilium in ea re, in  
qua nescio qua parte pedem tuū torqueat cal-  
ceus. Si quod uitæ genus nosti, q; eam præbeat tranq̄-  
lilitatem, quā animus tuus, ut auguror humanorum tuis  
multū pertesus, suspirat, indica mihi, iungā me tibi.  
Iādudū enim satur sum omnū que uideo geri, ueluti  
fatis quodā. Sed uereor, ne in omne uitæ genus sequā-  
tur nos molestia. Quare si durare potes in isto uitæ  
genere, malim te tranquillitatē istam ab animo petere  
potius q̄ aliunde. Si nō potes, precor ut Christus Opt.  
Max. uelit esse faustū ac felix, quicquid agis. Mollitur  
& Oecolāpadius fugā. Et Vuinphelingus portū suū  
spectat, ut scribit. Ego solus relinquor in his fluctibus  
Coletus præcessit, Christus addidit mihi Satanā ex-  
mum, qui rebus omnibus omisus, totus in hoc est, ut  
orbem in me concitet, natus ad seditionē. Et tamē mi-  
hi interim laborandū est, ne uapulet. Mi Volzi, nun-  
quam erā crediturus tantū ueneni esse in pectoribus  
humanis. Et tamen sacrificat frequenter. Minatur  
exitium omnibus, qui audeant bene loqui de Erasmo:  
etiamsi de ipso nihil loquantur mali. Bene uale pa-  
ter & amice in Christo charissime, Anno 1519.

B 2

Guilielmo

Cum ab ingratitude non secus abhorreā, atq; Achilles ille Homericus à mendacio, mecumq; perpenderem, quā esset immensum, quod tuæ deberem benignitati, rursus & illud uiderem, mediocribus amicis, de mediocribus beneficijs gratias agi conuenire, porro tam excellenti, uereq; primati, gratiam referre conari, tantū abesse à grati hominis officio, ut potius ingratitude, uel certe insolentiæ genus esse uideatur, uidelicet optimum factu iudicauit ut tibi literaria strenula, seu flosculo quopiam è musarum hortulis decerpto animū memorem atq; amantem utroq; testificarer. Itaq; Saturnalia Luciani, Latinitate donata, bonis auibus mitto, libellū nisi fallor, nec infestiuum, nec à me alteri dicatum, & in primis oportunū, si quādo ridere libebit. Imò si licebit, in tanto negotiorū agmine, quæ tibi (ut Horatianis dicam uerbis) per caput & circum saliant latus. Cur autem uicio detur summatibus uiris, si quando curis delassatum animū risu reficiant: cum apud Hesiodum, rideat & maximus ille πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις ἰδὲ καὶ θεῶν ἰσχυρῶν, præcipue si risus sit cuiusmodi hunc esse puto, nec illiberalis, nec cūctus, imò haud scio an aliquan-

aliquanto plus frugis etiam adferens, quā serua qui dem illa sed permolesta negocia. Vale pater amplissimi me & Erasmus tuum, ut facis, à monstro illo plus quā Lernæo uindicare perge, Anno M. D. XV

ERASMVS ROT. SERENISSI-

mo Anglorum regi Henrico S. D.

Serenissime rex cum non minima pars uitæ ac felicitatis humanæ sita sit in bonis literis, quo magis impetuntur hoc tempore à stolidissimis quibusdā, hoc magis subleuandæ sunt fauore præsidioq; principum erga quos non sunt ingrata futura: Præcipue uerò fauendū ijs studijs, quæ conducunt ad pietatem Christi; principis nostri gloriam. Hac in re utinam animum maiestatis tuæ ceteri quoq; reges ac proceres imitentur. Quāquā sunt qui id faciant, & spero breui futuros complures tuæ pietatis amulos. Minimum esse fateor quod ego possum in literis. At tamen ita Christus sit mihi propicius, ut ego quicquid adhuc scripsi, aut scripturus sum, in illius gloriam & scripsi, et scripturus sum. Certe hætenus industriam nostrā probant optimi quique, & in his summus ipse Pontifex. Conspirant tamen aliquot, quibus nimium assuetis ueteri uappæ, non placet nostrum mustum. Pauci sunt, & stolidi, sed tamen deuotis ani-

mis coniuarunt, adeo ut uel periculo suae salutis cupiant extinctas bonas literas quas dolent ubiq; tam feliciter resflescere. Ab his suspicor instigatu Edwardum Leum, ut in nos debaccharetur, cum ipsi non auderent prodire in proscenium, iuuenem gloriae cupidum & sibi placentem subornarunt, ut pro ipsis scribulam ageret. Qui aut utinam aliter scripsisset, aut Anglus non esset. Eduardo nihil debeo, sed tamen animo Christiano, melius illi uolo, quam ipse uult sibi. Angliae debeo, quantum non alteri nationi. Mitto Celsitudini tuae, libellu quo illi respondeo, sed absq; conuicijs. Quem si uacabit inspicere, uidebit quam res ipsa, Lei pollicitis no respondeat. Non redibit ad conuicia, si suo uolet honori consultum. Argumentis non arbitror unquam responsurum. Ea in re perdidit dies ferme quadraginta. Quod temporis utina collocare licuisset, in opus aliquod, quo uel tuam egregiam uirtutem posteritati comendasssem, uel Christi gloriam, pro mea uirili illustrasssem. Precor ut Christus Opt. Max. generosos iuxta ac pios conatus maiestatis tuae suo fauore semper in maius meliusq; prouehat, mihiq; tantu uelit aetatis superesse, ut aliquando liceat declarare quantopere scia me debere benignitati tuae uere regiae, quae dignabitur Erasmus extremum claudium

entulu suum solito fauore prosequi. Antuerpia, festo Crucis exaltate. Anno M. D. XX.

ERASMV ROTERODAMVS

Gulielmo Archiepiscopo Cantuariensi S. D.

**I**ncidit Erasmo tuo periculosa & omnium grauisima, cum calculo conflictatio. Deuentum in manus medicorum, & pharmacopolaru, hoc est carnificum & harpyaru. Adhuc parturio. Malu in costis etiamnum affixum est, quando pariturus, aut quid pariturus incertu. Suspicio hoc morbi debere me ceruiciae, quam dies iam complures inopia uini bibi. Haec nimiru primiciae fructu quos ex praclaro aduersus Gallos bello, capiemus. Has literas dictaui modo, nec id ci tra molestia, tu cura ut quam optime ualeas, optime Meccenas. Cantabrigie, Anno 1515.

ERASMV COLETO SVO S. D.

**S**i tibi risum mouere possut nostra infortunia mi Colete, quod abunde rideas. Nam praeter ea quae iam Londini contigerant, equus ministri mire claudicabat, mutarad enim auriga eu, quae Bouillus miserat: deinde toto itinere nihil erat, q; ederetur. Postero die, perpetua pluuia usq; ad prandiu: a prandio fulgura, tonitrua, hymbres, equus ter collapsus in caput,

Bouillus consultis astris, ait se deprehendisse, Iouem nonnihil iratum. Hoc mihi iam nunc placet, uideo uestigia Christianæ paupertatis. Quæstum usq; adeo nõ spero, ut intelligam hic demum effundendum mihi quicquid à Meccoenatibus queam auellere. Est hic medicus nostras, qui præsidio quintæ essentiæ, prodigio sa designat facinora, è senibus iuuenes, è mortuis uiuos facit: unde nonnulla spes est futurum, ut reiuuene/ scam, si modo liceat quintã essentiã degustare; quod si contingat, non omnino poenitebit huc aduenisse. De quæstu nihil uideo, quid enim auferam à nudis, homo nec improbus, & Mercurio irato natus? Bene uale præceptor optime. Vbi cœperimus profiteri, significabo quo pacto res succedat, ut magis etiã rideas. Cantabrigiæ è collegio reginæ, natali diuini Bartholomæi. Audebo fortassis & Paulum tuum aggredi. Audaciã Erasmi tui specta. Rursum uale M. D. XI.

GERARDO NOVIOMAGO

Erasmus Rot. S. D.

**Q**uid tibi imprecer mi Gerarde, dignũ istis tuis factis? precor ut breui magno aliquo sacerdotio onereris. Dixeras, at non solus R. præsulẽ nostrum non ante quartum aut quintum diem abitu sum; ego iuxta uulgarem morem eum numerum con/

duplicabam;

duplicabam, existimans ante octauum diem non mutaturum locum, & erat hic quod agerem. Videbam occupatissimo principi non uacare tum temporis. Præfagebam uos sero pransuros, & mihi iam stomachus latrabat. Proinde subduxi me, testatus apud te, domi expectaturum eo die, si quid iuberet. Nihil denunciatum est, postridie mane transcurro Louanium, quod arbitrarer haud multũ interesse, hic, an isthic agerem, quod ad conueniendum præsulem attinet. Relinquo domi epistolium, quo testatus sum me ad omnem nutum paratum fore. Hodie propemodũ decreueram recurrere, & ecce Paludanus uetus compotor tuus nunciat hodie dominum proficisci, quod si uerum est, egregium patronum agas oportet, ne quid secus suspicetur ille quàm res est: imò tu potissimum in ius uocãdus, in te cudenda faba, qui me tuis dictis sefellereis. Crede mihi mi Nouiomage, nullus est in orbe princeps, cui magis ex animo cupiã gratificari, quàm Philippo præsuli, non solum ob id quod illius subsim ditioni, uerumetiam quod eximius sit modis omnibus, quod nostro faueat ingeniolo: denique tacito quodam & arcano sensu mentis ad eum obseruandum impellor. Aulicis officijs haud sanè multum ualeo: ceterum quã ualeo, declaraturus sum quanto opere cel/

B 5

siuidinem

studium illius & suspiciam & amem. Id nolim mihi  
 credi, ni propediem ipsare comprobare. Non ausus  
 sum ipsum toties meis epistolis interpellare: tu fac  
 apud illum mihi epistolæ sis uice. Si uocat, aduolabo:  
 sin minus, hoc impensius maturabo profectione, quo  
 liceat redire celerius. Arbitror me redcem fore ante  
 mensem Octobrem: tum extricatus his spinetis theo-  
 logicis, uacuo tràquilloq; animo Musis & amicis ua-  
 cabo. Neq; susciperem hoc iter periculosissimū, ni me-  
 ratio famæ compelleret. Vbicunq; gentium futurus  
 est Erasmus, certum polliceor, & præsulis celsitudo  
 clientulum habitura est, ex animo deditum addictūq;  
 & tua sanctitas amiculum minime fucatum. Bene  
 uale patrone optime. Louanij XV Calendas Maias  
 Anno M. D. XIII.

CONRADO PRAESVLI VVERT  
 zenburgensi Erasmus Rote-  
 rodamus S. D.

**O**Rnatissime præsul, cū sim & natura uere  
 cundior, quàm ut plebeijs etiam hominibus  
 ultro soleam literis meis negociū facessere, & nunc  
 occupatior, quàm ut uacet quicquam omnino scribere,  
 tamen huius Draconis improbitas extudit hanc à  
 me epistolā ad amplitudinē tuam, quam accipio cum  
 semper

semper optimis ac sanctissimis studijs delectatam, tum  
 in præsentia singulari fauore prosequi literarum ho-  
 nestarum cultores. Inter quos utinam me iure queam  
 commemorare. Certe uideor inter hos posse referri,  
 qui sua qualicunq; industria, alijs addūt animos, quæ  
 admodum faciunt, qui in acie classicum canunt, ipsi ta-  
 men interim à prælio semoti, qui ne in certaminibus  
 suffundunt frigidā, cum ipsi cursu non certent. Hactē-  
 nus sanè feliciter successit prouentus ingeniorum, si  
 modo absit discordia, aut certe sit ciuilior. Si uetera  
 studia cum his nouis mutua comitate coalescerent,  
 possent utraq; alteris esse usui. Nunc dum utriq; sic  
 agunt, ut alterutra factio prorsus profigetur, fit, ut  
 utrisq; sit male. Coniuratum est à stolidissimis agmi-  
 nibus in perniciem optimorū studiorū, pars deterior,  
 numero superior est. Melior causa uincit. Et pericu-  
 lum est, ne iuxta Luianū uerbum pars maior superet  
 meliorem, ni tuo tuiq; similibus fauore subleuemur.  
 Ego non solum publico studiorum nomine gratias  
 ago tuæ benignitati, uerum etiā meo priuatum, qui can-  
 dore quodam amico non aspernaris nostras quales-  
 cūq; nenas. Si quid offendit hoc epistolū meū plusq;  
 ex temporarium, Draconi fac impuies, quo iuuenē  
 ut nihil adhuc uidi melius, ita nihil uidi pertinacius.

Celsi

Celsitudinem tuam incolumē ac florentē nobis quā  
diutissime tueatur Christus optimus maximus.

ERASMVVS ROT. FLORENTIO

ab Iselstein S. D.

**C**Larissime princeps. Munus quod tua benigni-  
tas nobis donauit, nō uno nomine mihi fuit gra-  
tissimum, uel quod à tali profectum heroe, uel quod ul-  
tro delatum, nec promerito, nec expectanti. Admo-  
nui filium tuæ celsitudinis, raræ cuiusdā indolis pue-  
rum, ut mihi in referenda gratia sit auxilio. Sic enim  
uidebor rettulisse: si effecero, ut ille in bonis literis  
expectationi tuæ respondeat. Recepit facturū, ac mi-  
hi sanē in hac ætatula iam nunc emicans eruditionis  
specimen maximam spem præbet talem euasurū Ma-  
ximilianum, ut non solum suo generi, uerum etiam ip-  
sis literis bonis sit olim ornamento futurus. Arnoldus  
ut est pueri amantissimus, ita eum non minus diligen-  
ter quā blande curat, Est hic Conradus Goclenius  
iuuenis utriusq; literaturæ peritissimus, stylo cū pri-  
mis. felici, siue prosam orationem tractet, siue metri  
legibus astrictam, philosophicæ rei non uulgariter  
doctus, moribus incorruptis, spectatæq; integritatis.  
Quid multis? Dignus uel ipso Ferdinando discipulo.  
Id tibi meo polliceor periculo, quod si uidebitur hic  
filijs

filijs familiæ adiungendus, agam cum illo & agā non  
minore fide quā si filij mei negocium ageretur: sui  
minus, scito Erasmum toto pectore tuum esse. Bene  
uale. Louanij post. Calend. Octobr. Anno 1519.

ERASMVVS ROT. STEPHANO

Poncherio archiepif. Senonensi S. D.

**R**euere pater, quum nihil esset magnopere,  
quod te scire uellem, tamen huius humanissimi  
commendatoris præter spem oblata commoditas esse  
cit, ut uel salutatrice epistola declararem animum tui  
memorē, cui nō ignoro quot modis debeā. Nos hoc cœ-  
lo tam incōmodo uix tuemur ualetudinē huius corpus  
sculi, & tamē præter temporis incōmoditatem tantis  
tempestatibus pulsati sumus quas nobis excitarūt ho-  
stes bonarum literarum, ut ego nihil unquā simile  
in uita nec legerim, nec audierim, nec expertus sim,  
tanta fuit omnium in unum Erasmum conspiratio. Nul-  
lis non machinis adorti sunt, imō totum orbem, quan-  
tum in ipsis fuit, in me concitarunt. Malum primum à  
paucis ortum, paulatim ita serpsit, ut omnes ferē de-  
nique corripuerit, ego sola recti conscientia fretus,  
libraui memet in tantis sycophantiarum insultibus,  
quod parum esse Christianum ducerem, conuicia con-  
uicijs retaliare. Tandem resipuerunt, & ultro mecū  
inire

inire concordiam, nescio quandiu duraturam, certe per me non uiolabitur semel facta pax. Doleo Fabro negocium esse cum episcopo Roffensi, uiro piocum primis et erudito, sed eo ingenio ut non facile desinat, ubi semel incaluit in certamine. Utinam in prioribus libris magis temperasset à dieterijs, adiecit alteros, hoc est, idem argumentum denuo retexuit, quos nondum legi. Quis genius malus turbat studiorum tranquillitatem huiusmodi contentionibus? Quanto preestabat concordiis animis in Musarum campis ludere? Iam unis atque alteris literis Beraldus mihi minatur epistolam abs te, ea certe mihi gratissima futura est, quocumque fuerit argumento. Quaecumque tellus habebit Erasmum, habebit clientulum tibi addictissimum, id ipsa re declarabo, si contingeret uel annum adhuc superesse. Bene uale. Impudens sim, si tibi commendam Commendatorem, et Commendatori uelim esse commendator: cuius operam spero me tibi fore commendatiorem, cui cupio esse quam commendatissimus. Louanij, postridie calend. Octob. Anno 1519. Coppum medicum opto bene ualere.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Thome Lupseto S. D.

**T**Riginta iam annis nullius mors mihi fuit acerbius, quam Coleti: Percipio hominis memoriam post sterilitati

steritati consecrare. Sed hoc negocium tu pro tua in illius pietate capefferes, ut me instruas, presertim si qua sunt, quae putes mihi non esse cognita. Longolio penes totum triduum dedi: placuit omnibus modis, hoc uno dempto, quod numium Gallus est, quum sit nostras. Commendat isthuc clarissimus adolescens Antonius à Grimberga, filius cordatissimi herois à Bergis, rara indole, ac probitate, literarum ex animo studiosus, cui nec inuisus est Erasmus. Valeret hic tui Hermannus Phrysius, ac Nefenus cum Carino, ceterisque. Vesculus nunquam magis fuit in negotio, quam nunc: sed omnia fucate. Mi Lupsete, si uis me tibi immortalium deuinicare beneficio, cura quauis ratione, ut liber ille ad me perueniat. Exemplar est isthuc apud tres aut quatuor, amici agunt ut prematur, et interim hoc me ledunt, quod hic quotidie reddit instructiores suas Sycophantias. Nihil enim minus sperandum est, quam ut ille perpetuo premat. Hoc officium si mihi praestiteris, reposce uicissim quicquid uoles, nihil negabitur. Magnopere gratum feceris, si frequenter ad nos scripseris. Bene uale. Louanij, postridie idus Octobris, Anno millesimo quingentesimo decimo nono.

Erasmus

ERASMVVS ROTERODAMVVS

integerrimo D. Guilhelmo

Dancoastro S. D.

**O**NOS miseros, qui talem præceptorem, talem patronum, talem amiserimus amicū. Pleratur lachrymis amissa pecunia ueris, hanc ego idesturam omni lachrymarum genere deplorandam censeo. Sed quid conferunt singultus? quid eiulatus? ille reuocari non potest. Nos illum breui sequemur. Interim Coletto gratulandum, qui iam securus suo fruitur Christo, quem semper habebat in ore, semper in pectore. Mandabo literis uitam hominis, si tu tuique similes, quædam me docueritis, mihi fortassis incognita. Quod ut facias etiam atque etiam rogo. Gerardum œconomum meis uerbis salutato diligenter, erga quem adhuc ingratus esse cogor, sic obruor undique. Cum Theologis ictum fœdus, ipsi ultro flagitant, postea quàm nihil ab illis nõ tentatū est in meam perniciem, et uident conatus parum succedere, si Christus pro nobis, quis contra nos? Bene uale mi charissime Guilhelme, meq; Christo optimo maximo tuis precibus commendato. Louanij, postridiæ idus Octobris, Anno M. D. XIX.

Erasmus

ERASMI ROTERODAMI. 399

ERASMVVS ROT. NICOLAO

Præposito Edano S. D.

**V**ir eximie, scribit ad me bibliopola quidam Moguntinus sibi excudi nescio quid libelli de antiquitate agri Moguntini, in quo prædicat nisi molem quandam quæ uocetur Drusiana, de ea si quid habes aut in commentariolis tuis, aut in memoria, maiorem in modum te rogo, ut nobis impartias. Bene uale Louanij. 14, calendæ Ianu. Anno M. D. XIX.

APPENDIX,

**A**vdio uacare ades quasdam uicinas scholæ, et in tua manu propemodum esse situm, cui debeant cedere. Neq; nescit tua prudentia, quàm incommode habitet Nicolaus Busciducus, quantaq; felicitatis portio sit, bene habitare, nec est necesse hominem uobis omnibus notissimum commendare. Rogo itaq; si citra tuum incommodum potes optimo uiro commendare ut tui similis esse uelis, eodẽ officio me quoq; tibi deuincturus. Rursum uale. An. M. D. XIX.

ERASMVVS CVIDAM

αδυρογλωττω S. D.

**N**unquam tam male de te sensurus eram nisi te ipsum adeo palam declarasses, toties tibi dixi id quod res est: rem in manu non fuisse, nec integra

C rete

re te mihi loquitur de professione. Sed finge quod non est: executores totum negocium meae fidei concedidisse, meque te praterito Goclenium, ut magis idoneum praeulisse, quid erat, cur sic in me debacchareris, perinde quasi auum tuum ferro necassem? Haec me quidem leuiter commouent, sed tui me miseret. Si quid fuisset spei, non desuissem officio, sciebam executores nullo pacto propensos in te, etiam si de tuo addidisses duodecim libras, hoc tibi nolebam in licare, quid enim erat necesse? Crede mihi, ista tua improbitate, multorum animos abs te alienas, homines illic uolunt non cogi. Nimirum isti sunt mores ob quos Abbas tam parce te cum agit. Non ut opinor antehac sum male de te meritus, si nihil bene meritus. Etiam nunc te admono, ut in posterum rectius sapias, et sapias tibi. Nam minimum est in quo me possis ledere. Bene uale. Antwerpiae, pridie coepta uirginis matris. Anno millesimo quingentesimo decimo octauo.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Ioanni Robino Decano Mech-

lini. n. s. D.

**V**ir eximie, uides humanae uitae scenas. Quid facias? Non aliter constat haec fabula. Paulus gloriatur se uinctum esse Iesu Christi. Rutgerus gloriari potest

potest se uinctum esse collegij trilinguis. Disimulent quantumlibet, hoc collegium illos pessime habet. Atque haec auguria mihi portendant, olim florentissimum futurum. Sic natum est Romanum imperium. Sic creuit Hebraeorum gloria, sic orta, sic propagata, sic constabita Christiana religio. Nulla res egregia, nisi difficilibus inijs nata est. Argumentum omne cognosces ex Barptolomeo, qui fuit non modo spectator, uerum etiam affinis periculo. Ut sunt res humanae non usque quaque pura, etiam si quid commissum esset, tamen humanitatis uestra fuerat aliquousque fauere professori. Nunc et tali et innocentissimo, multo minus de betis deesse. Doctior an inueniri possit nescio, certe diligentiore, ac moribus puriore uix inuenias. Vtimur eadem mensa. Et inter pocula quid uis garrimus. Ille tot modis fuit lacesitus. Hunc enim studio expetunt, ne quid offendant magis masculos. Nec unquam tamen audiui illum quicquam impotentius loquentem. Opectus uere Christianum. Modo cum Paulo contuli Rutgerum, qui hac certe parte uincit, quod qui Paulum affligebant, errabant, nimirum alieni a professione Euangelica. Hi proceres Christianae doctrinae, prudentes, de composito haec designant. Inhibuerunt et Nesenium, aggressum Geographiam Pomponij Mele-

Qui si domi suæ lupanar aliquod instituisset, tolerandum erat. O sanctam academiam, si cum alijs conferatur, sed dignam alijs, quorum arbitrio temperetur. Mihi multis modis uidetur hoc mereri Rutgerus, ut illi salarium, quod iam aliqua portione est auctum, augetur usq; ad octodecim libras. De professore Latino prospectum est, ni fallor, ex animi uestri sententia. De Hebræo non possum iudicare, sed consulam eos, qui sine dubio possunt. Excellentiam tuam incolumem seruet Iesus Optimus Maximus. Louanij Calend. Decembr. Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROTERODAMVS

Theologo cuidam S. D.

**E**Ximie uir miratur Homerus mortalibus nullam esse belli satietatem, cum rerum cæterarum omnium sit saturitas. At ego magis demiror nobis nullam esse tumultuandi satietatem. Audio denuo magno studio quosdam nescio quid moliri in me, & inquirere in libros meos, quod nunquam istis uenit in mentem, nisi cum irati cupiunt ulcisci. At sperabam Atensi mortuo, studia fore tranquilliora, nec sperabam fore, ut hac in parte Helias ille suos haberet Helizeos. Tu fac eum præstes, quem es pollicitus. In epistolis licet ante concordiam æditis, nihil est, quod cuiusquam lædat famam,

mā, nisi se prodat. Bene uale, & tranquillitati studiorum consule, quod magis in rem uestram est, q̄ meā.

ERASMVS ROTERODAMVS

Iodoco Noetio consiliario

Braban. S. D.

**O**Rnatissime Iodoco. Si clarissimus simul et prouidentissimus Cancellarius fauebit in hac causa libertati studiorum, maxime faciet ex sententia regis nostri, qui haud dubie cupit suam Academiam quam maxime florere honestis disciplinis. Quod obijciunt de supplicando, merum cōmentum est, & huius quosdam iam pudet, quanquam alioqui satis perfrictæ frontis. Res per paucos coniuratos acta est, qui sua doctrina contenti magis student augende rei, quam literis, nec curant quantum proficiant iuuenes, modo ipsi Louanij suo regnent arbitrato. Nusquam est Academia quæ modestiores habeat iuuenes minusq; tumultuantes, quam habet hodie Louanium. Horum bonitate iādiu abutuntur isti, & ingenuos iuuenes habent penè pro emptitijs mācipijs. At illi consul, consul non erat, cui ipse non esset senator. Si quid murmuris aut tumultus est, ab ipsis est, non à iuuenibus. Mihi hic nec seritur nec metitur, ipse nec lego cuiquam, nec audio quenquam. A nemine colligo quicquam, do nonnullis.

Sed tamen mouet me publica causa studiorum. Nescius hospes est, & linguæ nostratis imperitus, quò magis fauendum est uiro alioqui docto, integro ac modesto. Mitto tibi dono uolumen epistolarium: quo cum erit ocium, fallas horas aliquot. Bene uale, meq; magnifico Cancellario cõmenda. Louanij postridie Epiphaniæ, Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROTERODAMVS

Thomæ Linachro S. D.

**N**on sine magno animi dolore audio ex amicis, ualeitudinem tibi factam incommodiorem. hoc mihi me hercle digno cum primis, quem nec senectus attingat unquã, nec morbus ullus. Sed quãdo hac lege nascimur omnes, nec sunt ullo pacto exorabiles Paræ, enitendum est, ut qua licet etiam à fatiis ipsi nobis simus superstites. Porro ut æquioribus animis cedunt è rebus humanis parêtes, qui uiderint liberos suos ad aliquem uitæ statum euectos, ita nonnihil est æditis uigilijs nostris, interim ceu prægustare, quid posteritas de nobis sit iudicatura. At tu si mihi permittis, ut libere tecum agam, sine sine premis tuas omnium eruditissimas lucubrationes, ut periculum sit, ne pro cauto modestoq; crudelis habearis, qui studia huius seculi tam lenta torqueas expectatione tuorum laborum, ac

tata

tam diu fraudes desideratissimo fructu tuorũ uoluminum. Fortasse terret te nostrum exemplum, sed etiã atq; etiam uide, dum studiosius uitas nostram culpã, in diuersam deflectas. De me quicquid tibi audes polliceri, scito semper fore promptissimũ. Bene uale uir optime, idemq; doctissime. Brugis, Natali diui Bartholomæi. Anno M. D. XXI.

ERASMVS ROT. IOANNI SCHV

delino literatori Memingensi S. D.

**G**abrieli Stendelinus homo mihi multis nominibus charus, facile effecit, ut boni cõsulerẽ quod ignotus me tuis literis interpellaris. Plus ille potuit apud Erasmum, nimirũ ut occupatissimus licet, si nã rescriberet, certe resalutaret eum à quo sic esset ad amicitiam prouocatus. Quod isthic, ut ais, tantum tribuitur meis lucubrationibus, si uera prædicas, gaudeo meas uigilijs bonis aliquot addere calcar ad studium uitæ melioris, posteaq; adeo multos ad odiũ meũ prouocarunt. Tu fac, mi Ioannes, ut gnauiter incubas in prouinciam quam hactenus magna cum laude diceris obire. Neq; perinde studio tibi sit digladiari cum ueteris insatiæ hyperaspistis, atq; ut rudi dociliq; etati melioris eruditiois ingenuaq; pietatis seminarium infundas. Si principes nõ admittunt sana cõsilia,

C 4 si ce-

si ecclesie proceres auctoramenta mundi præferunt Christi præmijs, si Theologi monachiq; iam diu nimis adamatam synagogam non possunt relinquere, si populus à consuetis non potest auelli, superest tamē hæc una uia, quæ spem bonam faciat fore, ut mundus aliquando sese referat ad frugem meliorem, si uinum nouum in utres nouos indatur. Emerget olim hæc seges, ac uel citra certamen opprimet hos non minus indotios, quàm indociles. Recte instituendis pueris, & in lucem adēdis ueterū scriptis paulatim euanesceat istorum irreligiosa religio, & illiterata literæ. Hæc igitur grassare, ac bene uale. Anderlaci pridie Nonas Septemb. Anno M. D. XXI.

ERASMVS ROTERODAMVS

Conrado Schutterani & Laurentio Ethonis  
monasteriorum Abbatibus prouincie  
Brisgaudie S. D.

**Z**afius ille nihil facit noui, qui dum sic ubique prædicat Erasmum, ut ex musca plusq; elephantum faciat, non uobis solum, uerum etiam alijs multis imponit, sed prius ipsi imposuit amor quidam immodicus. Quamquam hac in parte prorsus ignorat rerum mearum statum. Nullus est mortalium, qui libetius abstinet ab aulæ cōmercio, quàm Erasmus. Et illic

illic ualere non potest, nisi qui subinde suo fultus choro, fabulæ partē agat. Ego nec factiones ambire possum, nec ingerere memet, nec alium cubito protrudere. Nec ignorat uestra prudentia, qualis sit aula Cesaris, nimirum belua capitum innumerabilium, adeo ut si mihi incidat aliquid negocij, malim iactura rei ocio meo consulere, quàm persequi. Ascitus quidē sum in ordinem consiliarium, sed ita, ut ne uocatus quidem adsim, tantum abest, ut memet ingeram. Et tamen non grauabor causam uestram pro uiribus adiuuare, si se dederit occasio, quanquam citra meā operam non dubito quin sit successura, nimirum iustissima, apud Principem iustissimum. Habet enim Carolus præter alias egregias dotes, illud uel præcipue dignum Imperio, quod æqui iustiq; tenacissimus est, & falli quidem potest, corrumpi uerò non potest. Id eo magis confido fore, quod ut scribitis, iam uos coeperit illius clemētia tueri aduersus uiolentiam illius qui uobis successit negocium. Bene ualete Patres ac domini, cum primis colendi mihi, atq; obseruādi. Louanij Calend. Octobris, Anno 1519.

THOMAS MORVS ERASMO.

**T**ametsi mihi nunquam fuit obscurum Erasme omnium dulcissime, quanto interuallo iudicium

tuum antecellat meum, nunquam tamen illustrius in-  
claruit, quàm in hoc consilio, quo tibi Leoq; suauissimus, ut  
libellus eius perpetuo premeretur, te censente contra,  
ut tum potius adere sineretur, dum expectabatur assi-  
due, ut aliquando posset ea finire fabula, quàm sopita  
fama paulisper, post exiret tamen, noua suscitata tra-  
gœdia. Itaq; perpulimus uerius, quàm persuasimus,  
ut in ea pacta concederes, quæ quum tu te neges in fre-  
gisse, Deus sanctè sese seruasse deiceret, interim tamē  
perpetuo ferè rumpebantur: per utrū uerò, quando  
res me tam procul agente gerebatur, altero in alterū  
congerente regerentq; uicissim omnia, certo dijudica-  
re non possum: dolere tantum cogor, illud consilium  
tantum apud utrumq; ualuisse, ut pax iniretur, quod  
ualiturum non erat ut seruaretur. Maluissim enim  
tum libellum æditum quum minus irritatis animis po-  
terat ædi mitius, quàm ut nunc demum ad auctis odijs  
emitteretur acerbior. Prodiit enim, sed amarior ali-  
quanto quàm uel sperassem, uel in rem fuisset studio-  
forum, in quibus desideratur ea modè stia, quam uel  
idioti inuicem non præbere pudeceret. At tibi certe  
mi Erasme conuenit, si causas quas allegat habuit, nõ  
mirari, si amarulentius affectum suum tam insigniter  
offensus effuderit, sin elusus est aliqua figura ueri, sic  
quoq;

quoq; conuenit ignoscere. Neq; enim nos quicquam  
segnius credita mouent quàm cognita. Non es uel ad-  
monendus, opinor, uel hortandus, ut exhibeatur abs-  
te uerè Christiana modestia, cuius labor in tota re uni-  
desudat Christo, qui tibi solus ob oculos debet obuere  
sari, à quo solidiorem tanto referes gratiam, quanto  
magis hic referre mundus, neq; ingratus curat, neq;  
gratus potest. In cuius immensa commoda, quum tot  
incommoda perpeffus sis, quū tot laboribus ualitudi-  
nè detriueris, ut bona promoueres studia, tamē apud  
inuidos, eosq; tibi propemodū uni debentes, quicquid  
habent literarum, si quid habent bonarum, mala pro  
bonis referas, eò similior es Christo, quem non aliter  
possis imitari fidelius, quàm si maledicta retalies bene-  
dictis, sicut incitasti benefactis. Vale Erasme animo  
meo charissime.

## ERASMVVS ROTERODAMVVS

Andree Cnophæ sacerdoti optimo S. D.

**E**X tribus epistolis, quas ais te mihi scripsisse,  
duas dūtaxat accepi. Primū nemo dabatur, per  
quem responderem. Tandē Colonia offerebat se, ne-  
scio quis, is cum semel atq; iterum me frustra conue-  
nisset, non reuersus est, desperans opinor, nec tamen  
id accidit mea culpa, sed nec ocij dabatur tantum,

nec

nec solitudinis. Atq; ut ingenue dicam, quoniam nihil uidebam in tuis literis, quod magnopere flagitaret responsum, non eram rescripturus, nisi tu tot obtestationibus, tot obsecrationibus mecum ageres. Mentem istam tam piam tamq; auidum Christianæ doctrinæ studiū, uehementer exoscuro. Nam utrunq; testatur epistola tua. Quæ quidem res hoc plus laudis mereatur in te, quod hæc facis inter eos, qui, ut scribis, magis agunt negociū uentris quàm mentis, ad hæc uicinus Rutenis, quos intonsos, & impexos appellas, ob morum, opinor, cultusq; barbariem: ut enim recte dicam est, eum egregie probum esse oportet, qui Athenis probus esset: ita qui uicinus hæreticis, non desinit à fide Catholica, qui permixtus barbaris, gula uentrisq; mæcipijs, totus uiuit honestis studijs, nec ullo malorum contagio corrumpitur, is insigniter bonus sit oportet. Porro si ex me queras consiliū, nihil audies, nisi ut quod facis, strenue pergas. Nam ipsissimā uiam mihi uideris ingressus, qua perueniatur ad ueram felicitatem: neq; enim dubito, quin huc quoq; pro uirilicōtendat, ut quos possis ad tuos mores adducas. Atq; adeo demiror, cum multi sint ubiq; pastores, neminē exoriri, qui clementissimi pastoris exemplum imitetur, quem non piguit ob unam ouem erraticam, tan-

Plato lib. 1  
de legibus.

tum

tum malorum perpeti. Decimas qui petant, uideo per multos, qui sitiunt animarum salutē propè nullos. Hic monachorum plena sunt omnia, ubi nihil est discriminis, & mensis ampla. Quin Rutenos magis adeunt, eosq; sua doctrina, suaq; sanctimonia, reuocāt ad caulas ecclesie: Hic fulciūt ecclesiā, cui magis oneri sunt, q̄ usui. At ubi res poscit ingenue germaneq; Christianum, qui pro lucro Christi, subeat capitis periculum, ibi nusquam apparent, ita dum suis quisq; commodis studemus, negligitur populus Christi. Ac proh dolor nostri mores partim in causa sunt, quò minus multi se conferant ad factionem nostram. Legunt Euangelicā & Apostolicam doctrinam, & uident ab hac uitam nostram longe lateq; discrepare: non iam loquor de uulgo, quod tale ferè est, quales sunt ij, qui præsumt, sed de proceribus ecclesie, de sacerdotibus ac monachis. Bona pars seruimus quæstui, aut uentri, aut glorie, aut tyrannidi. Fidei nomē prætextus tantum est. Hoc illos alienat quos oportebat, mansuetudine, tolerantia, & officijs allicere: sed tamen bona quædā spes habet animum meum, posteaquā uideo & isthic esse, qui sic flagrent amore doctrinæ Euangelicæ. Paraphrases absoluimus in omnes epistolas, præter eam, quæ fertur ad Hebræos. Addidimus Paraphrasim in epistolas

epistolas Petri duas, Iudae unā, & Iacobi unā. Breuē daturū quod superest epistolarū apostolicarū: sic enim uisum est amicis eruditis. Non difficuit carmen tuū, quo mihi bene precaris, atq; ego tibi uicissim absq; carmine, sed sincerissimo pectore precor immortalitatem. Bene uale uir optime, meq; tuis precibus Christo commenda. Louanij prid. Calend. Ian. An. 1520.

ERASMVVS ROT. EQVITI A. V.  
rato Sebastiano de Rotenhaën reuerendiss.

Card. Moguntini à consilijs S. D.

**C**onsuetudinis multò iucundissimae, quae mihi tecum fuit Moguntiae, memoriam tua mihi renouauit epistola, non abhorrens à tuis moribus, uir omni doctrinae genere multò clarior, quàm maiorum imaginibus, quibus tamen es cum primis clarus. Siquidem hoc ipsum uisum est eximij cuiusdā candoris argumentum, quod inter tot principū negocia, inter artium strepitus, in mentem uenit amicus Erasmus. Sed utinam argumentū auspiciatius tibi contigisset ad me scribendi, quàm Eduardus Leus, qui quum tibi uideatur impudēs, sibi uidetur pulchrè fortunatus, qui paulo negotio sibi famam parārit, quam adeo miserescitiebat, ut si non aliqua nocuisset, mortuus esset. Ego magis admiror, quorundam pertinax studium, quū

rebus

rebus omnibus omisis, nihil intētātū relinquit, nullū nō mouent lapidē, quò literas meliores, sat feliciter sublesecetes obruāt, atq; interim, nec sua uetera sat gnauiter tuentur, nec discūt noua. Porrò miris technis et cuniculis rē agūt, nūc hūc, nūc illū histrionē subornantes. Quāq; nec hi Leo fauēt, nisi quod quocūq; pacto mihi male uolebāt. Ad eam rem nullus displicet satelles. Quid mihi philosophia praestet nescio, illud certe mihi praestat animus bene cōsciū, ut huiusmodi mortaliū insanos conatus perpeti malim q̄ imitari. Iam q; uir tantus tuo quoq; nomine mihi supetias aduersus Leum polliceris, si Germanorū desint auxilia, ut humanitatem tuam incredibile amplector, ita officiū planè recuso. Absit, ut Leo tales uiri tantū habeant honoris, ut agminatim illū impetant stylo suo. Opto illis magnificētius aliquod argumentū. Nos in eare totū sesquimēsem perdidimus, idq; mihi uidetur plus satis: sic enim ille scripsit, ut nullis aequè displiceat atq; ijs, q; maxime consultū uolebāt eius honori. Hāc laudē tulit etiā ab ijs, q; mihi male uolūt. Nemo fuit arrogātus indoctus. Et tamē hoc ille certamē appellat. Quod mihi Senecae uersibus ominaris nominis immortalitatem, de mea apud posteros opinione, uiderint superi, modo bene sit ijs studijs, quae nos Christo cōmendant.

Quis

Quis enim non perspicit mundum paulatim ad barbaram quandam tyrannidem tendere? Parturit iam pridē, quid pariturus sit nescio. Nos ut si liceat prodesse cupimus, ita tumultus autores esse nolumus. Bene uale, nosq; tuo principi commenda. Louanij, idibus Augusti. Anno X. D. XX.

ERASMVSTHOMAE

Bedello S. D.

**D**E praesulis optimi in me studio, ut re mihi longe gratissimā, ita minime nouam nuncias, sed quod toties obiurgas me, qui nihil ab illo petam, facis inclementer mi Bedelle. Imò iam pridem oro, ut ingēs aliquod sacerdotiū conijciat in caput meum. Non dubito quin ille sit huic corpusculo superstes futurus, sed tamen in rebus humanis certi nihil est. Verum ne nihil impudenter faciam, in praesentia cuperem mihi rursus numerari anni uenturi pensionem, aut certe syngrapham mitti, per quam hic aut apud Italos recipiam. Adorno enim profectioem in proximam quas dragesimam, sed aestiuaturus Basileae, fortassis illinc repetiturus Italiam nisi quid extiterit, in hoc principum conuentu, quod me remoretur, Paulus non nisi semel lapidatus fuit, hic ego quotidie lapidor Dominicanorum, & Carmelitarū conuicijs, idq; & nominatim,

natim, & in publicis concionibus. Sed nihil aliud efficiunt, nisi ut populus etiam intelligat illos agitari malis furijs. Archiepiscopo, unico Mecoenati meo, multam ex me salutem dicito, post hunc doctori Vuelles, & humanissimo oeconomo. Bene uale mi Pylades. Louanij, pridie Circuncisionis. Anno M. D. XX.

ERASMVSHENRICO

Glarcano S. D.

**L**iteras tuas Basilea huc allatas reddidit mihi Hieronymus Frobenius. De amore in te meo nihil remisi, etiamsi de huius corpusculi uigore quotidie aliquid decerpit, quum aetas, tum studiorum semper crescens labor, sed multo maxime tediū, quod nobis adferunt isti rabulae, aduersus bonas literas, aduersus sinceram pietatem coniurati. Ioannis Lascaaris consuetudinem tibi profecto gratulor, non est ille sui dissimilis, semper candidissime fauit bonae spei ingenijs. Utinam eum uirum deus iuuantis optimis studijs quā diutissime superstitem esse uelit. Tu fac mi Glareane, te modis omnibus instruas, ut nobis mox lampadem traditurus, ita succedas, ut nomen Erasmi prorsus obscures. Bene uale. Saluta Cyprianum Taleam, Nicolaum Beraldum, Hermannum Phrysum, ac ceteros qui nobis isthic bene uolunt. Louanij, M. D. XVIII.

D ERAS

ERASMVVS ROTERODAMVS

Hermanno Phryfio

S. D.

**E**Ruditissime iuuenis, ostēdi Moro in literis tuis locū, qui ad illū attinebat, ille simul atq; gustat phrasim, totas perlegit, & amare coepit ingenium tuū. Amo Brixij ingenium nō uulgariter, phrasim admiror, sed utinam exerceret utrunq; in argumento plausibiliore. Contemnit, ut scribis, ille Morum, atqui uereor, ne sero sentiat illū sibi non fuisse contemnendū: illud curandū Brixio, ita stylū temperet, ut nō solum eruditus, uerumetiam uir bonus & æquus habeatur. Consulat amicos suos graues & eruditos, Budæū, Deloinū, Ruseum, & Ruellum, potius quā iuuenilē animi impetū. Brixius interpretatus est dictū, nescio quod, ex meis ad Beraldū schedis, quasi ipsi priores tribuerim in eruditionis laude: nec sum adeo indotus, nec adeo Moro amicus, ut non perspiciam, quid inter eos intersit: imō uolebam illū Musarum præstidijs certare, nō conuicijs. Et confido me hoc à Moro impetraturū, ut & ille premat, quæ iam adornauit dentatiora, quā ut uel à Moro, uel in Brixium scribi uelim. Etiam atq; etiam te rogo, hortare Brixium, ut alio potius argumento suum ingenium exerceat, ita

rectius

rectius consulet suæ famæ. Benè uale. Saluta Beraldū meo nomine diligenter. Louanij. M. D. XXI.

DES. ERAS. ROT. BONI=

facio Amorbachio S. D.

**M**agna felicitatis pars est, maxima gratitudinis, si quis agnoscat sua bona. Proinde etiam atque etiam gratulandum est nostro seculo, gratulandum superis, quorum benignitate præclara studia, tot iam seculis penè sepulta, toto terrarum orbe reflorescunt, ac felicissime propagantur. Ante annos plus minus octoginta, non ij modo erant infantes, atque elingues, qui eas profitebantur artes, quas suo quoq; seculo, quo uel maxime floruit erudita facundia, mutas appellat Vergilius, uerū etiam ipsa Grammatica, recte loquendi magistra, & Rhetorica copiose splendideq; dicendi dux, foede misereq; habuitiebant. Et quæ quondam tot linguis instructæ fuerant, tum unam latinā pessime latine sonabant. Post hæc paulatim subolefcentibus literis melioribus, Italia sola linguā habebat, nec apud hanc ullæ disciplinæ præter oratoriā. Nunc nulla est natio sub Christiana ditione, in qua nō omne disciplinarū genus (Musis bene fortunantibus) eloquentiæ maiestatem, eruditionis utilitati adiungit. Medicina loqui coepit apud Italos, opera

D 2 Nicc=

Nicolai Leonicensi, senis immortalitate digni: apud Gallos, Gulielmi Copi Basiliensis apud Britannos, studio Thomæ Linacri sic nuper disertus coepit esse Galenus, ut in sua lingua parum disertus uideri possit. Eiusdem opera sic latine loquitur Aristoteles, ut licet Atticus, uix in suo sermone parem habeat gratiam, licet ante hunc, illud certe præstiterint, apud Italos Argyropylus, Trapezontius, Theodorus Gaza, Marsilius Picus, apud Gallos, Faber Stapulensis, ne philosophia muta uideri possit. Porro legibus Cæsareis pristinum elegantie nitorem, atq; etiam gemine literaturæ gloriæ feliciter restituit apud Gallos Gulielmus Budæus, apud Germanos, uir omnibus modis incomparabilis Valtricus Zasius, tanta Romani sermonis ubertate scatens, ut Vlpianum quempiam loqui putet, non huius ætatis iureconsultum. At nescio quo pacto nondum ea res perinde succedit Theologis, etiamsi non desint, qui fieri gestiunt. Spero tamen breui futurum, ut hæc quoq; professio, situ deterso pristinum suum nitorem asserat. Hactenus è doctorum centurijs excluduntur, qui paulo politius loquerentur, nec dignabantur quenquam suo albo professores, nisi qui cum ipsis turpiter balbutisset, necq; quicquam omnino castioris literaturæ attigisset. Atq; illud protinus erat in præceptu:

gram

grammaticus est, non philosophus: rhetor est, non iureconsultus: orator est, non Theologus. Sed breui, ni fallor, rebus in diuersum commutatis, non reciperentur in ordinem, nisi qui priscos illos disciplinarum autores, elegantioribus etiam literis referant, neq; phas erit cuiquam sibi sapientiam uendicare, nisi simul adfuerit pedissequa eloquentia, quam diuus Augustinus non uult usquam ab heræ sua digredi. Zafianus annotationes percurri uerius quam legi, nam adferretur me iam ad iter accinctor. Mire placuit gustus, neq; dubito, quin omnia magis sint placitura, si liceat affatim expleri talibus epulis. Extimulabis hominem, mi Bonifaci, ne diutius nobis hanc gloriam, hunc fructum, hanc uoluptatem inuideat, nisi tu quoq; nobis inuides, cum contigerit tibi domestico Zafij contubernio felicem esse. Bene uale. Basileæ pridie Cal. Septemb. AN. M. D. XVIII.

ERASMVVS ROTEROD.

Budæo suo S. D.

**A**Micorum optime simul et eruditissime. Si Morus, et Brixius essent à me alienissimi, tamen uehementer dolorem literarum nomine, quod duo tam insignes Musarum mystæ, tan uirulentis libellis sese conscinderent, magno studiorum incommodo, magno gaudio eorum, qui iam pridem cum melioribus

bus literis bellum gerunt. Nunc quum uterq; sit amicus, alter etiam coniunctissimus, dici non potest, quam acerbe feram hoc disidij inter eos incidisse, quorum utriusq; & ingenij adamo, & gloria faueo. Vterq; strenue contemnit alterum: uerum ex mutuo contemptu, quid oriri potest, nisi similtas semper gliscens in peius? Egi studiosissime cum Moro, ut silentio rem dissimulareret, & persuaferam, ni Brixius tam seditiose exagitasset eum locum, de rege laudato, non sine suggillatione filij, ut quidem interpretatur Brixius. Non est res ludicra rem habere cum Ioue, quem euocasse parum rite conceptis precibus exitio fuit. Non quod Moro quicquam sit ab hoc suo metuendum, cui ob eximias dote unice charus est, tamen Brixius declinavit animum perdendi Mori cupidum. Quod Brixius scripsit in Morum, cum omnium iudicio sit plusquam satis, tamen odio illius non satisfacit. Nusquam non arripit occasionem insectandi Morum. Neq; quicquam exit illius, in quo non multis uerbis illu impetatur, cum ille tamen nihil adhuc responderit. Demiror quis sic instiget animum Brixij. Obsecro te per Musas, ut uestra autoritas iuuenilem istu  $\psi\theta\sigma\iota\omega\sigma\mu\omega\upsilon$  coherceat. Non hic ago Mori mei negocium: nam si pergat haec contentio, crede mihi, fortasse fame non nihil

nihil auferet Brixius, at gloria nihil. Bene uale Budee charissime. Antuerpiae pridie Laurentij. AN. M. D. XX.

ERAS. ROTERODAMVS

Guilielmo Burbanco

S. D.

IS demum uere amat, qui gratis amat. At tu Erasmus immerentem, tam constanter, tam ardentem amas, ut uix quenquam inuenias, qui syncerius, aut pertinacius, aut uehementius amet promeritum. Roma a me nullis prouocatus officijs, quo affectu complecti coepisti? nec interim, uel tantillum refrixit in me, tua gratuita beneuolentia: cum tot iam annis nullum id genus officiorum intercesserit, quibus inter amicos solet ali renouariq; charitas, alioqui desuetudine solita languescere. O pectus amicitiae candoriq; natum, quod ego mi redamem, tum non deprecor, quod minus oes me dicant adamantem gestare in pectore, aut si quid adamantem durius. Atq; hic quoq; iuxta prouerbum, Gratia gratia parit. Afflauit tibi Montioius aliquid sui in me animi, et utriusq; studium tot mihi in una familia amicos excitauit, ni fallor. Quid enim aliud in causa esse coniectem, nam quae dos, aut quod officium meum sic inflammauit Thomae Louelli iuris Pontificij doctoris in me studium?

Aut quæ res eruditissimi uiri Roberti Tonicij tam non uulgarem beneuolentiam conciliauit? Vnde Francisci Philippi, summa spei iuuenis, tam singularis erga me fauor? Quid autem commemorem non nouum quidem illum, sed hoc spectatiorem amicum, Franciscum medicum? Quid doctorem incôparabilem Samsonem, cuius ingenio nec optari quicquam potest purius aut amicus. Quid Gonellum illum non amicum, sed prorsus animæ dimidiū meæ. Quid Clementem, cui Morus amoris in me sui scintillulas aliquot afflauit? Quid Ricardum Paceum, qui mihi planè Pyladem quendā, non tam pollicetur, quàm præstat. Quid Cutbertum Tonstallum, cum quouis priscorum conferendum, quorum non ita multa paria celebrauit antiquitas. O me diuitem. O domum illam augustam, ac felicem. O uerè splendidum Cardinalem, qui tales uiros habet in consilijs, cuius mensa talibus luminibus cingitur. Sed quàm isti præter meritum amant Erasmus, tam alij quidam præter meritum auersantur. Et utinam maleuolentiæ non esset fecundior propagatio. Verum mihi potius est paucioribus placuisse, sed egregie probis, quàm multis istorum similibus, qui ferè aut stolidi sunt, & indocti, aut manifesto liberos, & inuidentiæ morbo obnoxij, aut ea ingenij

peruer

peruersitate, ut nemini omnino bene uelint, sibi prope modum ipsis inuidentes: sed obrectatoribus mentē meliorem precemur. Apud amicos, tu sãc nomenclatorē agas, ac nominatim singulis ex me salutē dicito. Bene uale uir integerrime. Louanij Cal. Sep. Anno 1522.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Martino Bruxellensi S. D.

**S**imul atq; uolumen allatū fuerit, ad te ueniet. Nihil secius quod misisti literis inclusum, in tuos usus erit incolume. Mitto libellū Iacobi Latomi, sanè quàm eruditum & elegantem, quem nonnulli suspicantur non ab ipso tantum, sed è communi Theologorum consilio constatū, & in me uibratum: mihi ut Latomo dignus uideri potest, ita uidetur indignus, qui cõmuni theologorum suffragio scriptus uideatur, neq; me dignum arbitror, in quem talia scribantur. De cæteris coràm, nam subito uocor Antuerpiã, tamen mox rediturus. Bene uale Martine charissime, tertio Cal. Apriles. Anno M. D. XIX. Louanij.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Martino Bruxellensi S. D.

**C**harissime frater, acceptis tuis literis non respondi, protinus decreueram uisere te. Verum semper nouis occasionibus sum prohibitus. Oro te, ne

D 5 quid

quid animum tuum disrueat hæc tragœdia planè fatalis, tuus dolor mihi prodesse non potest, obesse potest certe tibi. Omisiss huiusmodi nanijs oblecta te sanctis studijs, & philosophia Christi, quæ gaudet bonis & tolerat malos. Puto me habiturū uetus Testamentum Hebraicum Antuuerpiæ. Si non mutasti sententiã curabo, ut ematur, sin secus est animus, describe quid uelis fieri. Bene uale in domino mi Martine charissime  
Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROTERODAMVS  
Martino Bruxellensi S. D.

**V**ide num aptum munus miseris, crumenulã nõ habenti pecuniam. Repperi in mea bibliotheca Gregorium Nazianzenum, & ab Hieronymo laudatum, non minus pium, quàm eruditum ac facundum. Eum ratus tibi placiturū, ad te ire iussi, uel ἀντίλογος, uel mei in te studij qualecunq; symbolon. Tu perge tuam ætatem florentem, atq; indolem non uulgarem, utrunq; dei donum, in sanctis studijs exercere sed ita ut simul hoc agatur quod legitur. Bene uale charissime mihi, ætate fili, presbyterio frater, nosq; precibus tuis Christo commenda.

ERAS

ERASMVS MARTINO  
suo S. D.

**V**ir integerrime, mitto libellū epistolarū, inter quas una est, qua respondeo stultissimo libello quem ad me miser as. Eam inuenies pagina qq. Quam postea poenitudo me coepit, tantū opere in rem tam nihili collocatum: tuum nomen non expressi, ne quid turbe tibi conciliarem, ne illius quidẽ, ne se proditum clamaret, qui tamen prodi cupit. Bene uale nostri memor præsertim in precibus tuis. Anno M. D. XVIII.

ERASMVS ROT. MARTINO  
Bruxellensi S. D.

**T**ot obruor laboribus studiorum, ut si maxime cupiam non uacet adire te. Ioannes Hagijs abiurat se esse autorem famosi libelli. Ego suspicor Leum autorem esse, aut certe instigatorem, ni me mea fallit diuinatio. Res leuiter me mouet, mihi ipsi bene consciium, sed si possim certum scire qui sit, fiet ut sit alijs exemplo, quisquis est ille Satanae organum. Tu fac te sacris literis oblectes, absque contentione, quæ tuam tranquillitatẽ turbat, & meis negocijs non multum adfert momenti. Cras eo Antuuerpiam emptu-

Rus Hebraicum uolumen, nisi quid uariat animi tui sententia. Bene uale Martine charissime, etate filii, sacerdotio frater, et istos homunculorum tumultus magno animo despice, nixus coelesti Christi praesidio. Anno M. D. XIX.

ERASMVS ROTERODAMVS

Carolo Harst S. D.

**B**is igitur tibi debeo, mi Carole, et quod nos uolueris inuifere, et quod abstinueris, ne studia mea interpellares. Quod mihi rus hoc gratularis, certe nihil iam multis mensibus a me factum est, quod cesserit felicius. Perieram, ni urbium nidorem reliquisset. Iam mihi cum medicis res esse ceperat, consulti diuersi, diuersa praescripserant remedia. Ea quo minus sumpserim, nihil obstitit, nisi quod non uacabat egrotare, subinde nouis negocijs alio uocantibus. Quam huc quoque penetrant *ὄχι τῶ χορὸν ἔρως*. Quid enim istis est inaccessum? Et est propinquo quotidie audimus insulas fabulas. De Carino quod mones, iam dudum a me curatum est. Nefeno misi. Cui tradideram, ait se redidisse Capitoni nostro. Tu fac modis omnibus compiles Conradum Golenium, omni genere literarum opulentum, ac ueluti gnauus et audax negociator, honestissimis mercibus in patriam tuam onustus redeas.

Secd

Sed in primis stylum acue, quod possis aliquando rabulas istos, qui tam stolidè reclamant optimis studijs, suis depingere coloribus. Bene uale. Ex rure Anderlaco X. Calend. Iulias, Anno M. D. XVI.

ERASMVS ROTERODAMVS

Guilielmo Taleo S. D.

**Q**vando desines queri, me tuum nomen è Guilielmorum catalogo submouisse? Quantumuis abest à catalogo Taleus, certe ab animo nunquam absuit. Monumentum amoris in me tui, quoquod me confero mecum circumfero. Et utinam aliquando contingat ad ueterem illam redire uitae consuetudinem, et quam Ferrariae primum sumus auspicati, mox apud Britan nos renouauimus feliciter consummemus. Utinam casus aliquis, tuo quidem bono, in hanc nostram Brabantiam te propellat. Est Louanij coelum, quod uel Italico quondam adamato praefers: non amicum modo, uerum etiam salubre. Nusquam studetur quietius. Nec alibi felicior ingeniorum prouentus. Nusquam professorum maior aut paratior copia. Haec comoda si te huc non pelliciant, certe tanti est pestem Britannicam effugere, quae, ut audio, isthic parcat nemini. Bene uale. Brugis Idus Aug. Anno M. D. XVI.

ERAS

Rescio suo S. D.

**N**I tam atrox esset cōtumelia, mi Resci doctissime, prorsus autor tibi futurus sim, ut uel iniquis conditionibus pacem admitteres. Nunc cum eiusmodi sit contumeliæ genus, ut nemo non detestaturus sit, si quid eiusmodi commississet herus in suum mancipium, cuiusmodi maliciosa conspiratio designarunt ij, quorum partes erant omnem iniuriam à frugi scolasticis depellere, non ausim ut facias, suadere, quod tamen tuo bono factum esse cuperem. Mira uerò tyrannicis, ipsi quum ne uoculæ quidem ullius iniuriam ferant, postulant, ut tu tam insignem contumeliã mutes, ac propemodum etiam ultro ueniam postules, ne quid scilicet illorum decedat dignitati. Res erat digna quæ posteris innotesceret. At ego puto generosius esse uindictæ genus, si quemadmodum hactenus fecisti, Græcæ literaturæ professionem, quàm maxime honestes & integerrimis tuis moribus, & docendi uigilantia. Quod si non impetras hoc ab animo tuo, ut litem remittas, id quod ego nolim abs te flagitare, quando famæ res agitur, fac ita litiges, quemadmodum hactenus est à uobis litigatum. Nam quum proxime effem Louanij, sic obesulus, rubicundulus &

alacer

alacer eras, ut mihi iste non macerari, sed saginari uidearis. Et habes te dignum aduersarium Ioannē Calabrum medicum, qui te pallore macieq; refert. Excepta ætate adeò tui non dissimilis, ut periculum sit, ne cui uidearis litigare cum patre. Quanquam uir ille mea sententia, nō peccauit malicia, sed obsequio. Bene uale Resci chariss. Anderlaci M. D. XXI.

ERASMVSVS ROTEROMVSVS

Petro Aegidio suo

S. D.

**Q**uandoquidem in rebus humanis adeò nihil est perpetuum, ut ne diuturnum quidem alia quid esse possit, non perinde discrucari debes optime Petre quod patrē amiseris, quàm gratulari tibi, quod talem habueris. Quæso te circumfer oculos tuos per omnes familias tuæ ciuitatis, ac teipsum consule, num alium patrē tibi deligere uelles, etiamsi quis deus hoc largiretur, ut liceret. Aut ego fallor, aut non alii optares tibi, quàm contigit. Et ille potest inter felices numerari, si quid omnino felix est in hac uita. Si beatum est diu uiuere, peruenerat ille usque ad annum octogimum, integris membris, uigentibus adhuc oculis, ut nec scipione, nec cōspicillis ocularibus esset opus, uix prima canicies coeperat capillorū nigrorē aspergere.

Es

Et quod est omnium felicissimum, quemadmodum est rarissimum, totus illi constabat animus. Quod si fortunatum est bonis auibus sortiri coniugium, & ea res illi bis successit: secundum autem hoc fuit felicius, quod optimo uiro tot liberos optimos dedit. E quibus tam multos uidit, non modo superstites, uerum etiam adultos omnes, & ad aliquem honestum uitae gradum prouectos. Et quemadmodum ipse sic uniuersam aetatem egit apud ciues suos, ut nunquam ullo fœdo rumore famæ candorem asperferit, ita sic instituit suos omnes, ut nullus esset cuius ipsum pœniteret aut puderet. Quid patre tuo sanctius? Quid matre integrius? Quam ille decamabat coniugem, quam illa uenerabatur etiam maritum? Et tamen non semper ex optimis, nascuntur optimi. Quam non fuit illi molesta mors, quum se uideret in talibus liberis superstitem fore? Porro quoties mellitissimum nepotulum filium tuum, Nicolaus Nicolaum exosculabatur, ne mori quidem sibi uidebatur. Opes habebat non tam amplas, quam iustas, & quod his temporibus rarissimum est, sine fraude quaesitas. Artem delegerat, quæ citra dolum lucri tantum suppeditabat, quantum & alende familie, & pauperibus etiã, in quos erat liberalissimus, subleuandis sufficeret. Liberis reliquit, quod ad mundum uictum cuique

satis

fatis esset, etiam si nihil aliunde accederet. Gessit magistratus aliquot ciuiles, gesturus maiores ac plures, si quid ambisset. Quos gessit, ita gessit, ut nemini quicquam esset, quod de illo quereretur. Domesticam discordiam, non secus ac pestem aliquam execrabatur. Ac nec cum ciuium quoquam illi fuit unquam controuersa. Tanta erat morum comoditas. Decedebat de suo iure potius, si uideret concordiam aliter constare non posse. Nullus ex ore illius audiuit unquam sermonem uanum, obscœnum aut obreclatorium. In tam frequenti ciuitate nullum habeat inimicum. Plerique de functum non secus ac patrem lugebant, præsertim inopes. Quanta uerò tolerantia pertulit acerbissimos cruciatus, dierum complurium. Nulla enim mors uolentior, quam quæ accidit, ex obturatis urinae uisceribus. Moriturus nihil aliud mandauit liberis, quam concordiam, & studium pietatis. Hereditatem reliquit ita distributam, ut nihil referret, quis quam portionem delegisset. Nec ullus extitit, qui diceret sibi deberi teruntium. An non ingratus merito uidearis, si talem parentem lugeas? Fruere potius illius felici memoria, & ab huius uitæ fluctibus, in immortalitatis portum delato gratulare. Perge illum referre morum integritate, quemadmodum ante hac fecisti, ac filium iam nunc

E à teneris

à teneris annis ita fingito, ut auum quem nomine refert, referat & uitæ sanctimonia, patrem ac patrū etiam cruditione. Iam nunc Euangelicæ philosophiæ decreta, ueluti lac animi combibat. Iam nunc utriusq; literaturæ semina hauriat, & parentem amabili balbutiæ, Græce, Latineq; salutet. Sic tibi contingat mi Petre cum optima coniuge tua Cornelia feliciter senescere, & ex optimis liberis honestissimam capere uoluptatem. Bene uale amice incomparabilis. Louanij, ANNO M. D. XIX.

ERASMVVS ROTEROD.

Hieronymo Frobenio S. D.

**M**ibi gratias agis, mi Hieronyme, quod ex literis meis propensior in te factus sit patris animus. Sed in te situm est, ut sit propensissimus. Id fiet, si te uerè filium esse declares, & ex animo rem patris adiuues. Non mirū si quando cessant operæ mercenariæ, At tu dum patrem adiuuas, tuum ipsius agis negotium. Nunc ætas est laborum omnium patiens. Ea est rebus honestis exercenda. Quod datur uacui temporis, hoc impende honestis studijs, et euoluendis bonis autoribus. Fuge consortia nepotū et ociosorū, abduc te à iuuenibus uoluptatibus, & ueris dotibus te instrue. Quod si facies, nō deerit tibi neq; gloria, neq; pecunia:

Pecunia: sin secus, & ego te frustra cōmendauero patri, & ipse tibi parum bene consulueris. Sed absit ut hoc eueniat. Confido, mi Hieronyme, te talem futurū, qualē optamus utriq;. Bene uale, & saluta Erasmiolum puerum, ut audio, spei optimæ. Brugis pridie assumptæ Virginis. AN. M. D. XXI.

ERASMVVS HIEROSLAO A

Lasco Poloniæ Baroni S.

**V**tr clarissime quod scribis de mittendo equo, ne si Cyllarum quidem miseris aut Pegasum, posses è limace facere equitem, ne uerisimile quidem est te huc equi causa missurum famulū, posteaquam hinc auocatus est frater. Itaq; diuino eas literas scriptas priusquā decretum erat reuocare germanū. Eius conuictus quomodo mihi tam fuit iucundus, ut uix aliud in uita iucundius, non potest non esse molestissimus illius abitus. Eius suauissima consuetudine propemodum repubueram. Nec enim à superis optare poteram quenquam meis moribus magis appositū, Imò, ut melius dicam, ipsius mores tales sunt, ut omnibus possint congruere. Mitigat hunc meū dolorem, primum quod nō omnino præter expectationem accidit. Semper enim diuinavi futurū, ut hinc cito distraheretur, Deinde quod nō ignorare fãtorū iniquitatē.

Si quid obtigit bonæ felicitatis, mox eripiunt. Si quid incidit mali, hæret tenacissime, nec excuti potest nec auelli. Porro iuges studiorum occupationes obstiterunt, ne quid fructus ille iucissim ex meo conuictu reportaret. Minitabamur subinde, sed identidè è transuerso abortum negocium, interpellabat conatus nostros. Malebat & ipse diutius musarum ocio frui, sed Plato putat sapientem uel inuitum ad reip. commotum darapiendum esse. Magis itaq; libet uestre Poloniæ gratulari, quàm meum priuatum deplorare incommodum. Linguam meam non displicuisse clariss. D. Cancellario uehementer gaudeo ac triumpho serio. Non miraberis autem si posthac senseris Erasmum elinguem esse. Propicius aliquis deus feliciter explicet tuam Cels. ex istis tricis quibus te scribis inuolutum. Noui quantus sis Hercules, sed plurium exemplis declaratum est, quàm non sit tutum, hostem quamuis humilem contemnere. Bene uale. Basileæ V. non. Octob. ANNO M. D. XXV.

ERAS. ROT. IACOBO

Apocello S. D.

**V**ir ornatissime si tibi uideatur impudens, quod ignotus ad ignotum scribo, imputabis bonam huius culpæ partem Iusto consobrino tuo, qui sua facundia

cundia huc me perpulit, subornatis etiã deprecatoriibus, ne detractare possem quod rogabat. Quod si & illius improbitatè & meū obsequium boni consulis, gaudeo per hanc occasionem auctū esse amicorum meorū catalogum. Cōsobrinus tuus mihi uidetur natus rebus gerendis, promptæ nec impolite linguæ, pudore sic temperatu, ut non offundat dicenti tenebras. Erit aliquando magnus, si tuus fauor illi fuerit perpetuus. Bene uale. Datum Basileæ. VII. Id. Octobr. ANNO M. D. XXV.

ERAS. RO. PAVLO BOMBASIO S.

**S**alue Crœse, nisi mauis esse Midas. Extra iocum mi Bombasio gratulor tibi fortunam auctam, sed magis gratulor prosperam ualetudinem, quæ mihi longæuam uridemq; senectâ Bombasij mei pollicetur. Carolo meo tam amanter datâ operâ gaudeo, simulq; gaudeo hac occasione mihi comperitū Card. patroni tui erga me non uulgarè seruorem: Nam ante hac uix tibi credebam. Nunc nullum erat ocium, itaq; necesse est, ut mihi apud illum prolixæ epistolæ uicem commodes. Sub autumnum rursus moliebar iter in Italiam, sed nuncij serius redierant, & hyems ante tempus huc incubuit. Bene uale patrone magne: Basileæ, VII. Id. Octob. M. D. XXV.

E 3 ERAS=

ERASMVSVS ROTERODAMVSVS

Fœderico Nauseæ S.

**G**Ratus fuit libellus quem misisti, gratior epistola tam elaborata, non quod laudibus illis delector, quas tu prodigie uerius quàm liberaliter in me effundis, Imò ne legere quidem eas sustinuissem, ni mihi persuasum haberem eas ab ingenij tui singulari quodam candore, & immodico nostri studio proficisci. In posterum tamen mi Nausea te rogatum uelim, ut exercendo stylo quæras aliud argumentum. Scripsi de tuo negotio Card. Campegio, sed paucis: nec enim opus fuit pluribus, nec mihi uacauit plura scribere. Huc si te contuleris inuenies malū illud agreste mitius ac sanabilius. Detractione sanguinis, remisit se febris. Cætera coram, quòd utinam fiat breui. Interim bene uale chariss. Nausea. Basileæ septimo Idus Octob. Anno M. D. XXV.

ERASMVSVS ROTERODAMVSVS

Fœderico Nauseæ S. D.

**Q**ui decoxerunt, re quidē opitulari non possunt, attamen consilio iuuant alios, ne profusiores sint quàm oportet. Et qui diu cū tenaci morbo colluctati sunt, optime commonstrant alijs, quomodo uel uitari malum, uel sanari queat, Et qui fregerūt nauim,

nauim, soluentibus ostendunt uitanda pericula. Itidē ego Nausea chariss. non ignarus quàm periculosus sit morbus, scribendi cacoëthes, admoneo te ut aliquot annos des euoluendis ac reuoluendis bonis autoribus: ex his ubi iam maturuerit dictio, feliciter expones te ipsum nasuto fastidio, & mundi theatro. Neque quoduis argumentum erit arripiendum, sed deligendum aptum ingenio tuo tuisque uiribus, hoc pacto contiget tibi gloria, fortasse serius aliquanto, sed solidior ac uiuacior. Hoc cōsiliū si tibi placet, olim & mihi gratias ages, qui dederim, & tibi gratulaberis, qui sis obsequutus. Si non placet, tamen hunc animum tuis commodis haud uulgari more fauentem non poteris non boni consulere. Magistratui Francfordiensi consulto non scripsi, quemadmodum uolebas, uel quia mortuo patre Cratonis nullus in eo mihi notus est, uel quia ne leuis quidem erat causa quæ te illi commendarerem. Non expedit autem hoc officij genus inutiliter profundere, sed in suum usum, seruare consultius est. Vbi tale quid inciderit, experieris Erasmus Nauseæ sui causa nihil recusare. Expecto per literas tuas quid agat Rhomæ Card. Campegius. Florianus abijt legatus ad Moschobitas. Bene uale Basileæ postrid. Non. Mar. M. D. XXVI.

442 EPIST. FAMILIARES  
ERASMV ROTERODAMVS

Antonio Puccio episcopo  
Pistoriensi S. D.

**R**euere[n]de p[re]sul. Quum penitus infixæ sint  
animo meo tua in me neutiquam uulgaria offi-  
cia, tamen hætenus ab officio literarum temperaui,  
quod officij potius esse ducerem tuã amplitudinem  
tot negocijs occupatam non interpellare superuaca-  
neis epistolis. Sed quũ oblato nuncio rogarem Lodo-  
uicũ Berum p[re]positum, mihi singularem patronũ,  
ecquid uellet mandare Rhomam, orta mentione tui  
nominis, obnixè rogauit, ut te tribus uerbis salutarẽ:  
quem incolumẽ esse gaudeo uehementer, bonaq; spe-  
sumus fortunam quæ cœpit euehere dignitatem tuam,  
aliquando tuis uirtutibus responsuram, quibus ex te  
ipso maximus es, uelit nolit fortuna. Nobis hætenus  
cum calculo & oblatratoribus tantum res fuit, nunc  
incidit ea tẽpestas, ut superiorũ malorum penẽ simus  
obliti. Quũ uolet dominus, et quũ promerebimur, hic  
~~rerũ tumultus aliquã serenitate cõmutabitur.~~ Affulsit  
enim aurula quædã pacis inter monarchas sarciedæ:  
Id si cõtingat fortassis sub autũnũ isthuc adrepemus.  
Rogamur nisi cõsiderẽ te sponte facere quod soles,  
ut Erasmo clientulo tuo faueas. Berus opinor adscri-  
bit.

ERASMI ROTERODAMI. 439

bet, tametsi pudet hætenus siluisse, & ueretur magni-  
tudinem tuam. Certe ex animo te suspicit amatq; si-  
quis alius. Et precor omnia fausta letaq; Basileæ feria  
quarta post Pentecosten. Anno M. D. XXV.

ERASMV ROTERODAMVS

Matthie Laurino domino de

Vuateruliet

**E**X Marci Laurini literis cognoui, quod mihi  
fuit longe gratissimum te recte ualere, ueterẽq;  
tuam in me beneuolentiam, nec locorum, nec temporũ  
interuallo posuisse. Quorundam male auspicatorũ ho-  
minum improbitate laborant bonæ literæ, & qui his  
prouehendis nauarunt strenuam operam, lapidan-  
tur à picis, gracculis et coruis, ego cum primis. Quod  
ni esset boni ominis aues, quæ funestis obstreperent,  
prohibeant superi, quod isti uidentur ausuri. Quare  
tibi uir generose, non meo tantum uerum etiam lite-  
rarum ac publico studiorũ nomine gratias ago, quod  
aduersus istos blaterones optimam causam & pru-  
denter & feliciter tueris. Rursum apud Hispanos tan-  
tos excitarunt tumultus mendici quidam, ut nec à Cæ-  
sare, nec ab Archiepiscopis compepsi quiuerint. Tan-  
tum ualent clamoribus. Tota spes illis est in maledica  
lingua. Nisi me reuocaret Christiana modestia, & ni

E 5 ueretur

uereretur, ne dum improbis digna rependo, ledā probos, sentirent qualem artificem prouocassent. Miror autē istos nullum molienti finem facere, quum toties male cesserit conatus. Quid enim aliud efficiunt, nisi quod exacerbant publicam in ipsos odium. Metui uolunt non amari, quo quid esse potest magis tyrannicum? Tyrannus qui timetur à multis, multos metuat oportet, & mendici uolunt & regibus esse formidabiles, eò progressæ sunt res humane. Cura ut quàm optime ualeas. Basilee. Anno M. D. XVV.

ERASMI VS ROTERODAMI VS

Tielmanno à Fossa

S. D.

**D**extro Mercurio, pro tam neglecto breuiq; epistolio, duas epistolas accepi, alteram iustā, alteram quæ breue uolumen uideri posset. Vtraque mihi fuit gratissima, multis quidē nominibus, sed præcipue ob sincerū pectoris in me tui candorē, imò non in me, sed in eas potius dotes quas in me credis esse, non meas. Quid enim est nostrum, sed si quid est, dei est. Heliam optimum senem nobis ereptum doleo, cœbis redditum gaudeo. Quid enim illo candidius aut integrius? Proximis suis ad me litteris subscripserat. Helias tuus, barbarus, decrepitus, uiuū cadauer, quasi præ-

præfagiens imminere mortē. illud uiuū cadauer mihi displicuit, eaq; gratia nouissimis literis obiurgauit hominem, qui templum sancti spiritus appellaret cadauer, quum nulli magis uiuant q̄ qui sic moriuntur. Respondit ille non calamo, sed re. Gratū est quod mihi depinxisti tuæ familie simulachrum, gratius quod fortuna tuo respondet animo, qui liberos tuos cures sancte educandos, sed ita ut unum duntaxat dicaris negociationi. Quare quum octo liberos habeas, eosq; tam sancte instituas, frustra mihi offers tuas fortunas communes: non enim sum tam impius, ut tam pie collocandis facultatibus quicquam detrahā, animum totum amplector atq; exosculor. Superest ut hanc amicitiam è ferreo munusculo natā, adamantinis uinculis astringamus. Dominus Iesus bene fortunet res tuas cum tota familia. Basilee sexto Calendæ Septembris. Anno millesimo quingentesimo uigesimo septimo. Sobio ex me salutem plurimam.

ERASMI VS ROTERODAMI VS

regi Angliæ Henrico octa-

uo S. D.

**I**NVICISSIME Rex, non ignorabam, quā inesset ineptus harenæ gladiatoris, semper in amicis Musarum ortis uersatus. Sed quid non audeam

audcam tuæ felicissimæ maiestatis fretus auspicijs? Ita  
 Etā est alea, exijt in lucem libellus de libero arbitrio,  
 audax mihi crede, facinus, ut nunc res habent Germa  
 niæ. Expecto lapidationem, & iam nunc aliquot ra  
 biosi libelli, prouolarunt in caput meum. Sed conso  
 labor meipsum, exemplo maiestatis tuæ, cui nō parcit  
 istorum immanitas. Decretum erat & alioquā facere  
 ad quod per literas hortaris, & religioni Christianæ  
 iuuandæ immori, sed tamen alacrior id faciam, postea  
 quā tua maiestas, currenti quod aiunt, calcar adlere  
 dignata est, cui precor felicitatem perpetuam. Da  
 tum Basileæ, postridie nonas Septemb. Anno M. D.  
 XXIIII.

ERASMVVS ROT. THEO  
 baldo Fetticho S. D.

**Q**uò grauiorem bonis literis calamitatem mi  
 nitatur hoc seculum longe tumultuosissimū,  
 hoc impensius adnitendum est ijs qui perspectum com  
 pertumq; habent absq; linguarum ac politioris lite  
 raturæ conditura, frigiditas, mutas ac penè cæcas esse  
 reliquas disciplinas omnes, nec florere respublicas,  
 nec liberalē esse uitā, breuiter uix hominē hominē esse  
 Accipio penes uos esse rarum ueterū codicū thesaurū  
 quantopere uero uel tu, uel ornatissimus uir Vuol  
 phangus

phangus ab Affenstein faueatis studiorum negocijs,  
 iam pridem & famæ præconijs & eruditorum homi  
 num literis cognoui, tum quā propensa sit utriusq;  
 erga studiorum cultores humanitas. His rebus fretus  
 & Hieronymus Frobenius non dubitauit isthuc pro  
 ficisci, nec ego ueritus sum te meis literis appellare.  
 Ac mihi quidem præ sagit animus hanc uel audaciam,  
 uel si quis malit, fiduciam nobis feliciter esse cessurā.  
 Nemini potest obscurum esse, quot iam annos Ioannes  
 Frobenius, quantis uigilijs, laboribus, impendijs, orna  
 rit eximios autores, idq; longe maiore sua gloria q̄ lu  
 cro. Habet domi uirū utriusq; literaturæ doctissimū,  
 pariq; fide prælitū, quod ego sanè nō in postremis nu  
 mero. Mihi præterea uel immori libebit huic negocio  
 tam utili, tamq; pio. Proinde meo iudicio non aliud di  
 gnior uestro fauore quā Frobenius, nec per aliā offi  
 cinam melius consultum fuerit præclaris autoribus,  
 deniq; uix in alium æque gratum memoremq; colloca  
 ueritis uestrum officium. Porro si quid mea scripta uale  
 bunt, hætenus cum Virgilio licuit dicere utinā & il  
 lud adijcere liceat, Nulla dies unquā memori uos exi  
 met æuo. Certe dabitur opera pro uiribus ne posterī Vergilij  
 tas ignoret cui debeat hanc literaturæ uetustioris ac  
 cessionem. Bene uale cum clarissimo præfecto Vuol  
 phango

phango ab Affenstein. Datū Basileæ nonis Decemb.  
Anno M. D. XXXVI.

ERASMVVS ROT. TIEL-  
mano à Fossa S. D.

**F**erreis xenijs ad amicitiam prouocatus, charta-  
ceis respondeo, non quidem æreis aurea, sed ta-  
mē accepta pensans deterioribus. Adeo uero nō asper-  
natus sum, hoc qualecuncq; munusculum, ut hinc etiam  
collegerim te sincerissimo animo de meis moribus q̄  
optime sentire. Alioqui solent & qui pretiosa mittūt  
multis uerbis precari ueniam, quod meritis inferiora  
mittant. Itaq; munusculi tui uilitas, mihi precium ip-  
sius auxit, & isti tam beneuolo pectori me profiteor  
astrictissimū esse, id quod hoc epistolio ueluti syngra-  
pha legitima singulis & uniuersis contestatum esse  
uolo. Opto tibi prosperam ualitudinem. Datum Basi-  
leæ pridie. Ascensionis. Anno M. D. XXVII.

ERASMVVS ROTERODAMVS  
Francisco Hasseltensi Franciscæ  
no S. D.

**H**onorande in Christo frater, Audio te frequen-  
ter in in tuis prælectionibus nomē meum per-  
stringere. Quod si uerum est moneo ut memineris qd  
ordine uestro dignum sit. Scis nec Pontifici nec Cæsari pro-

ri probari tales insectationes, quod uterq; satis decla-  
rauit, etiā scripto. Scis inutiles esse hoc statu rerum,  
quo meum caput pro negotio fidei tot expono pericu-  
lis. Ego nullius ordinis sum hostis, uestre uero cōgre-  
gationi: quoniam cæteris est incorruptior, semper uni-  
ce fāui. Si quid scriptis admoneo, pro uobis facit non  
contra uos, qui talia nō probatis. Quod si cupitis præ-  
stinum orbis fauorem uobis instaurare, his rationibus  
id faciatis oportet, quibus eum quibus eum primum  
peperistis. Peperistis autem uitæ sinceritate, non  
conspirationibus aut obrektionibus. Quos tumultus  
sui sodales mouerunt in Hispania? Quid profecerunt?  
Exacerbarunt omnium odium. Idem accidit in Polonia &  
Vngaria. Ego nisi Christum habere præ oculis, et si te  
fortassis non possum ledere, posse ordinē tuū ledere  
magis quā credas. Ad quod tamē nunquā prouocabor.  
Quò minus decet uos ad hoc laceffere. Iā pridē clancularijs  
cōsilijs libros meos emouistis è bibliothecis, in qbus  
locū habent aliorū uirulentia calūniæ. Hoc  
dissimulaui, nec magni facio. Sē pietatis negotium  
agetis sincere, dominus prosperabit q; agitis. Sin  
agetis technis & callidis cōspirationibus, omnia  
crede mihi recidēt in diuersum. Dominus tecum.  
Basileæ quindecimo Cal. Iulias. Anno 1527.

ERAS-

ERASMVVS ROTERODAMVS

Henrico Caduceatori Asthaf=

fenburgio S. D.

**S**I medicus essem, mihi primum essem, cui nunquã  
 nõ res est, cum immanissimo caliculi malo. Quã  
 legamus multos eruditissimos uiros, planè cæcos fuis-  
 se, demiror te leuius incommodum tam impotenti ani-  
 mo ferre, quod non cernas nisi propius admota, quod  
 uiciũ si uerũ est, cõperi in plerisq; qui ingenio præcel-  
 luerunt, quanquã alij leuius, alij magis obnoxij sunt.  
 Alexãder Iacobi Scotorũ regis filius, quẽ opinor nosse  
 te ex adagijs, adeo laborauit hoc malo, ut ni naso cõtin-  
 geret librũ, nihil cerneret. Proinde si nature uiciũ est  
 noli pugnare pharmacis, sed adhibe uirrea conspiciilla  
 in hoc attemperata, ut qui penè cæci sunt, cernant etiã  
 procul disita. Nec tamen omnia congruunt omnibus  
 oculis. Eligenda sunt è multis, quæ conueniant. Sin ca-  
 sus adduxit uiciũ, leniri potest uarijs remedijs, quæ no-  
 runt & chirurgi. Sed præcipuũ est fuga eorũ quæ le-  
 dunt oculos, inter quæ est studium à coena, & ad luz-  
 cernam. Proderit assueuisse, ut quã licet, auribus stu-  
 deas potiusquam oculis. Tantum nunc licuit ad tuas  
 literas. Bene uale. Basileæ postridie p̄tecostes. Anno  
 M. D. XXVII.

Erasmus

ERASMVVS ROTERODAMVS

Simoni Pistorio

S. D.

**M**iseram nuncium ære proprio conductum,  
 quem arbitror apud uos fuisse, nõdum enim  
 redijt. Nunc scribendi occasionem dedit Christopho-  
 rus Carleuizius, quem antea timide commendaram  
 illustrissimo principi, semel atq; iterum nonnihil pu-  
 defectus mea commendatione. Sed posteaquã hunc  
 domestico conuictu propius inspexi, penitusq; cognou-  
 ui, non dubitarim illum cuius Principi meo periculo  
 commendare. Latine exacte callet, Græce mediocri-  
 ter doctus, in Iuris quoq; prudentia satis feliciter uer-  
 satus, adhæc iudicij sobrij, moribus commodis, nihil  
 habens, neq; fuci neq; supercilij, in summa Thraso-  
 nis illius dissimillimus est. Cogitur relictis musis, quas  
 unice adamat, ad aulicam uitam se conferre: pluri-  
 mum fiducia posuit in suo principe Georgio, nec ego  
 parum habeo spei, si modo tua humanitas dignabitur  
 autoritate gratiaq; sua nostram adiuuare commen-  
 dationem. Quod ut facias te etiam atq; etiam rogo.  
 Crede mihi penes iuuenem dignum, gratum ac memo-  
 rem collocaris istuc officij. Datum Basileæ prid. Id.  
 Martias. ANNO M. D. XXIX.

F ERAS

ERASMVS BALTHASARI

Episcopo Hildeshemensi S.

Iam diu est ornatis. Præsul, quod amo tuam ciuili  
 lem benignitatē, nō ignarus quantū illi pro singula  
 ri erga me fauore debeam. Sed hactenus nō est oblata  
 occasio per quam tibi uicissim grati animi significa-  
 tionem darē. Nunc obtulit cōmodum sese iuuenis hic  
 maiorū quidē imaginibus clarus, sed longe clarior exi-  
 mijs animi dotibus. Is desiderat tibi notus esse, quem si  
 non graueberis cognoscere, incipiens sat scio diligere.  
 Ex hoc de statu rerū, tum publico tum meo priuatim  
 abunde cognosces, quando tuū non est quiduis literis  
 cōmittere. In me sic fremunt quidam his nouis factio-  
 nibus addicti, tum ex diuersa parte Bedda ac Sutor,  
 Theologi simpliciter furiosi. Postremo pseudomona-  
 chorum phalanges nihilo saniores, ut ni Principū fa-  
 uore subleuer, non possim subsistere. Nullorum enim  
 improbitas tantum apud me ualebit, ut ab ecclesiæ con-  
 sortio recedam. Vtinam quemadmodum Serenissimi  
 Regis aduentus bonos omnes in spem erexit, ita fauen-  
 te Christi spiritu, hanc rerum tempestatem uertat in  
 tranquillitatem. Bene uale. Datum Basileæ

Idus Martias, ANNO

M. D. XXIX.

ERAS-

ERASMVS ROTERODAMVS

Ioanni Valdesio S. D.

VT mihi permolestum fuit Valdesium meū tot  
 molestijs ac periculis agitatum esse, ita magnā  
 uoluptatē attulit, quod ex tuis literis cognoui, te in-  
 columem ex isto naufragio enataste. Iam non medio-  
 criter me discriuiat, uestram Hispaniam tot affligi ma-  
 lis. Vtinam aliquando deus monarcharum animos ad  
 pacis amorem conuertat. Ne posthac sollicitus sis  
 quomodo mihi excuses charissime iuuenis tuum silen-  
 tium: illud inter nos pactum esto, quotiescunque scri-  
 psero fratri tuo, tibi quoque scriptum esse: dein, quo-  
 ties illi mihi responderit, à te quoq; responsum esse,  
 quandoquidem ego uos tam gemellos pro unico ha-  
 beo non pro duobus. Quod epistolium sic neglecte  
 scriptum, inter tua præcipua κειμήλια reponis,  
 ego uicissim istum tam candidum & amicū ani-  
 mum pluris facio mi Ioannes, quàm ut inter gemmas  
 meas uelim reponere, sed in pectoris mei scriniolo  
 reconditum usq; seruabo. Equidē nō possum non gau-  
 dere tam multos existere istic, qui nobis ex animo be-  
 ne uelint. Sed rursus molestum est, regionē istam alio-  
 qui felicissimam tot habere & φουξία crabronibus im-  
 probissimis differta, qui non mihi solum sed amicis

E 2

etiana

etiam omnibus tam odiose successunt negotium, ut prope magis mihi doleat uestrum incommodum quam meum. Tibi tuiq; similibus omnibus ex animo gratulor, qui studia conatusq; uestros omnes in hoc conferas, ut cum elegantia literarum pietatis Christianæ sinceritatem copuletis, quod apud Italos antehac à nō ita multis tentatū uidemus. Quid enim est eruditio si absit pietas? Bene uale. Datum Basileæ duodecim Calendas Aprilis. ANNO. M. D. XXIX.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Alfonso Matrigo Archiepiscopo

Hispalensi S. D.

**O**Rnatissime præsul. Testis est mihi dominus, quod magis sollicitus fuerim, ne quid tumultus monachorū improbitas apud uos excitaret, quam de causa mea. Nam me quidem hæc Ecclesiæ disidia sic discruciant, ut mihi propemodum optabilior mors sit quam uita. Si uerè spectarent Christi gloriam, ac pietatis negotiū, nequaquam ad istum modum publicam tranquillitatem inquietarent. At uereor ne complures istorum transuersos agat gloriæ fitis, ac gulæ uentrisq; nugociū. Dolet minoris fieri quam solent aut uellent, dolet minus licere quam liberet, dolet ple

rosq; respicere, quorū simplicitas hæcenus illis lu-

cro

cro fuit. Magis autem gaudere debebant de lucro pietatis, deq; gloria Christi. In hoc uno oportebat et gloriam, et opes, et auctoritatem, et uoluptatem omnem collocare, qui se mundo mortuos profitentur. Ago gratias domino, qui per tuam auctoritatem inconditos istorū tumultus mitigare dignatus est. Neq; me clam est, quantiū debeam absolutissimo Theologo Ludouico Coronello. Christus qui per uos hæc operatur, rependet uobis præmiū, nunquam auferendum. Ego paciēter omnia tolerans, quæ dominus immittit, seu læta, seu tristia, bonas literas, ac pietatē pro mea uirili prouehere conabor, usq; ad extremum animæ. Erupit in uulgus apologia nostra, quam ego magno pere premi cupiebam, non tantum eò quod suspicabam amplitudinē tuam id malle, uerū etiam quod mea referret hoc negotiū non spargi latius, quæ res et aduersarios plus satis irritatos acrius exacerbaret, et mihi non mediocrem inuidiam cōflaret apud plurimos. Verum huius casus ueniam deprecor in priore præfatione, quam alteri præposui. Dominus amplitudinem tuam seruet incolumem eximie præsul, qui per te tuiq; similes Ecclesiæ suæ pacem ac tranquillitatē restituere dignetur. Datum Basileæ duodecimo Calendas April. Anno. M. D. XXVIII.

F 3 ERAS=

ERAS. ROTERODAMVS

Lazaro Bayfio S. D.

**O**nerare laudibus immodicis si cui bene uolunt, adeò doctis solenne est mihi Bayfi, ut refellere, sit agnoscentis. Itaq; statui posthac quicquid est istiusmodi, silentio concoquere. Gratus tamen est mihi tuus candor, quem olim literis suis Hermannus Phrysius mihi depinxit. Quoniam recusas quod abs te peto, recusò uicissim quod à me petis, ut in turbâ eorum qui studiorum meorû emuli sunt, recipiaris. Imò inter amicos primarios primas tenebit Bayfius. Nos nostro seculo fabulæ partem egimus, nunc æquo animo cedimus felicioribus. Theologorum inconditos tumultus non queo satis admirari. Scripsi super hac re Senatui Parlamentari & sacratissimæ facultati. Quod aiunt, apud me Christum damnare uota, nil mirum, quum Bedda tot euidentissima mendacia mentitus sit in uno libello. Si mauis istic ædi libellum tuum de uasculis culinarijs, eò quod adsis, & frons occipitio sit prior, probò: Sin isti cessant, curabimus hic excudi, modo mittas exemplar abs te recognitû. De uasculis amplector bonam uoluntatem Reuerendiss. Card. Ceterû Questor obliuiscetur, accusabit aurifices qui sefellierunt. Hic certe solent, *σπεύδω* Bayfius

dicitur

*σπεύδω* principum famuli. Ne pilus quidem uasculorû acceptus est. Scribam ubi recepero. Michaël Bentinus præmissa uxore, uxoris matre & hospite quodam, adhac & puero, quum paucis diebus in solis ædibus uersaretur, eadem pestilentia sublatus est. Sequutus est illum protinus, is qui in castigandi uices successerat. Nos uerò reliquit & Ioannes Frobenius mœrore meo immedicabili, nam uxor iam alteri nupsit. Gratulor tuis studijs istum Mœcenatem, non minus benignû quàm potentem, quẽm mihi tecum cõmunem esse factum gaudeo. Tuum erit submonere si quid erit, in quo possim illi gratum facere. Bene uale. Basileæ Caleten. Mart. ANNO M. D. XXVIII.

ERASMVS ROTERODAMVS

cuidam S. D.

**Q**uemadmodum natura nullum creauit uenenum, quin apposuerit remedium uir clarissime, ita deus improbrum conatibus semper obicit aliquẽ, per quem nõ statim liceat illis quicquid libet. Sunt enim aliquot eo ingenio, ut nõ aliud natos dicas, quàm ut bonis faciant male. Ex amici nostri literis intellexi quàm amanter quamq; prudenter adfueris meo negotio, quod officium si mihi tantum præstares est ingratisimû essem, ni tuam istam huma-

nitatem & amplecterer & predicarem. Nunc quum hoc operæ non tam mihi, quàm studijs publicæq; tranquillitati tribuas, etiam pietatem tuam exosculor. Atq; utinam contingat aliquando cum oportunitate facultas, ut tuis in me meritis aliqua ex parte respondeam. Bene uale. Datum Basileæ, quarto Calendas Mart. Anno M. D. XXVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Thomæ Moro S. D.

**I**N tot molestijs quibus undiq; circumuallor, plurimū attulit solatijs serenissimi Regis epistola humanissime scripta, quæ me inuitat in Angliam, omnia pollicens benignissimo digna principe. Admonet quod olim scripserim, in Anglia senectuti meæ sedem delegisse. Nunc uerò mi More, res in eo sunt statu, ut mihi sepulchri locus sit circumspiciendus, ubi uel mortuo liceat quietum esse, quando ut uideo, non continget hoc unquam uiuo. Omnes diuinant magnos rerum motus imminere. Anabaptistarum heresis meditatur erumpere, quæ latius sparsa est quàm quisquàm credat. Tragedias meas cognosces ex hoc Quirino meo, iuene mihi perspecte fidei, quem quoniam nouit omnia mea, in Angliam præmittendum arbitratus sum, ut per eū dispiciam

GRMS

Cum amicis quid fieri possit, aut quid expediat. Egisse gratias regiæ benignitati, sed quoniam tot laboribus pene exanimato, nihil erat ocij, malui ad tantū principem nihil scribere quàm negligenter. Si uidebitur, tu melius illi declarabis animum meum, nec ignarū, nec immemorem tam eximia benignitatis, quàm mihi toties offert, nihil promerito. Opto te cum tibi charissimis quàm bellissime ualere. Datū Basileæ pridie Calendas Marias. Anno M. D. XXVIII.

ERASMVVS ROT. LODOVICO

Berquino S. D.

**A**Rbitror te bono animo facere quod facis Berquine eruditissime, sed interim me plus satis degrauatum oneras magna inuidia, libellos meos uertens in linguam uulgatam, & eos ad Theologorum cognitionem referens, inter quos scio multos esse integros & candidos, sed paucorum morositas sæpenu-mero uincit multorum modestiam. Equidem quum natura abhorream à contentionibus, nunc, ob ætatem ac ualetudinem magis desidero quietem, in eum diem me parans, qui iam longius abesse non potest. Video fatales orbis tumultus, uideo rem theologorū & his aduersantium in manifestā rabiem exisse. Proinde quando perspicio me nihil profecturum, quietus meum ip-

F 5      sius

sifius negocium ago, Christo commendans suam Eccle-  
 siam, qui solus nouit, & potest hominum inconsulta  
 cōsilia in bonos exitus uertere. Fortasse ut relictus con-  
 sulueris rebus tuis mi Berquine, si concertationem se-  
 mel sopitam non instaurēs. Pampilio noster nos reli-  
 quit, & ante hunc Deloinus. Hic agitur sanguinaria  
 fabula, quem exitū habitura nescio. Nos hic hāremus  
 inclusi, quāmodo tuto deus nouit. Arbi. ror sor orem re-  
 giam iam in Hispanias profectam. Volitant rumores  
 aureum seculum pollicentes. At ego nondum uideo sa-  
 tis idonea proemia, nec ausim scribere qd' mihi prae-  
 sagit animus. Nihil igitur expectabis eorum de quibus  
 epistola bene longa mecum egeras, posteaquā scena  
 rerum inuersa est. Hunc iuuenē meo are conduxit, qui  
 mea perferret, uestra huc referret. Si quid est quod  
 mea refrat scire, scribe, ac bene uale uir optime Basi-  
 leae postrid. Bartholomaei. Anno M. D. XXVIII.  
 ERAS. ROT. GVIL. BVDAEO S. D.

**O** Te superis charissimū Budae doctissime, si qui  
 dē in hisce tumultibus fatalibus oculū tueri licet  
 Fabulae partes p singulos obābulāt. Prima turba erat  
 de bonis literis. Hic suas partes egit Reuchlinus, nōni-  
 hil etiā Erasmus. Mox ad fidei negocium de uoluta est  
 actio. Saltarūt & reges suam portionē Rex Danorū  
 exulat, uester, heu dolor Hispaniarū est hospes.

Nuper prodierunt in scenā nobiles et agricolae. Actio  
 fuit mire sanguinaria. Ea nūc recrudescit, quae sit futu-  
 ra catastrophe nescio. A Gallia nō sine causa sic abhor-  
 rebat animus, Aliqd praesagebat magni mali futurū.  
 Quā hie hāremus nō absq; graui periculo. Nec est  
 quō fugiamus. Et si esset, hae ualetudo indicit ocium.  
 Atq; interim tamē, homo sexagenarius, cogor reitarū  
 agere, et cū tot mōstris cōgredi, uel casurus uel occisu-  
 rus. Hic nūcius certissimus est, à me proprie cōductus  
 Per eū scribe quid agas. De nobis ex Beraldo cogno-  
 sces cetera. Bene uale. Basileae postrid. Bart. An. 1525.

ERAS. OTHONI BRVNfelsio.

**N**ae tu pdigiosum somniū animo cōcepisti. Pe-  
 trus Sutor quondā theologus Sorbonicus nunc  
 monachus Cartusianus, in Campania Gallie scripsit in  
 me uolumē rabiosissimū, uociferans oēs trāslatiōes no-  
 uas esse hereticas et blasphemias, linguas ac bonas lite-  
 ras esse fontē omniū malorū. Ei respōdi, sed sic ut prae-  
 uia illū neminē ledā, ne responsurus quidē ni liber di-  
 catus esset sodalitati Sorbonicae, et ex autoritate thelo-  
 gorum Lutetiae. In te uero adeo nihil meditamur, ut  
 eruditum quendam ac facundū hominem, quem amici  
 scribunt tuo in me libello respondere, crebris iam lite-  
 ris per omnia sacra sim obrestatus, ut si non orsus es-  
 set, ne ordiretur: si esset, aboleret in gratiam meam,

si me uellet amicum. Utinam huiusmodi contentiones aniles, ut uocas, difficilissint tibi priusquam libellum tuum æderes, ac potius in consilium adhibuisses prudentiam, quam quosdam qui ex alienis incommodis sua uenantur commoda. Atque utinam Huttenus magis auscultasset meis literis, quas non unas amanter ad illud scripseram, ne tali libello ædito, et utriusque nostrum opinionem læderet, et stolidis quibusdam, literarum hostibus spectaculum æderet gratissimum. Quod mihi condonas omnia, quæ habes aduersum me, non uideo quid tibi debeam isto sanè nomine. Nam à me nunquam fueras læsus, et longe alium esse iudicabam, priusquam libello proderes animum tuum. Consulueris rei tuæ, si istam animi ferociam uertas ad moderationem ac mansuetudinem Christianam. Nam hæc ipsa tua conciliatrix epistola quantum habet minarum, ne conuicijs quidem uacans, tantum concepta uana suspitione ex nomine Sutoris et Cartusiani. Erat hoc uel mediocris prudentiæ, rem certius cognoscere, priusquam ad minas aut conuicia descenderes. Ego nullius amicitiam sum unquam aspernatus, neque quisquam à me lacepsitus est ad inimicitiam. Cæterum difficile est amicitiam uerum cum tam ferocibus et irritabilibus ingenijs. Christianum animum quem polliceris, tibi gratulabimur, si præstiteris.

teris. Officia tua nec ambio nec aspernor. Satis amicè putabo, si tibi ipsi præstiteris amicum. Satis officiorum fuerit, si non ledas famam alienam, quod solum potes et facillimum est hoc præsertim tempore. Bene uale. Basileæ. Anno M. D. XXV.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Bernardo Episcopo Tridenti =

no S. D.

**R**euere[n]de Præsul, n[on] iste tuus animus tam pius ac benignus dignus est aliquo, qui et ingenij dotibus et corporis uiribus possit respondere. Hæc ætas magis autem ualetudo, semper in peius uergens, redidit me ad omnem conuictum inutilem. Clemens septimus humanissime Romam uocat. Cæsar inuitat ut rebeam in Brabantiam. Rex Gallie montes aureos pollicens inuitat ad se. At uereor ne Rex calculus mebreui transmittat in alterum mundum. Nec tamè recuso quod offert tua benignitas. Si uixerò usque ad pascha tentabimus an possim ferre laborem professionis. Id si succedit, cupio uidere Italiã. Et obiter uidebimus tuum regnum. Seruet amplitudinem tuam dominus Iesus incolumem et Erasmo fauentem, Basileæ X VII. Cal. Febr. arij, Anno M. D. XXIII.

ERAS-

ERASMVS ROTERODAMVS

Felici Episcopo Theantino

S. D.

**R**euere[n]de Præsul humanitatem & indolē tuā  
iam pridem amaui, nunc gaudeo pontificis fa-  
uore fortunā tuis uirtutibus respondere, simulq; gra-  
tulator Houio meo, cui contigerit in tali familia locus.  
Apud me non poterat crescere nisi fortassis in literis.  
Et spero illum suis obsequijs promeriturum, ut tuo  
fauore dignus uideatur. Certe ad hoc non desinā ho-  
minem adhortari. Qui sit hic rerum status, malo te  
ex hoc tabellario cognoscere, quem ob negociola qua-  
dam istuc emendauī meo sumptu. Nam inter famulos  
nullum habeo fidelio[re]m, cui te rogo ut faueas si quid  
erit opus. Intricatus est enim labyrintho cuidam,  
uir alicui fortuna tranquillissima dignissimus. Di-  
gnaberis & Erasmus in tuorum clientum catalogū  
ascribere, certe fide studioq; non facile cuiquam  
cessurum. Precor tibi omnia felicia, quo uideli-  
cet modis omnibus sis quod diceris. Datum

Basileæ. 3. Id. Maias, Anno

M. D. XXV.

ERASMVS

ERASMVS ROTERODAMVS

Francisco Molinio Episcopo Condoni-  
ensi S. D.

**V**Tinam saxum essem, quemadmodum scribis,  
uel aduoluerer istuc, si non ob aliud, certe frui-  
turus tuis istis longe candidissimis moribus. Nunc to-  
tus sum uitreus, aut si quid uitro fragilius. Nihil mo-  
ror episcopas, quas promittit regia Maestas: exhau-  
rrent me præ sente pecunia, quæ satis exigua est: one-  
rarent me ære alieno, inuoluerent curis, eriperēt hanc  
libertatem, sine qua non uiuerem triduum. Et thesau-  
raria episcopatus est. Noni hoc corpusculū, noui hunc  
animum. Iam unum atq; alterum mensē non sensi  
cruciatum calculi. Id uino debeo, quod nuper sum na-  
ctus. Rex totus est in rebus bellicis, quem tu quoq; co-  
geris sequi, & instat hyems. Sunt & alia causæ, quæ  
mihi propemodū persuadent, ut expectemus hirundi-  
nem. Interea per literas cōfabulabimur. Hyems uti spe-  
ro sedabit istos bellorū æstus, tū isthic nidulabimur Al-  
eyones. Regi Christianissimo nō desines me cōmendare  
cui calibatū accessisse doleo, quasi parū haberet ma-  
lorum tanta bellorū tempestas. Virtus eius promere  
batur fortunam secundiorē. Bene uale. Datū Basileæ  
postridie Calendas Sep. Anno M. D. XXIIII

ERAS

## FERDINANDVS DEI GRRTIA

Princeps & Infans Hispaniarum, Archidux  
Austriæ, dux Burgundiæ & c. Imperialis  
locum tenens generalis,

Erasmo Rot. S. D.

**H**onorabilis ac erudite sincere nobis dilecte.  
Accepimus literas tuas Basilea, quibus, quæ  
ad nos de laudabili opere Paraphrasis in Ioannē à te  
cōposito, scripsisti intelleximus, eaq; nobis gratissima  
& summe iocunditati fuerunt. Et cupimus ac affectuose  
te hortamur, in eiusmodi dignis, & maximis laudi-  
bus, et præconijs extollendis laboribus, et uigilijs per-  
seueres & persistas, illamq; Paraphrasim impressioni  
ad communem doctorum & proborum utilitatem &  
commodum quàm primum per ocium licuerit exhibe-  
re cures, & unam ad nos transmittere: quod erga te  
ubi occasio se obtulerit omni benignitate & clementia  
nostra, in quibuscunq; poterimus recognoscere & re-  
pendere studebimus, et meritorum ac uigiliarum tua-  
rum immemores non erimus. Datum in ciuitate Imperialis  
Nurenberga die decimoquinto

Mensis Februarij Anno

M. D. XXII.

Erasmus

## ERASMVVS ROTERODAMVVS

Francisco Molino episcopo Condoniensi S. D.

**H**æres, ut scribis, meus Hilarius, utinam ha-  
beret tantum mentis quantum habet bonæ men-  
tis. Mandarem etiam scripto, ut ante Septembrem  
isthic pararet mihi nidulum, nihil meminit, ebrius opi-  
nor uoluptate repetitæ Gallie quam unice amat.  
Rursum scripsi me non uenturum ante proximum  
uer. Interea si ipse esset felix Gallia, frueretur. Sin mi-  
nus, recurreret huc, mihi futurus usui, sibi fortasse  
nulli incommodo. Venit cum aliquot extortis ac su-  
peruacaneis epistolis, mox in Galliam reuolaturus.  
Si tua benignitas uult illi bene facere, & si uidebitur  
dignus, ne committat illius manibus multum pecunie,  
sed prospiciat de sacerdotio quod non possit prodi-  
gere. Noui hominis ingenium, non odi. Narrat tuam  
excellentiam decreuisse huc aduolare. Id tamen si su-  
spicor abs te ioco dictum, tamen quando sic asseuerat  
Hilarius, non uideo causam, quare tantum suscipias  
iter. Fortassis in Septembri commissurus eram hoc cor-  
pusculum itineri. In hyeme non faciam, nisi decreuero  
mori: ne in uer quidem possum aliquid certi promittere.  
Bellum incrudescit, qualis sit futura ualetudo incertum.  
Multa alia possunt exoriri, quæ consilium si non mu-

G tent,

tent, certe impediunt. Hæc nõ ideo scribo, quod tuus conspectus non sit mihi futurus multo iucundissimus, sed quod nolim tantum amicũ frustra & sumptu & itinere fatigari. Quod scribis de hirandine in nuces quæsitã, deus auertat omen. Bene uale. Basileæ prid. Idus Decemb. ANNO M. D. XXIIII.

ERAS. ROTERODAMVS

Senarũ Basiliensi S. D.

**E**T scio & memini quot quantisq; nominibus uobis iam pridẽ obæratũs sim nobiles, ac præstrenui Domini, nec ignoro quã ob facultatũ mearũ tenuitatem soluendo non sim: tamen facit hoc mihi iam pridem explorata certissimis argumentis uestra singularis humanitas, ut nullis lubentius debeam quã uobis: Nec me deterret à petendo, quod is sim qui nõ possim ullam referre gratiam, nisi uestra bonitas ad exemplum æterni numinis sic interpretetur, esse relatum, quod agnoscit, meminit, ac prædicat is qui accipit. Alioqui qui dicere potest, Referam sed cum scœnore, non accipit beneficium, sed scœneratur. Non inficior ex usu Reip. esse, ut legum, scitorum, ac magistratuum autoritas sit inuiolata, sed hic Benedictus bibliopola, ut accipio, non ulla contumacia, sed simplici errore prolapsus est in multam. Et quod erat huius cause

cause caput, duxit mulierculam uxorem. Solet ubiq; fauere coniugio. Iuuenis est tenui re. Erit bona spes dotis, si uestra benignitas multam remisit. Me iam pridem uobis obligatissimum, reddetis obligatiorem, ac mecum alios multos ciues uestro non indignos fauore, qui me ut Benedicti causam agerem hortati sunt, exitum etiam felicem pollicentes, uestra nimirum humanitate freti. Ego nullas beneficij uices possum polliceri, tamen si quis me submonuerit, quã in re queam ordini uestro clarissimo gratificari, sentientis promptam certe uoluntatem mihi non defuisse. Precor ut dominus Iesus uos omnes seruet incolumes, ac bene fortunet Rempub. uestram, & publice & priuatim ANNO M. D. XXIII.

ERAS. ROT. FRANCISCO

Caluo bibliopole Romano S. D.

**A**Go tibi gratias publico studiorum nomine, quod officina tua iam aliquot elegantes libellos nobis dedit, expectamus auidi reliqua promissa. Qui has perfert uir bonus est, & aliquandiu meruit apud Frobeniũ, eum tibi uolui notũ esse, si forte eius opera possit tibi usui esse. P. Sadoleti libellũ in delictijs habeo, uerũ illius aureũ dictionis flumen cõsiderans, uideo quã meus riuus sit & turbidus & exi-

lis. Posthac ad hoc exemplar, meum quoq; stilū conabor attemperare. Precor ut ista molienti tibi propitius ac beneuolus sit Mercurius. Bene uale Basileæ pridie Calend. Septemb. ANNO M. D. XXV.

ERASMVS ROTERODAMVS

Petro Barbirio S. D.

**V**ideris in amicitia refrigescere, qui non respondes. Quod ad me pertinet, nostra amicitia nunquam intermoriatur. Soles polliceri montes aureos, saltem illud præstare ne me spoliés mea pensione, quod mihi uideris meditari, nec obsit mihi quod uni tibi toto pectore confisus sim. De fide tua nihil addubito, sed tamen uereor ne candore pecces, quo soles nimium frequenter delinquere. Aleandrii tum amotum suspicio, sed quidam illum instigant in me suggerentes falsas suspiciones. Et absens alius est quam præsens. Tuæ igitur prudentiæ fuerit cauere ne quid apud illum effutias, quod & amicitia nostra sit indignum, & illius inimicitiam in me exasperet. Corpusculum hoc indies collabitur, exarescit ac deficit. Auguror haud procul abesse diem, quo syphar hoc abijciam, & exiliam noua cicada, Christi laudes felicius cantatura, posteaquam in aërem puriorem ac liberio rem euolarit. Tum pensio Curtracensis tua esto. Nunc

inle-

inclementissimum fuerit Erasmus clientem tuū enecare fame. Gallus qui has reddit, uixit aliquamdiu apud Frobenium, mihi uidetur uir probus. Romæ factus est Hypodiaconus, nec ultra datum est progredi, quod titulo careat. Cupit uel absolui uel admitti ad ulteriora. Non onero te commendatione, si quid tamen officij collocaris in eum, uideris in uirum bonum collocaturus. Bene uale patrone magne. Reliqua cognosces ex meis ad Houium literis. Datum Basileæ prid. Cal Septembris. AN. M. D. XXV.

ERASMVS ROTERODAMVS

Bernardo Episcopo Tridentino S. D.

**R**euerende Præsul, ut intelligas tuum genium ireneo fuisse felicem, nunc rursus excuditur, efflagitantibus bibliopolis. Utinam isti iuuenes qui quiduis quibuslibet dicant, nihil inscribant magnis ecclesiæ præsulibus, nisi quod illorum dignitati respondeat. Istius honorem muneris non tam tibi gratulor quam ipsi Ferdinando, cui hoc magis opus est talibus consiliarijs, quò maiorem sustinet ditionis molè: quanquam hac etiam longe maior imminere uidetur, quod ut tum illi tum orbi Christiano felix faustūq; sit precor. Manum tuæ celsitudinis in literis regijs & agnoui libenter & reuerenter exosculatus sum. Do-

G 3 minus

minus res uestras bene fortunet. Basileæ ANNO  
M. D. XXVIII.

ERASMVVS ROT. IVSTO

regis Poloniae Secret. S. D.

**A**micorum comodis incommodisq; non aliter  
affici soleo quam meis. Anxium habebat me  
tuus casus, nunc planè restitutū summopere gaudeo.  
Nam ego Iustum meū inter candidissimos amicos nu-  
mero. Nunc eloqui uix possim quantopere discuti-  
et animū meum Antonini ualetudo. Quid illius pecto-  
re candidius? Quid amico amicius? Moderatius dole-  
rem, si uitam morte cōmutasset. Simile malum corri-  
puerat R. P. in Italia legatione regis sui nomine fun-  
gentem. Desperantes medici suaserunt cœli mutatio-  
nem. Redijt in Angliam, serò, sed tandem reualuit,  
sibi redditus. Hoc impensius gaudebam, quod præter  
omnem spem tantū amicum recepissē. Sed ecce aliud  
malū. Opera cuiusdā magnatis cōiectus est in carcerē,  
quod in hūc quædā liberius pro suo ingenio scripssisse  
feratur. Sed arbitror illū nunc esse liberū. Vtinam au-  
diam & Antoninū nostrū nobis sibiq; restitutū esse.  
Proximis literis minitabatur nescio quid muneris,  
quod ipse nō possē contemnere. Id aiebat se missu-  
rum per eū quem hic habuerat famuli loco, Iosephū,  
ni sal-

ni fallor. Vtinam multorū munerum iactura talē ami-  
cū queā recuperare. Videtur malū sitale. Hic in ædi-  
bus cuiusdā amici mei correptæ sunt puellæ quatuor,  
& aliquot famuli, quorū unus interijt. Ioannem Fro-  
beniū immortalitate dignū hominem nobis ademit pa-  
ralysis. Poterat annos aliquot uiuere, nisi tantopere  
puduisset ægrotare. Andreas Zebridouius bona fide  
reddidit quicquid accepit. Eo domestico conuictore  
nunc cōsolor ualeitudinem, ac labores meos. Istam sen-  
tentia precor ut obtineas, ne nostrū animū æstimes of-  
ficio literarū. Bene uale amice singularis. Datū Basileæ  
VII. cal. Septem. Anno M. D. XXVIII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Paulo Volzio Abbati S. D.

**E**T tibi tua crux ferenda est ò bone, si uis regna-  
re cum Christo, à qua nec pedum quamuis ue-  
nerabile, nec mitra bicornis, nec anuli te liberabunt.  
De paupere regno lis est. Et si maximū esset, scio tuū  
animum his rebus non magnopere cōmoueri. Re com-  
peristi, ne tyrannos quidem esse liberos, quibus re-  
gnum etiam cum libet deponere non licet. Constan-  
ter recusauit thesaurariam Turonensem. Res erat  
& liberrima & paratissima, proventus τὸ ὑλῶ-  
χισσῶν quingenti coronati. Nolo bos clitellas. Vtrum

tu sceptrum tuum cum ea conditione commutasses?  
 Etiam si pensio designetur satis æqua, nō semper pen-  
 ditur quod pangitur: quodq; est omnium grauiſſimum,  
 qui querunt ledere, crimē pratexunt ſuæ miliciæ, ut  
 probriū accedat damno grauius. Epistola quā ſcribis  
 te ternas miſiſſe literas, mihi tertia reddita eſt. Itaq;  
 una duntaxat periit. De amphibio ſuſpicabor quod  
 ſcribis, niſi quod non ſatis diuinabam, quid ſibi uellet  
 ſcholarū. Nam ἀμφίβια dicuntur animantia, quæ in  
 utroq; uiuunt elemento, ueluti Crocodili & Phocæ,  
 Deinde irata Grammatica ſcripſeras ἀμφίβιο pro  
 ἀμφίβια, De uita mea, quā mihi longæuā precaris,  
 uiderit Chriſtus, ego ſciens nec ad dextrā deſectam  
 nec ad ſiniſtram. Iſtorum tumultus quorſum euasuri  
 ſint neſcio. Ab his ego iam nō iudicio tantū, uerum etiā  
 religione abſtineo. Quid ſi deus per iſtos corrigere  
 uult noſtram in malis peruiſciam? Melanchihon ſcri-  
 bit noſtram εὐφροσύνην etiam Vuittenbergæ æquiſi-  
 mis animis exceptam. Fremunt ſtolidi. Thraſyma-  
 chus & Eubulus non audent proferre caput, utrin-  
 que lapidandi ſi uel proſpexerint. Seculum eſt in quo  
 nec bene loqui licet nec male. Opto tibi gaudium &  
 pacem in domino pater reuerende. Beatum nondum  
 uidimus, nec arbitror breui uenturum. Habes ad epi-  
 ſtolam

ſtolam tuam μετὰ λακωνικῶς. Baſileæ XV. Cale-  
 Ian. Anno M. D. XXIII.

ERASMVVS ROTERODAMVS

Nicolao Vuattenuuilo Præpoſito  
 Bernenſi S. D.

**V**ir ornatiſſ. ex deguſtata breui colloquio tua  
 humanitate mirum quoddam tui deſiderium  
 me cepit poſt abitum hinc tuum, adeo, ut in animo ſue-  
 rit Bernam uiſere, quò diutius & propius frui liceret  
 tua ſuauiſ. cōſuetudine. Et contigerat lepidiſ. uia uel  
 dux uel comes pro uehiculo futurus Henricus Glarca  
 nus, tandem nobis, id quod gaudeo, redditus è Gallijs,  
 Sed nondū licebit abeſſe ab hoc piſtino, & ſi maxime  
 licuiſſet, nō erat tutū nec cōmittere itineri, donec tepēt  
 hypocauſta, ad quorū uel leuē odorē ſtatim relabor in  
 morbū. Aductus Glareani noſtri tantū alacritatis nobis  
 attulit, ut mihi uidear reuixiſſe. Hoc nomine mihi ui-  
 dētur habere cor Eluetij, qđ hunc uirū magnificiūt:  
 nā unus optime meretur de iuuetute ſuæ gētis, ſemina  
 bonæ mentis & honeſtæ eruditionis iaciēs apud ſuos,  
 olim in feliciffimū prouentū eruptura. Mittā ad te Pa-  
 raphraſim in Matthæum, ſi modo fuerit perfecta ante  
 abitum Glareani. Vbi refrixerint hypocauſta, licebit  
 iſtam urbem uiſere. Interim mutuis epiſtolis conſa-  
 bulabimur.

bulabimur, Bene uale. Basileæ nonis Martij. Anno  
M. D. XXII.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Petro Mornyæ Abbati Sancti Sulpitij

S. D.

**D**olorem quem abitus hinc tuus nobis attulerat  
tua non simplex utilitas abunde mitigauit. Pri-  
mum quod mature feliciterq; temet incendio subduxe-  
ris. Nam hic pestilentia nemini pepercit, diuq; circū-  
silijt ædes nostras, ac tantum non insilijt. Deinde quod  
in celeberrimam academiam te contuleris, omniq; stu-  
diorum genere florentem, neq; dubito quin toto pecto-  
re disciplinis optimis incumbens, abunde compensatu-  
rus sis, si quid antehac per ætatis incogitantiam cessa-  
tum est, ut ad tuos uelut auidus negociator, bonarum  
literarum mercibus locuples redeas. Habet ista ciuitas  
ut Musas ita & Sirenas, quemadmodum audio.  
Hortarer te, ut obturatis aduersus Sirenium cantus  
auribus, Musis uirginibus adhereres, ni mihi spe-  
ctata esset tua singularis continentia. Hæc scripsi stu-  
dijs enectus, & in hoc tantum, ut scires te no-  
bis nondum excidisse Basileæ tertio Id.

Ianuarias. ANNO M.

D. XXVII.

Eras

ERASMVVS ROTERODAMVVS

Francisco Molinio S. D.

**E**Xtimulor quorūdā literis, ut aliquo scripto gra-  
tulator Christi anisimo regi incolumē ad suos redi-  
tum. Mihi quidē animus est promptissimus ad regi tā  
amanter de me sentienti quacūq; occasione gratifican-  
dum. Cæterū nondū satis constat cōsiliij ratio, num ex-  
pediat hoc argumentum attingere, quod uix tractari  
poterit, sic ut neminē offendas: deinde subdubito quā-  
m hoc meum officiū sit gratū futurū animo regio. Quod  
si tua prudentia censet esse suscipiendū, cautus incedā  
per ignes suppositos cineri dolofo. Sed prius illud à uo-  
bis curatū uelim, ut uel epistola de summa rerum edo-  
cear. Non enim tutū est quod populi rumusculis iacta-  
tur in literas mittere. Si isthic adest Hilarius Bertul-  
phus, poteris eum ad me mittere, relaturū ad uos libel-  
lum etiā formulis excusum si uidebitur. Nam id mihi  
promptius ac facilius, quā antigraphū parare manus  
descriptū. Hoc quo fiet maturius, futurū est gratius.  
Ignosces, in præsentia nō uacabat pluribus tecū agere  
cui precor omnē felicitatē. Datum Basileæ. An. 1526

ERAS. FRANC. CARD. EBO. MED.

**F**requenter & admirari & dolere soleo, qui fiat  
ut Britannia tot iam annis asidua pestilentia

uexetur,

uexetur, præsertim sudore letali, quod malū penē uideatur habere peculiare. Legimus ciuitatem à diutina pestilentia liberatam, consilio philosophi mutatis ædificijs. Aut me fallit animus, aut simili ratione liberari possit Anglia. Primū quā coeli partē spectēt fenestræ ostiāne nihil habēt p̄si: deinde sic ferē cōstructa sunt conclauia, ut nequaquā sint perflabilia, quod in primis admonet Galenus. Tum magnā parietis partē habēt uitreis tessellis pellucidā, qui sic admittunt lumen, ut uentos excludant, & tamen per rimulas admittunt auream illam collatam, aliquanto pestilentiozem, ibi diu quiescentē. Tum sola ferē strata sunt argilla, tum scyrris palustribus, qui subinde sic renouantur, ut fundamentum maneat aliquoties annos uiginti, sub se fouens sputa, uomitus, mictū canum & hominum proiectam ceruissiam, & piscium reliquias, aliasq; sordes non nominandas. Hic mutato cœlo uapor quidam exhalatur, mea sententia minime salubris humano corpori. Adde quod Anglia non solum undiq; circumfusa est mari, uerumetiam multis in locis palustris est, falsisq; fluminibus intersecta, ne quid dicā interim de falsamentis, quibus uulgus mirum in modum delectatur. Considerem insulam fore multo salubriorē si scyrrorū usus tolleretur, tum si sic extruerentur cubicula

ut duobus aut tribus lateribus paterent cœlo, fenestris omnibus uitreis ita confectis, ut totæ possint aperiri, totæ claudi, & sic claudi, ut non pateat per hiantes rimas aditus uentis noxijs. Siquidem ut aliquando saluiferum est admittere cœlum, ita nonnunq saluiferum est excludere. Ridet uulgus si quis offēdatur cœlo nubiloso. Ego & ante annos triginta, si fuissē ingressus cubiculū in quo mensibus aliquot nemo uersatus esset, ilico incipiebā febricitari. Conferret huc, si uulgo parcior uictus persuaderi possēt, ac falsamentorū moderatio usus. Tum si publica cura demandaretur ædilibus, ut uicē mundiores essent à cœno mictuq; curarentur & ea quæ ciuitati uicina sint. Scio ridebis ocium meum, qui his de rebus sollicitus sim. Faueo regioni, quæ mihi tam diu præbuit hospitium, & in qua libens finirem quod superest æui, si liceat. Non dubito quin tu hæc pro tua prudentia rectius noris, libuit tamen admonere, ut si meum iudicium cum tuo consentit, hæc uiris principibus persuadeas. Hæc enim olim regum cura consueuit esse. Scripsisse perlibenter Reueren. D. Card. sed nec ocium erat, nec argumentum nec ignoro quibus ille negocijs distringatur. Bene uale uir humaniss. cui debeo plurimum.

PRINCEPS HENRICVS DES.

Erasmo uiro undicumq; doctissimo S.

**T**vis plurimum sum literis affectus disertissime Erasme, quippe quæ & uenustiores sunt q̄ ut raptim uideantur exarata, & lucidæ simplicesq; magis q̄ quæ ab ingenio tam solerti præmeditata iudicentur. Fit enim nescio quo pacto, ut quæ ab ingeniosis elaborata, deditiore depromuntur opera plus pariter affectatæ secū afferant difficultatis: nam dum tersiori studemus eloquio subterfugit nos clanculū apertus ille clarus dicendi modus. Sed tua isthæc epistola quantum uenustate pollet, tantū etiā sua perspicuitate liquet, ut prorsus omne punctum tulisse uidearis. Sed quid ego tuā laudare paro sæcundiā, cuius per totū terrarū orbem est nobilitata sciētia? Nihil queo equidē in tuā laudem effingere, quod cōsummata isthac eruditiōe satis dignū sit. Quare tuas laudes omitto, de quibus silere satius puto quā nimis parce dicere. Rumorē illū de morte Castellani regis, mei fratris penitus penitusq; desideratissimi, longe ante quā ex tuis literis oppido inuitus acceperā: sed eū utinā aut serius multo aut minus uerū ad nos fama tulisset. Nunquā enim post charissimæ genitricis mortē, nuncius huc uenit inuisitor: Et parcius, ut uerū fatear, huic literarū parti fauebā, quāms

quāms earum singularis postulabat elegantia, quod cetricem cui callum tempus obduxerat, refricare uisa est. Verum quæ superis sunt: uisa, mortalibus rata haberi fas est. Tu uerò perge, eaq; nobis literis significasti qua sunt isthic noua, sed iucundiora. Deus fortunet quæcumq; memoratu digna acciderint. Vale.

Ex Richemundi decimosextimo  
die Ianuarij.

FINIS.

BASILEAE,  
APVD BARTHOLOMÆVM  
VVESTHEMERVM. ANNO  
M. D. XXXVIII.



